CLYPEUS PHILOSOPHIAE THOMISTICAE CONTRA VETERES ET...

Jacques Casimir Guerinois



CLYPEUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ.

CLYPEUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ
CONTRA VETERES ET NOVOS ejus Impugnatores,

AUTHORE R. P. F.
JACOBO CASIMIRO GUERINOIS, Cenomanensi, Ordinis FF. Prædicatorum, Provinciæ Tolosanæ, Strictioris Observantiæ, in Burdigalensi Academia Regio Antecessore.

In hoc opere veterum Philosophorum Dogmata, adversus Cartesii, aliorumque modernorum, inventa stabiliuntur.

TOMUS PRIMUS.
LOGICA.





VENETIIS,
Apud PAULUM BALLEONIUM.
M. DCCX.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

REVERENDISSIMO PATRI

ANTONINO CLOCHE,

Sacræ Theologiæ Professori,

NECNON UNIVERSI Prædicatorum Ordinis Generali Magistro.

REVERENDISSIME PATER.


N occursum optatissimi ad nos adventus tui publica ista privati mei sensus gratulatio festinabat ; cùm ecce moratum impatiens sponte è manibus meis in sinum tuam evolat hoc qualecumque mei ingenii opus, ut quæ ipsi obscuritate deest Auctoris, claritate Patroni, fama accedat ; prænotatusque in fronte insignis nominis tui Titulus novam illi dignitatis accessionem conciliet: neque decebat alium à te Patronum sibi hodiè ambire sapientiam, quem ipsa suis

qua-

quasi manibus, ut absolutissimum opus, ad suæ nobilitatis commendationem effinxit.

Novitiatum in conventu Tolosano peregit. Hanc in te ferè à puero jure hæreditario transmissam scimus, cujus præceptis meliùs citiùsque imbuendus Sacrum Prædicatorum Ordinem, abjecto sæculari fastu, primum ingressus; ea duce ac regente, in Conventu Tolosano Novitium primò agens, (liceat hanc ejus gloriam grato animo recolere) teneriorem ætatem ad graviorum annorum similitudinem evexisti; omnibus statim talis visus, quales se alii solùm futuros pollicentur. Meminimus adhuc illius amœnissimæ indolis ab altis ad altiora natæ, qua Religionis nostræ habitum tot ex tunc pietatis atque devotionis illustrasti radiis, implevisti fructibus, ditasti exemplis, ad veteranorum æmulationem; illam utique laudabilem & sanctam æmulationem, de qua ait Apostolus: *Æmulamini charismata meliora.* 1. ad Corinth. 12.

Post

Post decursum Philosophicum stadium, litterariæ Reipublicæ natus, ad Theologiam te contulisti; incertum, an plus honoris ab illa reciperes, quàm tu vicissim impenderes: ornasti enim, quæ te exornarunt, scientias: adolescens sic intra modicum tempus institutionem præcurrens, ut reminisci videreris, non discere. Unde & qui tunc temporis credebantur in eo genere plurimùm posse, non dubium artis suæ tibi augurabantur principatum; cùm Tu pervenisses statim, quò alii destinarant: de rebus difficilibus disertè, de gravibus copiosè, de subtilibus acutè, de omnibus differens luculentè.

Sentiens illicò profectum tuum Cadurcense studium, te diutiùs noluit, uti voluisses, latere sub modio; sed editiori Candelabro talem lucernam imponens, ad magistri munus te ex discipulo assumptum in palæstris litterariis primùm suspexit, ea *Philosophiam ac Theologiam per multos annos docuit.*

dili-

diligentia ac eruditione utriusque sapientiæ arcana reserantem, quæ tibi omnium calculo & voto Doctoralis Laureæ honores promoverit.

Conciones in celeberrimis civitatibus per Adventum & Quadragesimam habuit.

Sublimioris post hæc officii suscepta functione, quanta vi ad permovendos animos, ac Apostolici pectoris zelo, sacras ad populum habueris conciones, testantur perennes plausus, quibus te adhuc hodiè, ac si nunc recens audisset, Aquitania nostra, simul cum Occitania, coronat: atque hìc, ne cunctas memorem, quæ tuis adhuc laudibus vastissimæ Provinciæ urbes personant, Auscitanam, Cadurcensem, Petrocoriensem, Aginnensem, & Burdigalensem, satis sit recensere.

Prioratus varios, & Provincialatũ suæ Provinciæ gessit.

Sed cùm jam properaret tempus, quo te amplissimi Ordinis gubernaculis admovendum Divina Providentia destinarat; expertura, quid in supremo dignitatis gradu deinde posses, te in primo constituit; ac Priorem Vigilantissi-

ſimum ſæpiùs, Provincialemque admirata Occitana Provincia, cùm anguſtior eſſet ut te creſcentem caperet, ampliori honore dignum Roma proſpiciens, quaſi nihil ei eſſet longius, quàm ut virtutibus tuis manifeſtum teſtimonium redderet, in præcelſo orbis Theatro collocandum, te nobis invida ſed provida ſimul cùm neſciret eripuit: ſcilicet jam talis eras, qui ſummæ in Religione & Ordine ampliſſimo dignitati debebatur; tuis ubique muniis adeò præclarè functus, ut multo plus à te accepiſſent, quàm tibi contuliſſent, dignitatis & laudis, ad quæ ſola fueras virtute comite, ac duce ſapientia, evectus: *Quaſi te jam præmonente, ut diu penituſque perdiſceres quæ mox præcipere deberes; nihilque diſcendum haberes tempore docendi. Aſſumpſit ergo te Roma in laborum curarumque conſortium: ipſa te aſpera & laborioſa ſtationis hujus ad eam capeſſendam impulerunt; inde enim ſo-* *Plinius Paneg. Trajani.*

lici-

Duorum Generalium socius extitit.

licitior tu: ad Magisterium ergo obsequio pervenisti, tibique uni ferè contigit, ut nostrum omnium Pater esses, antequàm fieres.

Nostris feliciter & omnium votis successit, ex quo inter mille, genere, usu, sapientia, & indole, perspicuos, unus quæsitus es, omnium calculo & voto, cui Prædicatorii Ordinis gubernatio crederetur:

Omnibus gratus in Magistrum ordinis eligitur.

Non enim eorum tantùm, qui te ad hunc honorem provexere, judicium electio illa fuit: qui ubique sumus hoc idem votis omnibus optabamus; illique solùm primi fecerunt, quod omnes fecissemus nos, factumque omnibus placere omnibus probat, quod etiam cunctis placeret antequam fieret.

Plinius ibidem.

Cùm ad augendum fastigium in amplissimo Ordine nihil jam deesset ampliùs; hoc uno putasti te posse crescere, si ipse te submitteres. Disciplinæ, cujus custodia tibi credita est, observantissimus, non te supra leges, sed leges supra te attendis; nihil vis tibi licere ampliùs, quàm no-

bis.

bis. Nescio, jam nescio, pulchriusne sit istud, quod præeunte nullo, an quod alio imperante, fecisti? Hac mihi admiratione dignus non videreris, si sub ditione & auctoritate, qua fulges, positus, talis esses; tunc enim ardor placendi, aut ex innata cupidine majorem quemque æquandi, ac fortè etiam superandi, contentio & æmulatio (ut saltem videri posset) accenderet: at postquam ad summum honoris culmen te amplissimus Ordo evexit: *Quàm magnum est, te in sublimi gradu positum tanta virtute lætari; & sine æmulo, ipsum tecum certare, tecum contendere, ac sicut tu solus praes, ita solùs sis, qui debeas imperare!* *Plinius ibidem.*

Quis tibi circa litterarum studia studiosos que animus? Expertus ipse, quid in præclarissimo ordine conjuncta cum pietate scientia ac eruditio possit; inter communes curas, quæ te vix tui esse pri- *Studiis ubique faves.*

va-

vatim patiuntur, nihil magis esse instituti tui ac officii tanti muneris putas, quàm quòd juventutem studiosam promovere in commune tui ordinis & Ecclesiæ bonum possit. Eruendis è tenebris aut restituendis fidei antiquiorum ordinis Doctorum scriptis toto studio intendis, ut qui teipsum viventem animatamque Bibliothecam semper retinere non possumus, menti tuæ simillimam tot sæculorum sapientiam, & in tanta scriptorum vi, tuas unicas delicias opesque, cæteris erga nos beneficiis tuis, superstites habeamus.

Quid non ad primævum commissi tibi Ordinis redintegrandum splendorem, pristinumque revocandum in eo sancti fervoris spiritum, paterna tua sollicitudo suscepit? Qualis sit & quanta ejus ab initio gloria, tot virorum illustrium serie ab antiquis hausta temporibus, neminem latere potest: eam tu, licèt

suam

ſuam jam ſatis luce promicantem, novis in dies amplias incrementis. In hoc autem conſilii quantum ex voto ſucceſſerit tibi, jam ſatis nuper felicis ac æternæ memoriæ Pontificis Alexandri Octavi oraculum comprobavit, dum multis jampridem magnis nominibus auctum Prædicatorum Ordinem, præſente & audiente *Te*, *Dextrum Eccleſiæ Brachium*, appellavit. Pretioſus ſanè neceſſe eſt, fuerit ille tuus tuorumque, te duce, pro Dei Eccleſia ſuſceptus labor, cujus merces talis honor eſt, & eo deferente atque decernente, cujus ſententiam latam in terris Chriſtus ipſe ratam ſpondet habendam eſſe in cœlis. Celebremus omnes grato animo, à Romanis olim Pontificibus dictum, *Prædicatorii Ordinis Alumnos Pugiles eſſe Fidei, Mundi lumina, Robur Fidelium, & Divini numinis Præcones*: at erit inter nobiles inſigneſque tuos lau-

Alexander Octavus pro toto ordine primò gratulaturum accedentem his cumverbis excepit.

laudum titulos, præclarum nomen, quod, te ad clavum ordinis sedente, illi os Domini nominavit. Christus caput Ecclesiæ visibile in Terris, Petro & ejus in Pontificatu successoribus Principatum coelos commigraturus relinquens, eidem Petro illud visibile caput Ecclesiæ sibi successurum præfecit, cujus fideles sunt membra, est & Prædicatorum ordo dextrum brachium; at brachii hujus ipse nervus es. Quid illustrius, & ad nominis tui gloriam majus?

Eminentissimus Cardinalis Casanata. Hinc eminentissimus Cardinalis Casanata, vir de toto Christiano orbe tam egregiè meritus, totus Ecclesiæ Dei & Dominicanæ Religioni vivens, quem tecum idem studium unum fecerat; cùm te diuturno ac longo usu consuetudinis, quam scimus ab initio tecum ad mortem usque servasse, probasset virum juxta cor suum; quàm lætus & exultans vidit hominem

nem sibi in te talem datum divinitùs, quàm fausta tibi tuisque apprecatus est! hinc de tali ac tanto subsidio Ecclesiæ gratulatus, sæpiùs ajebat, *Felicem fore Christianum Orbem, si una D. Thomæ Doctrina ubique obtineret, unus in Scholis & Academiis Thomas Doctor ubique audiretur, ac consuleretur in rebus dubiis: nullæ, inquiebat, in orbe hæreses forent, nulla in Morali Disciplina, quæ conscientias hominum regit, relaxatio; nulla in Mystica Theologia, quæ Sanctitati viam sternit, exerratio aut illusio; magnumque futurum semper Ecclesiæ subsidium, Dominicanum Ordinem, dum eam Doctrinam coleret, atque tuendæ incumberet*. Quid ad Angelici Doctoris ordinisque tui laudem commendationemque eminentius, quid excellentius?

Vidit te Petri sedes rara prudentia (fama publica faciente fidem) in arduis rebus, unà cum Purpurato Cardinalium *Gloriosè laboravit ad extinguendā*

Molinistarum, quos Quesitistas vocant, hæresim, quã primi omniũ FF. Prædicatores deprehẽderunt, ac debellarunt.

lium agmine agentem, audivit & Orthodoxæ Matris Ecclesiæ negotia optatissimè pertractantem. Intra gremium afflictæ jam Ecclesiæ dissiminatum impium Dogma, serpebat ut cancer, unumque inficiens terrebat omnes. Tu novam hæresim sub ementito pietatis vultu impunè grassantem deprehensam speculator à Deo Domus suæ super muros sanctæ Hierusalem positus, proprio tuorumque zelo armatus, fortissimè debellasti. Nè ergo inane nomen quisquam nobis objiciat, quo Dominicanos, juxta vocabuli fidem, Canes Domini non semel Romanorum Pontificum Oracula proclamarunt; habent, te regente, unde hoc præclarum sibi adhuc nomen retineant; adlatrantes etiam nunc infernus sensit, sub quorum custodia Christianus orbis lætus ac stupens una die ortam extinctamve immanem hæresim de-

demiratur ; ad publicam ejus detestationem impio Parente adducto. Ibi te suspiciunt omnes, plausuque coronant suo.

Sed quid his immoror, nec ad culmen gloriæ, quo me tua fama vocat, contendo? Italiam meritis, Galliam fama replevisti. Obliti ne sumus egregiam à te nuper in arduo ac perdifficili negotio navatam operam, quo facto novere cuncti, quid Gallicæ Gentis indoles, quidve solida pectoris virtus, boni communis acta stimulis, inter dissidentes animos ad concordiam possit? Quidquid magnum ac memorabile in eo actum est, è fonte consiliorum tuorum fluxisse scimus; quod dum felicissimè gessisti, suavi concordia rem Ecclesiasticam Gallica, Gallicam Ecclesiastica temperando, Sceptra Jovemque concilians, non domesticæ inter privatos, sed publicæ inter Coronas,

Benè meritus de Romana Ecclesia, & de Regno Galliæ, in Componendis difficillimis negotiis.

pacis

pacis assertor. Audis magnus Parisiis; major Romæ: dum juxta nominis tui fidem (*Campana*) utroque motu Gallis placens, Italis non displicuisti; approbante Ludovico Magno, cujus sententiam probant omnes. Sed hìc Solis instar, proprio sub splendore delitescis, iisdemque quibus sis adspectabilis radiis, prohibes ab aspectu tuo.

Ponderatur nomen Cloche. Quæ multa & magna ut te jure sapientem probant, & me compulere volentem, ut non alteri hoc Philosophicum opus, sapientiam ex ipso nomine præferens, quàm tibi nuncuparem. Exiguum est istud, fateor; sed vel hoc uno pretiosum, quia tibi debitum. Animus tuus ad maxima quæque intentus, & in procurandis Regnorum negotiis totus, hactenus fuit. Sed te cogit humanitas eundem animum ad minora referre, & à summis ad hæc humilia descendere, quæ

nec

nec instituto, nec officio tanti muneris tui putari aliena debent, quia publicæ utilitati consecrata. Accipe ergo Pater Reverendissime munusculum istud; quod si parvum fortè videatur, majus aliquid exoptantem animum fortè non dedignaberis. Hoc rogat, hoc sperat

REVERENDISSIME PATER,

Reverendissimæ Paternitatis tuæ
Humillimus & Obsequentissimus
servus ac filius
F. JACOBUS CASIMIRUS GUERINOIS Ord. Præd. in Academia Burdigalensi Antecessor.

In Conventu Burdigalensi FF. Præd. Die 16. Augusti an. 1703.



LICENTIA REVERENDISSIMI Patris Generalis.


Nos F. ANTONINUS CLOCHE, Sacræ Theologiæ professor, totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magister Generalis & servus. Salutem.

Harum serie, nostrique Officii authoritate, licentiam facimus R. P. F. Jacobo Casimiro Guerinois Sacræ Theologiæ in Academia Burdigalensi Antecessori Ord. FF. Præd. Provinciæ nostræ Tolosanæ, Typis edendi cursum Philosophicum, dummodò sit priùs revisus & approbatus à duobus in Theologia Professoribus à R. Admodùm Patre Provinciali Tolosano designandis, servatisque aliis de jure servandis. In quorum fidem. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam, die 10. Septembris 1686.

F. ANTONINUS CLOCHE
Magister Ordinis.

Regist. fol. 4.

F. Iosephi Brouet. Pro socio.



LICENTIA REVERENDI ADMODUM Patris Provincialis.

NOS F. THOMAS MELCHIOR L'HERMITE, Sacræ Theologiæ Professor, nec non Provinciæ Tholosanæ, Ord. FF. Præd. humilis Prior Provincialis & servus, harum serie, nostrique Authoritate Officii, Reverendos PP. JOANNEM BAPTISTAM MADERAN, PETRUM PAUL, ET ANDREAM CHABAUDIE, Sacræ Theologiæ Professores designamus & instituimus censores Cursus Philosophici, quem R. P. JAC. CASIMIRUS GUERINOIS, in Academia Burdigalensi Antecessor, in lucem emisit. In quorum fidem his Officii nostri Sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum in Conventu nostro Ruthenensi, die 18. Octob. ann. 1690.

F. Thomas Melchior L'hermite Provincialis, qui supra.

Registrata fol. 10.

F. Hyacintus Imber Socius.

APPRO-



APPROBATIO R. P. F. ANGELI LATRYE, Ordin. Carmel. Doct. Regentis in Academia.

NOn sine singulari animi propensione, perlegi novum opus Philosophicum, principiis doctrinæ D. Thomæ innixum: tum quia ex Illustri Prole S. Dominici Originem ducit: tum quia in eo perpetuus viget Præceptoris Angelici calamus, & volantis Aquilæ nobilis penna; cernitur que illa Turris fortissima, *ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium*: tum quia Author ipsius conclusiones suas nervosè probat, objectiones omnes solidè solvit, & veritates scholæ Thomisticæ, etiam difficillimas, omnibus palam facit. Quapropter quia in hoc opere nihil reperi Orthodoxæ fidei adversum, vel bonis moribus contrarium, ideò ipsum luce nova dignum existimo. Datum Burdigalæ, die 1. Septembris anno 1699.

F. ANGELUS LATRYE, Doctor Regens in Academia, Ord. Carmelitarum.

APPRO-



APPROBATIO

D. C. DE PRECELLES,

Doctoris Sorbonici.

LEgi Librum, cui Titulus est: *Clypeus Philosophiæ Thomisticæ*: Authore R. P. F. Jacobo Casimiro Guerinois Ord. FF. Prædicatorum Provinciæ Tholosanæ, Strictioris Observantiæ. Datum in Sorbona, die 5. Junii anno 1697.

C. DE PRECELLES.

APPRO-



APPROBATIO R. P. F. IOANNIS IOSEPHI CVRSOL, Ord. S. August. Doct. Regens in Academia.

Summa cum voluptate perlegi librum, qui inscribitur *Clypeus Philosophiæ Thomisticæ*. Hic unus perantiquæ ac percelebri scholæ Thomisticæ ad ejus gloriæ culmen & illius doctrinæ firmissimum munimen deesse videbatur: etenim quæ dudum Theologiæ suæ clypeo tutissimo gloriabatur, æquum erat, ut eadem invicta firmitate adversùs Philosophiæ suæ hostes gauderet. Quare summoperè gratulor hujusce præclari operis scriptori collegæ nostro (viro paris pietatis, & eruditionis.) Tanta quippe ipsum legenti occurrit doctrinæ eruditio, tanta eloquii ubertas, tantæ ingenii vis & altitudo, tum in difficillimis Philosophiæ veteris extricandis ambagibus, cùm in refellendis recentiorum Philosophorum figmentis: quanta omnium judicio prædicantur in clypeo Theologiæ Thomisticæ ad abstrusa quæque planandâ, & ad profligandos quoscumque hostes Catholicæ & Angelicæ doctrinæ. Ea propter hunc librum judicavi dignum, qui prælo mandetur; eo lubentiùs, quo nedum sui authoris fætus mihi visus est dignissimus, ac ad communem Philosophorum multùm conducens utilitatem: verùm & maximè, quia nihil habet fidei Catholicæ adversum; nihilque bonis moribus noxium. Datum Burdigalæ, die octava mensis Julii anno 1700.

F. JOANNES JOSEPHUS CURSOL, in Academia Burdigalensi Doctor Regens Ordinis Sancti Augustini.

APPRO-



APPROBATIO R. P. JOANNIS BAPTISTÆ MADERAN, Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Doct. & olim in Academ. Burdig. Professoris Regii.

Decessorem suum, cujus in literariam dignitatem successit, & modò antecessoris in alma Academia Burdigalensi locum obtinet, sapienter æmulatus author hujus operis, quod inscribitur *Clypeus Philosophiæ Thomisticæ*, uti ille Theologicum, sic & ipse Philosophicum Clypeum edidit, quo munita undique & tuta sit schola Thomistica. Enim verò quæ jam tela adversa manu in jecta, utroque hoc tecta elypeo non repellat validè, & nedùm facilè eludat, sed elidat & perstringat, duplicis hujus armaturæ firmitate ac virtute? At quo maximè commendetur opus longo labore & studio elucubratum, multaque eruditione plenum, hoc cæteris censeo; quòd totum ipsa luce micantissimi Solis Divi Thomæ, scutum hoc novum splendeat, & fulgeat splendore, ut ita de illis ambobus clypeis liceat accommodatè dicere, quod à Spiritu sancto dictatum legimus, Machab. 6. vers. 39. *Refulsit sol in clypeos aureos & æneos, & resplenduerunt montes ab eis*. Itaque non dubitaverim multorum commodo & publicæ utilitati fore, clypeum hunc Philosophicum, quo quæstiones tùm vulgares ab antiquo in scholis disputari solitæ, cùm recens aliæ excogitatæ, copiosè juxta & perspicuè, solidè & accuratè discutiuntur, novellæ verò opiniones confutantur: ni-

nihil porrò fidei aut bonis moribus adversum, nihil non orthodoxum, nihil tandem eo opere continetur, quàm quod schola Thomistica vulgariùs docet & tuetur. Opto igitur non minùs grataner quàm Theologicum, hunc etiam Philosophicum clypeum exceptum iri. Datum Burdigalæ die 13. Januarii ann. 1692.

F. JOAN. BAPTISTA MADERAN, Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Doctor, & olim in Academia professor Regius.

APPRO-

PPROBATIO R.P. PETRI PAUL, ET R.P. ANDREÆ CHABAUDIE, Sacræ Theologiæ Professorum, Ord. Prædicatorum.

CUm vehementer admiratus esset universus orbis ingenium atque doctrinam Reverendissimi Parris Joannis Baptistæ Gonet, ob editum ab eo Theologiæ Thomisticæ clypeum; nihil scholæ nostræ potius fuit, quàm ut clypeus Philosophiæ Thomisticæ imitatione ex Theologico expressus exiret. Tametsi autem erant qui has partes sustinere potuissent, tamen eos clypei Theologici splendor ab opere deterrebat: quo enim magis eò mentem ac vires intendebant, eo hebetiores se ac infirmiores agnoscebant. Occurrebat animo peritissimus Appelles, qui cùm Veneris caput egregiè fecisset, & reliquum corpus nulla ex parte perfectum reliquisset; nemo Pictor inventus est, qui quod deerat auderet explere penicillo: oris namque lineamenta, propter eximiam pulchritudinem, reliquæ partis corporis imitandæ spem auferebant. Sic cùm totum Doctrinæ Thomisticæ corpus & Theologicis & Philosophicis scriptionibus contineatur, erat omninò difficile eam corporis partem, quam author Clypei Theologici reliquerat, explere. Quid enim difficilius, quàm tanti viri solertiam cùm acutissimi ac gravissimi ad disputandum, tum verbis ad rem, cum summa perspicuitate mirabiliter apti, consequi imitando? Sanè quidem non habuit schola Thomistica, cui potiùs id negotii daret, quàm authori Clypei Philosophici, qui rem fœliciter & ex sententia gessit: sic enim clypeus Philosophicus Theologi-

correspondet, ut ex eadem officina exisse videatur. Sed quid potissimùm in eo demiremur, nitorem ne authoris in scribendo? an rerum ubertatem? an rationum pondera? an potiùs vim respondendi & lacessendi magna moderatione conjunctam?

Attende, quæso, lector benevole, quemadmodùm plura quæ in sermonis obscuritate latuerunt, sic in Clypeo Philosophico aperta sint, & facilia, ut ea cernere oculis videaris: non enim author, ut plerique, Philosophiam offert inclusam in caligine sermonis, tanquam gladium in vagina reconditum; sed apertissimam, promptissimam, atque claritate ac nitore sermonis illustratam. Accedit eodem silva quædam atque materia argumentationum omnium: quippe recentiorum omnium nova judicia fideliter exponit, nec veteres solùm copias nobis infensas, verùm etiam effusam illam nostra ætate Cartesii, Gassendi, & cæterorum parium manum importunam fœliciter infectatur, & acerrimè retundit. Quo nihil his temporibus optatius, nihil Peripateticis gratius, nihil utilitati omnium rectè sentientium magis accommodatum. Et verò ne qua propter tantam rerum copiam possit lectoris animum defatigatio retardare, difficillioribus curiosas quæstiones interserit, ac variè dispergit, quæ & instabili varietate lectoris animum afficiunt, & vario lumine Philosophiam illustrant.

Ar quàm solidum genus argumentorum! quàm firmum ad probandum! quàm præsens ad refellendum! ut facilè cernas, clypeo Philosophico nullam armaturam esse meliorem, qua vel tectus ipse esse possis, vel provocare adversarios. Rectè igitur quæ in Clypeo Militi adscinisa erant, in Philosophicum quadrant: *Auxilium nunquam deficiens*. At cur liber Clypeus inscribatur, non facilè interpretamur; cur non potiùs inscribitur Armamentarium omnibus armis,

mis, vel ad tegendum, vel ad nocendum, necessariis instructum? Haud dubiè author itidem in hac re, ut in aliis, modestum hominem præbuit, & fortè non eludicat in scriptio libri, ob adhibitam ab eo in disputando moderationem. Sic enim omnia verba moderatur, ut non tam oppugnare, quàm repugnare videatur: sic pugnat ceteraque omni ratione ac testimonio, ut maximoperè curet, ne quid sit minùs moderatè positum, ne quod verbum ex ore ejus excidat, unde quisquam possit offendi. Atque, ut est in omni ferè disciplina curiosus, fabulam exponit sub cujus integumentis omnis sapientia continetur. Volitat in sua Geographia per gentes, per regna omnia, scientiam comprehendit rerum plurimarum omni ingenuo homine dignissimarum. Quas ob causas hoc opus elegans & elaboratum, in quo nihil est fidei Christianæ, aut bonis moribus contrarium, si quis in primùm ex umbra produxerit in solem, explevérit expectationem diuturni desiderii.

F. PETRUS PAUL, Theologiæ Professor ex Ordine Prædicatorum.
F. ANDREAS CHABODIE, Theologiæ Professor ex Ordine Prædicatorum.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Havendo veduto per la Fede di revisione, & approvazione del P. Fr. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquisitore, nel Libro intitolato: *Clypeus Philosophiæ Thomisticæ contra veteres & novos eius impugnatores, Authore R. P. Fr. Iacobo Casimiro Guerinois, Ordinis Prædicatorum &c.* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza à Paolo Baglioni, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.


Dat. 24. Agosto 1709.

{ Franc. Loredan Kav. Proc. Ref.

{ Alvise Pisani Kav. Ref.

Agostino Gadaldini Segr.

PRÆ-



PRÆFATIO
TOTIUS OPERIS.

MEnte sæpiùs pervolventi fructus insignes ex cursu Theologico R. P. Gonet à Schola Thomistica reportatos, ob redactos in unum opus, summa cum perspicuitate, omnium Theologorum nostrorum sensus: mihi in mentem venit, operæ pretium esse, ut etiam in eadem Schola, omnium Philosophorum nostrorum placita in unum cursum pari perspicuitate reducerentur. Quapropter ad lectitandos Thomistas Philosophos vehementer accensus, plurimos legi, & ex collectis fideliter eorum sententiis, cursum Philosophicum composui, soliditate Doctrinæ Angelicæ firmum, & styli claritate donatum. Quæ autem sit hujus operis ratio, quodve consilium, paucis exequar. Referam & non abscondam veras Thomistarum sententias, eas enodatè exprimam, & adeò in medium efferam, ut etiam Tyronibus pronæ fiant & manifestæ. Est quoque in animo easdem sententias invictè cum Angelico Doctore propugnare, adversùs eos omnes, qui ipsas funditùs evertere, vel saltem eis tenebras offundere, nituntur.

De veritate etiam cum recentioribus non paucis decertare contendo. Hi à prioribus veritatis magistris recedentes, novas opiniones falsis innixas principiis in dies singulos commiscuntur: cum his autem hostibus pugnaturus, ipsorum opiniones & principia inprimis,

 in-

integra fidelitate servata, proponam, deinde falsitatem eorum palam omnibus faciam.

Decreveram verò, ut opus meum Philosophicum statim in folio (ut dicunt) prælo committeretur; ad Thomisticam circa res Philosophicas doctrinam fusè, ut par est, exponendam: at celebriores Typographi censuere, ut cursus iste meus divisus in tomos quatuor, per modum compendii, primùm in lucem prodiret; & deinde prima editione per regionum Scholas faciliùs distributa, in folio securiùs Typis mandaretur. Itaque Primus Tomus institutiones Logicas, & Logicam ipsam continebit. Secundus verò & tertius Physicam integram comprehendent. Quartus tandem Metaphysicam simul & Moralem complectetur. Ex quibus constabit cursus integer Philosophicus, veritate refertus, soliditate doctrinæ firmus, & principiorum conclusionumque evidentia clarus.



I N-



INDEX
TOMI PRIMI.

I N-

INDEX
INSTITUTIONUM LOGICALIUM
Pars Tertia.

§. VII.

§. II.

A R-

ARTICUL. Tertius, *De Differentia*.

§. V.

Finis Indicis Primi Tomi.



INSTITUTIONES LOGICÆ.

PROOEMIUM.

L*Ogicæ nomen ex Græco derivatur. Latinè verò idem omninò est, ac* Rationalis Philosophia: *ita autem nuncupatur, quia proprium munus ejus est, ut rationem dirigat, ne erret, dum operatur.* Dialectica *etiam appellatur, id est,* disputativa: *eo quòd disputandi modum doceat. Hinc colligas velim, quare ante omnes alias disciplinas ipsa tradatur; quoniam nempè in alii disciplinis de rebus disputatur, de rebus verò disputare non possumus, nisi priùs disputandi modum cognoscamus, qui in Logica edocetur.*

Quia autem Logica ad rationis directionem ordinatur, aequum est, ut quemadmodùm rationis operatio triplex est, etiam tripartita sit Logica. Prima rationis operatio simplex apprehensio *dicitur; quoniam per eam intellectus (qui tanquam rationalis potentia, nomine* rationis *designatur) res simpliciter apprehendit; nihil scilicet affir-*

mando, vel negando. Secunda operatio vocatur judicium, quo videlicet intellectus per affirmationem, vel negationem, de rebus judicat apprehensis. Tertia tandem operatio est discursus, quo intellectus ab antecedente ad consequens argumentando discurrit.

Itaque in prima parte Logicæ sermo erit de termino simplici, cujus notitia dirigitur simplex apprehensio. In secunda autem de Propositione disseretur; in qua an prædicatum conveniat, vel repugnet subjecto, judicamus; cujus proinde notione judicium regulatur. Denique in tertia parte tractandum nobis erit de argumentatione, cujus beneficio discurrit intellectus.

Antequam verò celebriores Logicæ difficultates proponantur, brevis tractatus tradi solet, in quo plura ad Logicæ acquisitionem necessaria breviter explicantur. Qui quidem tractatus variis titulis ab authoribus insignitur; alii enim ipsum summulas; *alii* parvam Logicam, *seu* Logicam minorem, *aut* compendium Logicæ, *appellarunt: Nos autem illum* Institutiones Logicas *nuncupamus; quia in eo instituitur modus, quo Logica faciliùs comparatur.*



QUÆ-



QUÆSTIO PRÆAMBULA.

De Methodo & modo sciendi.

Cum Methodus modum ordinatum procedendi in veritatis indagine nobis tradat, priusquàm ulteriùs veritatem investigemus, agendum est de Methodo, sicut & de Modo sciendi; vix enim veritatem invenire poterimus, si Methodum eam investigandi, & Modum sciendi ignoremus.

Articulus Primus.

De Methodo.

Methodus definiri potest: *Modus ordinatus procedendi in veritatis inquisitione.* Tunc autem aliquis hunc procedendi modum servat, quando res explicandas & cognoscendas ordinatè disponit; adeò ut res illæ & clarè proponantur, & facilè percipiantur.

Methodus duplex est, una *Compositionis*, *Resolutionis* altera. Prima est, qua à simplicioribus ad magis composita procedimus: v. g. à partibus ad totum, vel ab universali ad particulare; cùm enim partes componant totum, & particulare ex universali componatur, totum & particulare sunt magis composita, partes verò & particulare sunt simpliciora. Exemplum hujus Methodi est: si quis de corpore humano tractaturus, priùs singulas ejus partes, ut caput, pectus, &c. explicet; & deinde de toto corpore humano disserat; vel si de animalibus disputaturus, primò de animali in universali sermonem habeat, & posteà ad particularia animalia, v. g. ad hominem, leonem, equum, &c. descendat.

Methodus verò resolutionis aut divisionis est, dum è contrà à magis compositis ad simpliciora fit processus; v. g. à toto ad partes & à particulari ad universale. Exemplum est in eo, qui priùs totum corpus humanum considerat, & deinde singulas ejus partes; vel qui primò hominem, leonem, equum, aliaque animalia in particulari conspicit, & posteà animal in universali contemplatur; appellatur autem Methodus *resolutionis*, quoniam in ea totum resolvitur, seu dividitur in partes: è contra verò altera Methodus *compositionis* dicitur; quia in illa procedimus à partibus ad totum, quod componunt.

In scientiis tradendis, docente Magistro, servari solet Methodus compositionis; quoniam in eis Professores solent res priùs in universali, quàm in particulari exponere, quia nempè res faciliùs in universali & inchoativè cognoscuntur, quàm in particulari & completè percipiantur: *à facilioribus autem incipiendum est*. In scientiis verò proprio Marte comparandis, Methodus resolutionis reperitur, ita ut à particularibus ad universalia fiat processus; quoniam in hujusmodi scientiarum acquisitione procedimus per sensus, seu per experientiam sensuum; particularia autem obvia sunt sensibus, non verò universalia; hinc visus non apprehendit animal in universali, sed hoc animal particulare.

Addi potest Methodus arbitraria, qua nonnunquam utimur, res tradendas & explicandas accommodando ad auditorum, locorum, & temporum opportunitatem.

Articulus Secundus.

De Modo sciendi in communi, & in particulari de Definitione.

Modus sciendi tripliciter usurpari potest. Primò latè, pro eo omni, quod quomo-

documque conducit ad scientiam comparandam; & in hoc sensu Logica ipsa rationem modi sciendi obtinet, quoniam ad scientiarum acquisitionem mirum in modum juvat, ut infrà constabit: secundò strictissimè, pro eo tantùm, quod strictissimè ac proximè scientiam parit; quod utique soli demonstrationi convenit, ut infrà dicetur: tertiò tandem communiter, pro eo, quod immediatè ducit ad clariorem rerum cognitionem consequendam; sive cognitio illa sit strictè scientifica, atque demonstrativa; sive non. Modus autem sciendi ita sumptus solet definiri: *Oratio ignoti manifestativa*: id est, brevis sermo manifestans rem antea ignotam.

Tres verò sunt modi sciendi; scilicet Definitio, Divisio, & Argumentatio. Cùm enim sciendi modus sit oratio rem ignotam manifestans, tot debent modi sciendi admitti, quot sunt quæ de re aliqua possunt ignorari: hæc autem tria sunt duntaxat; scilicet natura seu essentia, quam manifestat Definitio, partes, quas manifestas facit Divisio; & proprietates, quas manifestè demonstrat Argumentatio. De Definitione in hoc articulo agemus, de Divisione verò, & Argumentatione in sequenti disseretur.

Definitio duplex est; una propriè dicta; impropriè dicta altera. Hæc posterior est simplex nominis interpretatio, quando videlicet nomen obscurum per terminos clariores interpretamur; ut si quis linguam Græcam ignoranti dicat: *Hydrographia est descriptio maris*: vel *Cosmographia est descriptio mundi*: unde hujusmodi definitio dici solet definitio *quid nominis*: neque de ipsa hic est sermo. Prior verò definitio *est oratio explicans naturam rei*; partes scilicet ejus in ipsa involutas evolvendo, & obscurè implicatas explicando; ut dum dico, *Homo est animal rationale*: ubi humanam naturam explico, dum partes ejus, videlicet, *animal*, & *rationale*, palam facio. Hæc autem definitio communiter appellatur

Definitio quid rei; quoniam quid res ipsa sit exponit.

Definitio propriè nuncupata duplex est; una essentialis, descriptiva altera. Prior naturam rei explicat per partes ejus essentiales. Quæ iterum duplex est: una Physica, qua nempè *natura* rei per partes Physicas essentiales exponuntur; talis est hæc hominis definitio: *Homo est aliquid ex corpore & anima rationali compositum*: corpus namque & anima rationalis constituunt hominem in ratione compositi physici substantialis; ut in Physica patebit: altera est metaphysica, quæ videlicet rei naturam per partes ipsius metaphysicas, genus scilicet ac differentiam, explanat; talis est ista hominis definitio: *Homo est animal rationale*: homo enim in *animali* velut in genere cum brutis convenit, à quibus per *rationale* differt.

Definitio descriptiva est, quæ rem describit per ea, quæ ei insunt adventitia. Triplex autem est. Prima vocatur *propria*, quoniam per accidentia propria, seu per proprietates rei definitæ traditur; ut si hominem definias hoc modo: *Homo est animal Politicum, & scientiarum capax*; si quidem Politica, & ad scientias capacitas, sunt quædam hominis proprietates. Secunda dicitur *accidentalis*, quia rem explicat per plura accidentia, quæ seorsim sumpta aliis quidem rebus convenire possunt; at non item, si conjunctim accipiantur; ut si ignem definias: *Elementum rarum, leve, & calidissimum*: quamvis enim Raritas, & Levitas, seorsum sumptæ aliis competant rebus ab igne distinctis; non tamen si cum maximo calore conjungantur. Tertia tandem *causalis* appellatur, eo quòd rem explicat per causas extrinsecas, efficientem scilicet, exemplarem, & finalem; ut si hominem definias: *Animal ad Dei similitudinem factum, ut eo frui possit*. Ubi dum homo dicitur animal à Deo factum, causa ejus efficiens

after-

affertur: dum verò, *ad Dei similitudinem*, causa exemplaris adducitur: dum autem, *ut Deo frui possit*, causa finalis designatur.

Quatuor verò sunt bonæ definitionis leges. Prima est, ut definitio sit clarior re definita: nam alioquin definitio rem definitam non explicaret; necesse enim est, ut explicatio sit re explicanda clarior. Secunda est, ut definitio non sit diminuta; nam si talis foret, diminutè solùm, non autem completè atque perfectè rem definiendam exponeret. Non debet quoque bona definitio esse superflua, sive non debet vocem aliquam superfluam continere; si etenim ita se haberet, rem definitam clarè non explanaret; superfluitas quippe confusionem parit. Tertia est, ut definitio constet genere & differentia; id est, ut definitio manifestet, quæ sit ratio generica seu communis rei definitæ, in qua nempè cum aliis rebus convenit; & quæ sit ratio illius differentialis, qua à cæteris rebus distinguitur; quia alioquin naturam integram rei definitæ non declararet, quandoquidem hujusmodi natura utramque rationem illam comprehendit. Quarta tandem est, ut definitio cum definito convertatur; id est, ut definitio, & definitum, reciprocè de seipsis prædicentur, & definitio soli conveniat definito: ratio est, quia definitio nihil est aliud, quàm definitum ipsum clariùs explicatum. Hinc usu trita sunt hæc axiomata: *Cui convenit definitio, convenit & definitum; & e converso; cui competit definitum, competit & definitio.*

Articulus Tertius.

De Divisione & Argumentatione.

Secundus sciendi modus est Divisio, quæ definitur: *Oratio totum in partes distribuens*. Totum siquidem solet esse obscurum; unde ut explicetur, & clarius cognoscatur, suas in partes dividitur. Divisio triplex est; una actualis, potentialis altera, & tertia accidentalis.

Prima est, quæ totum distribuit in partes actuales, quæ nimirum actu, ac de facto in toto inveniuntur. Et hæc rursus est triplex. Alia est Physica, in qua videlicet partes actuales Physicæ recensentur; ut dum dico: *Hominis alia pars est corpus, alia anima rationalis*. Altera est Metaphysica, in qua partes actuales metaphysicæ, nempè genus & differentia, enumerantur, ut si dicas: *Hominis alia pars est animal, alia rationale*. Et utraque hæc divisio essentialis est, cùm partes enumeret essentiales. Tertia tandem est integralis, in qua partes integrantes (quarum scilicet si una desit, integrum non est totum) singulariter percensentur; ut si quis dicat: *Hominis pars, alia est caput, alia pectus, alia manus, &c.*

Divisio potentialis ea vocatur, quæ totum in partes potentiales distribuit. Partes verò potentiales illæ dicuntur, quæ in toto, non actu, sed in potentia solùm continentur. Hæc autem divisio præsertim contingit, quando universale in particularia distribuitur; siquidem omne universale est totum potentiale, quod in potentia rantùm particularia complectitur, ut infrà constabit. Divisio potentialis duplex est: una univoca, analoga altera.

Prior partitur totum potentiale in inferiora, à quibus ex æquo participatur; & hoc modo animal in hominem & brutum dividitur. Posterior

verò est, quæ totum potentiale dispartitur in inferiora, quibus inæquali ratione communicatur: ejusmodi est entis in Deum & creaturas divisio; Deus namque totius entis immensum est pelagus, creaturæ autem velut guttæ duntaxat computantur.

Demùm divisio accidentalis est, qua vel subjectum in sua accidentia dividitur; v. g. lignum in calidum, vel frigidum: aut accidens in sua subjecta distribuitur; v. g. album in nivem, & lac: vel denique accidens in alia accidentia partimur; v. g. album in amarum, & dulce.

Regulæ bonæ divisionis solent quatuor recenseri. Prima est, ut totum divisum sit majus qualibet parte dividente: totum enim singulis partibus majus est. Secunda est, ut partes dividentes conjunctim acceptæ adæquent totum divisum; quoniam partes simul sumptæ à toto ipso non discrunt, sed revera sunt ipsum totum; ut suo loco patebit. Tertia est, ut partes dividentes se mutuò excludant: partem etenim includere proprium est totius, non partis. Quarta demùm est, ut bona divisio sit eò brevior, quò fieri potest; quia alioquin mentem confunderet, ac memoriam obrueret.

Tertius atque ultimus sciendi modus est Argumentatio, quæ definiri potest: *Oratio in qua unum ex alio infertur*; v. g. *Deus est summè bonus; ergo est summe amandus*; objectum quippe ad amorem inducens bonitas est. De Argumentatione autem fusè infrà differetur.



INSTITUTIONUM LOGICALIUM PARS PRIMA.

QUÆSTIO UNICA.

De Termino.

POSTQUAM in præcedenti quæstione præambula de Methodo ac modis sciendi disputatum est, statim de terminis tractandum sequitur, quorum notitia dirigitur prima mentis operatio, nempe simplex apprehensio: eo quòd per terminos simplices legitimè explanatos atque intellectos res sine errore apprehendendæ ac cognoscendæ significentur. De termino autem tria quæri possunt, videlicet quid sit terminus, quotuplex sit, & quæ sint illius proprietates?

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex sit Terminus?

DEfinitio (ut ex dictis liquet) quid res ipsa sit, exponit; & ideò ut percipiamus, quid sit terminus, statim est definiendus; vulgò autem definitur: *Extremum propositionis.* Sicut enim linea suis extremis terminatur; ita per subjectum, & prædicatum, quæ sunt propositionis extrema, & ipsa terminatur. Exemplum est: si dicas: *Deus*

est omnipotens; ubi *Deus*, & *Omnipotens*, sunt termini, quoniam sunt illius propositionis extrema.

Aristoteles quoque 1. Prior. hanc tradit Termini definitionem *Terminus est id, in quod resolvitur propositio, tanquam in subjectum & prædicatum*. Hinc colliges, rationem Termini subjecto & prædicato duntaxat esse concedendam; copula verò (id est, verbum copulans prædicatum cum subjecto) Terminus non est, sed vinculum est Terminorum: unde in allata propositione: *Deus est omnipotens*; *Deus*, & *Omnipotens* sunt quidem Termini; verbum verò, *Est*, copulans duo illa extrema, propriè non est terminus, sed terminorum nodus; sicut calx non est pars parietis, sed partium ipsius ligamen quoddam.

Dividitur autem 1. Terminus in mentalem, qui mente formatur; in vocalem, qui voce profertur; & in scriptum, qui litteris mandatur.

Dividitur 2. in subjectum, & prædicatum. Subjectum est ille terminus, qui primò in propositione ponitur, & de quo prædicatum enunciatur. Prædicatum autem est ultimus propositionis Terminus, qui de subjecto affirmatur, vel negatur; ut in propositione suprà jam allata: *Deus est omnipotens*; *Deus* est subjectum, & *Omnipotens* est prædicatum.

Dividitur 3. in categorematicum, & syncategorematicum, ac mixtum. Primus est, qui per se, aut ratione sui, & solitariè acceptus, aliquid significat: hujusmodi sunt *homo*, *leo* &c. Secundus solùm alteri junctus aliquid significare potest: ejusmodi sunt *omnis*, & *nullus*; si enim *omnis*, vel *nullus*, solitariè proferatur, nihil significatur; benè tamen si jungatur cum aliquo Termino categorematico; dicendo v. g. *omnis homo*, *nullus leo*. Tertius tandem, nempè mixtus, categorematicum & syncategorematicum virtualiter seu æquivalenter continet: talis est *Nemo*, qui

æquivalenter idem est ac *nullus homo*.

Dividitur 4. in singularem, communem, & collectivum. Terminus singularis unum duntaxat significat: ut *Petrus*. Terminus communis rationem designat pluribus divisim convenientem: ut *Homo*, quo humana natura designatur; quæ quidem natura Petro, Paulo, aliisque omnibus individuis humanis univocè convenit. Collectivus autem terminus est ille, qui exprimit plura collectivè & simul sumpta; ut *Populus*.

Terminus verò communis subdividitur in univocum, analogum, & æquivocum. Terminus univocus est, qui significat aliquam rationem communem, in pluribus inferioribus simpliciter eandem, sive ipsis æqualiter, & quasi una voce convenientem: hujusmodi est *Homo*, designans humanam naturam, quæ ex æquo omnibus & singulis hominibus competit. Terminus analogus est, qui exprimit rationem in multis simpliciter diversam, aliquo tamen modo eandem: ejusmodi est nomen entis respectu Dei & creaturarum; ratio quippè per nomen entis significata, est in Deo & in Creaturis modo simpliciter diverso; cùm in Deo sit modo infinito, & in Creaturis modo finito reperiatur: ratio tamen illa est in Deo & in Creaturis aliquo modo eadem; quoniam in eis proportionali quodam modo invenitur, ut suo loco dicetur. Demùm Terminus æquivocus est, qui significat res omninò diversas & in solo nomine convenientes: tale est nomen *Canis*, quo canis terestris, marinus, & cœlestis designatur.

Dividitur 5. Terminus in concretum, & in abstractum. Terminus concretus est, qui significat formam ut in subjecto existentem, ipsique concretam seu conjunctam: hujusmodi est *Album*, quo albedo ut in subjecto posita exprimitur. Terminus abstractus est, quo designare solemus formam ut à subjecto abstractam, id est, ex modo significandi, ab illo separatam: ut *Albedo*.

Di-

Dividitur 6. in absolutum, connotativum, & adjectivum. Terminus absolutus, qui & substantivus potest dici, est ille, quo notatur res se habens modo quodam absoluto, sive substantivo, id est, quasi per se stans, ad modum substantiæ: ut *Homo*. Connotativus terminus est, qui significat rem aliud à se connotantem vel respicientem; ut *Creator* qui creaturas connotat. Denique Terminus adjectivus est, qui exprimit formam alteri adjacentem; ut *Nigrum*, quo nigredo ut adjacens subjecto denotatur.

Dividitur 7. in Terminum primæ intentionis, & in Terminum secundæ intentionis. Prior rem designat, ut est in se; ut *Homo*. Posterior verò rem secundùm statum, quem habet in intellectu, significat; ut *Species*; neque etenim humana natura ut est in se extra intellectum, species formaliter dici potest; sed hoc habet duntaxat, prout reperitur in intellectu, modo infrà explicando. Terminus primæ intentionis sic nominatur, quoniam rem denotat, prout est primæ intentionis, seu considerationis intellectus objectum; ob similem causam terminus secundæ intentionis ita nuncupatur, quia rem designat, prout terminat secundam, ac reflexam intellectus intentionem: intellectus namque mos est, ut primò res inspiciat directè prout sunt in se, deinde ipsas secundò ac reflexè consideret.

Dividitur 8. in complexum, & incomplexum. Terminus complexus ille est, cujus partes separatæ significant juxta totius vocabuli significationem: ut *Homo albus*. Terminus verò incomplexus ille è contrà dicitur, cujus partes seorsim sumptæ non significant juxta totius termini significationem; ut *Homo*: imò & *Respublica*, cujus partes separatim acceptæ aliquid revera significant, at non sicuti conjunctim in toto vocabulo significabant, totum quippe *Respublicæ* vocabulum exprimit communitatem civium sub certis legibus degentium; *Respublica* autem sepa-

separatim, denotant rem ad communitatem spectantem.

Articulus Secundus.

De Suppositione.

Explicata termini essentia, sequitur ut ejus proprietates exponantur; quæ sunt quinque, scilicet Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, & Appellatio.

Suppositio, quæ primum obtinet locum, legitimè definiri potest: *Positio termini loco sui significati*; ut dum dico: *Petrus est homo*: in illa propositione homo supponit pro natura humana, quam significat, & loco ejus ibidem ponitur.

Dixi, *Positio termini loco sui significati*: quia si terminus pro seipso in propositione ponatur, propriè suppositio non erit, quoniam nihil propriè pro seipso supponit; ut si quis dicat: *Homo est nomen*.

Dividitur autem 1. suppositio propriè dicta (quæ & formalis appellari solet) in simplicem, & in realem. Suppositio simplex definitur: *Positio termini loco sui significati tantum immediati*. Realis verò suppositio definiri potest: *Positio termini loco sui significati, tam immediati, quàm mediati*. Ad quarum definitionum intelligentiam: advertendum est, significatum termini posse esse duplex: unum nempè immediatum, & alterum mediatum. Immediatum termini significatum est illud, ad quod immediatè & primariò significandum ordinatur. Mediatum verò significatum est id, quod terminus ex mediata & secundaria duntaxat significatione designat; sic v. g. immediatum *hominis* significatum est humana natura, quam immediatè atque primariò exprimit; illius verò mediatum significatum, sunt humanæ naturæ individua, quæ ab homine mediatè solùm & secundariò denotantur.

Ita-

Itaque si dicam: *homo est species*; erit suppositio simplex, quoniam in ea propositione, *homo* pro solo significato immediato, nempè pro humana natura sola, supponit; non autem pro significato mediato, nimirum pro individuis humanis, quæ utique non sunt species: si autem quis proferat: *homo est vivens*: est suppositio realis, quia ibi *homo* pro significato, tam immediato, quàm mediato, scilicet, tam pro natura humana, quàm pro ejus individuis, supponit; non solùm enim humana natura vivens est, verùm etiam unumquodque ejus individuum.

Suppositio simplex est duplex: una nempè communis, & singularis altera. Prior est positio termini pro solo significato immediato, quod est commune; ut contingit in propositione allata: *homo est species*: ubi *homo* supponit pro sola humana natura, quæ omnibus individuis humanis est communis. Posterior autem est positio termini loco solius significati immediati, quod est singulare; ut videre licet in ista propositione: *Petrus est individuum*: ubi *Petrus* supponit pro hac sola singulari persona humana, quæ *Petrus* appellatur.

Suppositio realis est quoque duplex: una scilicet communis, & altera singularis. Prima est positio termini pro significato immediato, quod commune est; & pro significato mediato, quod est singulare; ut fit in propositione jam allata: *homo est vivens*: ubi *homo* supponit pro natura communi humana, & pro omnibus individuis sive singularibus humanis. Secunda verò est positio termini loco significati immediati, quod est singulare: & significati mediati, quod commune ac universale est; ut *Petrus est vivens*: ubi *Petrus* supponit immediatè pro persona singulari, quæ dicitur *Petrus*, & mediatè pro humana natura communi ac universali.

Dividitur 2. suppositio in collectivam, disjunctivam, & distributivam. Suppositio colle-

ctiva, sive copulativa . definitur: *Positio termini pro suis significatis collectivè & simul sumptis* ; ut dum dico: *Præcipuæ orbis partes sunt quatuor*: ubi ille terminus *quatuor* supponit pro præcipuis partibus orbis collectivè ac simul sumptis. Suppositio disjunctiva definiri potest: *Positio termini pro suis significatis disjunctivè acceptis* ; ut dum dicitur: *Aliquis homo est fur* : in qua propositione *homo* supponit disjunctivè pro hoc vel illo homine . Suppositio distributiva est positio termini communis pro suis omnibus significatis conjunctim & seorsim sumptis: exemplum est, si dicas: *Homo est animal rationale* : hinc inferre licet, conjunctim dicendo. *ergo & Petrus, & Paulus, & Ioannes, &c. sunt animalia rationalia* : vel seorsim: *ergo Petrus est animal rationale, Paulus est animal rationale, Ioannes est animal rationale &c.*

Suppositio distributiva duplex est; una completa, incompleta altera. Suppositio distributiva completa (quæ & absolura dici potest) est positio termini communis pro omnibus suis significatis absolutè, id est, nulla exceptione facta; vel, ut alii dicunt, est positio termini communis, non tantùm pro omnibus speciebus, sed etiam pro individuis universis; ut si dicatur: *Animal est vivens* : in qua propositione *animal* supponit, & pro omnibus suis speciebus, & pro universis hujusmodi specierum individuis; quandoquidem non solùm species animalis sunt viventes, verùm etiam omnia illarum specierum individua verè sunt viventia. Hæcque suppositio dici solet *pro singulis generum* ; id est, termini communis, tam pro speciebus, quàm pro singulis individuis, alicujus generis acceptio.

Suppositio autem distributiva incomplera (quæ etiam accommoda nuncupatur) est positio termini communis pro omnibus significatis accommodatè; id est; juxta exigentiam prædicati. Exemplum est in illa propositione *Omne animal*

mal fuit in arca Noe: Cùm enim prædicatum, videlicet *arca Noe*, non exigeret, imò non permitteret, ut omnia animalium individua in ipsa reciperentur, *animal* in præfata propositione pro omnibus individuis animalis non supponit, sed pro omnibus speciebus tantùm; unde illius propositionis sensus hic est, *Omnes animalium species fuere in arca Noe*. Dicitur verò ista suppositio *pro generibus singulorum*, genera pro speciebus accipiendo: id est, suppositio pro speciebus singulorum seu individuorum.

Demùm suppositio dividitur in determinatam, & in confusam. Suppositio determinata est positio termini cōmunis pro aliquo significato determinato; quam ob causam appellatur *Suppositio determinata*: exemplum est, si dicas: *Philosophus librum Categoriarum composuit*: ubi *Philosophus* determinatè pro Aristotele ponitur, qui librum categoriarum, seu prædicamentorum, conscripsit. Suppositio autem confusa (quæ etiam indeterminata dici potest) est positio termini communis pro aliquo ex suis significatis, modo indifferenti & indeterminato; ut si dicam: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*; ibi etenim *oculus* pro dextro, aut sinistro, determinatè, non supponit; sed pro dextro, vel sinistro, modo indifferenti & protsùs indeterminato.

Antequàm verò suppositionum regulæ statuantur. Advertendum est, quosdam esse terminos syncategorematicos, qui à Dialecticis *signa* nuncupantur. Ex his autem signis quædam sunt universalia affirmativa; ut *omnis*: quædam sunt universalia negativa; ut *nullus*; quædam sunt particularia affirmativa; ut *aliquis*; & quædam particularia negativa; ut *aliquis non*. Vocantur verò *signa*; quoniam in propositione ab initio ponuntur, & an propositio sit universalis affirmans, vel universalis negans; particularis affirmans, aut particularis negans, designant. Hoc præmisso.

Pri-

Prima regula est: quando propositionis subjectum universali signo afficitur, supponit semper: vel distributivè; ut in ista propositione: *omne animal est vivens*: vel collectivè; ut in hac propositione; *præcipuæ orbis partes sunt quatuor*. Secunda regula est: subjectum propositionis signo particulari affectum, ubique supponit: vel determinatè, ut; *aliquis Philosophus librum categoriarum composuit*: vel confusè, ut; *aliquis oculus est ad videndum necessarius*.

Tertia regula est: quando propositio est indefinita (id est, quando ejus subjectum est terminus nullo affectus signo) distinguendum est. Nam si propositio in materia necessariâ reperiatur, id est, si prædicatum necessariò vel conveniat; vel repugnet subjecto: tunc propositionis subjectum distributivè supponit; unde harum propositionum subjecta distributivè supponunt, *animal est vivens*: *homo non est lapis*: & ambæ propositiones istæ indefinitæ æquivalent duabus his propositionibus universalibus; *omne animal est vivens*; *nullus homo est lapis*.

Si autem propositio indefinita in materia contingenti inveniatur, id est, si prædicatum ejus accidentaliter contingenter conveniat subjecto; ita ut nempe adesse, vel abesse possit, salva subjecti essentia: tunc propositionis indefinitæ subjectum, vel determinatè supponit, ut *Philosophus librum categoriarum composuit*: vel supponit confusè, ut *oculus est ad videndum necessarius*: quæ quidem propositiones indefinitæ æquivalent illis propositionibus particularibus: *aliquis Philosophus librum categoriarum composuit*: *aliquis oculus est ad videndum necessarius*.

Quarta suppositionis regula est: in omni propositione negativa, prædicatum distributivè supponit; ut: *nullus homo est lapis*: ubi *lapis* distributivè & universaliter supponit, adeò ut nullus omninò lapis verè de homine prædicetur. In propositione verò affirmativa, prædicatum distributivè

tivè ut plurimùm non supponit, sed confusè; ut: *homo est animal*: ubi *animal* non debet distributivè & universaliter intelligi, quasi sensus sit, hominem esse omne animal; quod apertè falsum est; sed confusè intelligendum est, ita ut sit sensus, hominem esse animal, abstrahendo ab hoc, vel illo animali, & ita modo quodam indeterminato & confuso animal accipiendo. Si tamen prædicatum propositionis affirmativæ cum aliquo subjecto distributivè supponente convertatur, seu vicissim dicatur, etiam prædicatum ipsum distributivè supponit; ut videre licet in hac propositione: *omnis homo est rationalis*.

Quinta & ultima regula est, ut subjectum propositionis supponat juxta exigentiam prædicati. Et ob hanc rationem suprà à nobis dictum est, subjectum hujus propositionis: *Omne animal fuit in arca Noe*: supponere suppositione distributiva, solùm incompleta.

Articulus Tertius.

De reliquis termini proprietatibus.

Secunda termini proprietas est Ampliatio, quæ definitur: *Extensio termini, seu vocis, à minori ad majorem suppositionem*; ut si proferas: *Justi in perpetuum vivent*: ubi vox, *justi*, quæ secundùm exigentiam prædicati, nimirum verbi *vivent*, pro justis futuris solùm supponere deberet; ad supponendum pro justis præteritis, præsentibus, & futuris extenditur.

Tertia proprietas est Restrictio, quæ è contrà est *Coarctatio termini, sive vocis, à majori ad minorem suppositionem*; ut si dicas: *Petrus est niger secundùm capillos*, ubi vox *niger*, quæ posset pro toto Petro, seu pro toto ejus corpore supponere, restringitur per particulam *secundùm*, ad hoc ut pro solis capillis supponat.

Quarta proprietas est Alienatio, quæ communi-

niter definitur : *Translatio termini à propria ad impropriam, & metaphoricam significationem* ; ut in hac propositione : *Vicit Leo de tribu Iuda* : ubi hic terminus *leo*, qui secundùm propriam & sibi connaturalem significationem, animal rugitivum designat, transfertur ad metaphoricè significandum Christum, qui propter fortitudinem invictam ad debellandos hostes Leoni assimilatur.

Antequàm verò ultimam termini proprietatẽ, Appellationem nempè, explicemus, advertendũ est, quemlibet terminum concretũ duplex habere significatum ; scilicet unum formale. & alterum materiale. Formale termini concreti significatum est forma per hujusmodi terminum significata ; materiale verò significatum est subjectum habens illam formam ; sic v. g. Terminus iste concretus, *album*, pro formali significato sibi vendicat albedinem ; pro materiali autem significato habet subjectum, cui inest albedo ; hoc præmisso. Appellatio communiter à Philosophis definitur : *Applicatio significati unius termini ad significatum alterius* ; id est, applicatio significati prædicati ad significatum subjecti ; in omni enim propositione prædicatum adveniens subjecto, ipsi suum applicat significatum.

Appellatio duplex est : una materialis, formalis altera. Appellatio materialis est applicatio significati predicati ad significatum materiale subjecti ; ut si dicas : *Album est dulce* : *Dulce* enim in ea propositione applicat suum significatum, videlicet *dulcedinem*, materiali significato albi, nimirum subjecto albedinem habenti ; ita ut præfatæ propositionis iste sit sensus : subjectum, aliundè habens albedinem, est dulce. Appellatio autem formalis est applicatio significati prædicati ad significatum formale subjecti ; ut : *Album est coloratum* ; ubi color, quem significat coloratum, formali significato albi, scilicet albedini, applicatur : imò quotiescunque significatum prædicati applicatur, sive convenit, materiali signi-

significato subjecti, ratione solius significati formalis, toties est appellatio formalis; ut patebit in exemplis infrà afferendis.

Prima regula appellationis est: quando propositionis subjectum est terminus adjectivus, in ea propositione sæpiùs invenitur materialis appellatio, ut in istis propositionibus videre licet: *album est dulce: nigrum est amarum*: Et quidem de prima propositione ex dictis constat: quòd verò in secunda propositione fiat etiam appellatio materialis; ex eo declaratur, quòd ejus prædicatum, nempè *amarum*, applicat suum significatum, scilicet amaritudinem, significato materiali subjecti, nimirum nigri, sive subjecto habenti nigredinem; ita ut sensus sit, subjectum aliundè affectum nigredine, est amarum. In propositione tamen nonnunquam reperitur formalis appellatio, quamvis subjectum, termini rationem habeat adjectivi; ut liquet satis in illa propositione superiùs allata: *album est coloratum*.

Secunda appellationis regula est, toties appellationem esse formalem, quoties propositionis subjectum est terminus substantivus; ut contingit in hac propositione: *homo est animal*; in ea quippe, *animal*, quod est terminus substantivus, & prædicatum ipsius, applicat suum formale significatum formali significato hominis (qui etiam est terminus substantivus, & ejusdem propositionis subjectum) ita ut, homo, formaliter inquantùm homo, verè dicatur animal, sive vivens sensitivum, quod est formale & proprium animalis significatum.

Tertia regula est, appellationem semper esse formalem, quando particula aliqua reduplicativa ex parte subjecti propositionis cernitur; ut fit in istis propositionibus: *Homo in quantùm homo est animal*: *Album inquantùm album est coloratum*.

Quarta & præcipua appellationis regula est, ut in omni propositione, in qua particula redu-

plicativa nulla est, juxta exigentiam prædicati contingat appellatio; ut perspicuum est in his propositionibus: *album est dulce: album est coloratum*: in utraque enim propositione idem est subjectum, scilicet, *album*; & tamen in prima, appellatio est materialis; & in secunda, formalis; quod profectò aliundè non provenit, nisi ex diversa prædicatorum exigentia.



INSTITUTIONUM LOGICALIUM PARS ALTERA.

QUÆSTIO UNICA.

De Propositione.



Post terminorum expositionem, congrua doctrinæ methodus postulat, ut statim de propositione tractetur. Primò enim simplici cognitione res apprehendimus, quas terminis simplicibus declaramus; deinde ex rebus apprehensis unam de alia enunciamus, id est, affirmamus vel negamus; quæ quidem enunciatio, sive unius rei de alia affirmatio vel negatio, est ipsa propositio. De propositione autem, sicut & de termino, tria quæri solent; nimirum quid sit, quotuplex sit, & quas habeat proprietates?

ARTICULUS PRIMUS.

De quidditate propositionis, oratione, nomine, & verbo.

Propositionis quidditatem definitio exponit; quæ duplex est. Prima sic se habet: *Propositio est oratio enuncians unum de alio*: id est, affirmans vel negans prædicatum de subjecto. Quid sit subjectum, & quid prædicatum, ex dictis constat. Secunda his verbis exprimitur: *Propositio est oratio verum vel falsum significans*; proprium siquidem est propositionis, ut verum vel falsum significet. Ad ampliorem verò harum definitionum intelligentiam, pauca de oratione, nomine, & verbo, breviter dicenda sunt; quandoquidem propositio est oratio, quæ ex nomine & verbo componitur.

Oratio ab Aristotele 1. Periher, cap 4. hoc modo definitur: *Oratio est vox significativa ad placitum, cujus partes separatæ significant juxta totius significationem*. Ubi orationem vocalem Philosophus definivit; ut patet. Oratio autem in primis dicitur vox significativa; quia quædam sunt voces, quæ significantes non sunt; ut *blitiri*, *sindapsus* &c. à quibus omnibus differt oratio. Additur, orationem debere esse vocem significativam *ad placitum*, quoniam signum duplex est, unum *naturale*, *ad placitum* alterum. Primum ex sua natura rem significat, hac ratione fumus ignem denotat. Secundum rem designat ex hominum placito & institutione: & hujusmodi sunt voces humanæ, ex quibus oratio conflatur. Demùm in illa definitione asseritur, orationem esse vocem, cujus partes separatæ significant juxta totius significationem, ut à vocibus vel terminis incomplexis distinguatur. (De quibus disseruimus art. 1. qu. præcedentis.) Exemplum est, si dicas: *Homo est animal rationale*.

Ora-

Oratio triplex est: videlicet mentalis, quæ ab intellectu, seu à mente formatur: vocalis, quæ ore exprimitur: & scripta, quæ scripturis committitur. Oratio mentalis potest definiri: *Conceptus mentis naturaliter significans*; conceptus enim mentis sunt signa naturalia. Oratio vocalis supra ab Aristotele definita est. Oratio autem scripta est *scriptura significativa ad placitum, cujus partes separatæ &c.* Nomen ab Aristotele 2. Perihermen. cap. 1. hac definitione declaratur: *Nomen est vox significativa ad placitum, sine tempore; cujus nulla pars separata significat, finita, & recta*. Ubi liquet, nomen vocale definiri. Priores autem illius definitionis particulæ ex dictis patent. Additur verò, nomen significare sine tempore; id est, significare rem ab omni tempore determinato, præterito, præsenti, & futuro abstrahentem & veluti separatam: ejusmodi sunt intellectio, amor, &c. in quo præcipuè differt nomen à verbo; ut statim constabit. Deinde subditur: *Cujus nulla pars separata significat*; quoniam nomen prout ab oratione distinguitur, est vox simplex & incomplexa. De nomine præterea asseritur, ipsum esse vocem finitam: circa quod.

Notandum est, vocem aliam esse finitam, & aliam infinitam; vox finita dicitur, quæ finitam seu determinatam habet significationem, ut *homo*: ea autem vox censetur infinita, quæ ob appositam sibi negationem, quodam modo infinitam seu indeterminatam sibi vindicat significationem; ita ut de omnibus dici possit, uno solo excepto: ut *non homo*; de omnibus siquidem affirmari potest *non homo*, solo homine excepto: leo namque est *non homo*, bos est *non homo*, & sic de cæteris. Itaque nomen debet esse vox finita; quoniam necesse est, ut determinatam & propriè dictam obtineat significationem.

Ponitur tandem in allata definitione, nomen esse vocem rectam, seu in nominativo casu constitu-

tutam, ut casus obliqui à nominis participatione excludantur. Cujus ratio est; quia nomen proprie acceptum ex se solo significare debet; casus autem obliquus nihil significat ex seipso solo, sed duntaxat, si casui recto & nominativo conjungatur: si etenim seorsim & solitariè proferatur: *Petri*, nihil significatur; si verò hunc casum obliquum recto casui nominativo conjungam, & dicam: *Liber Petri*: legitimam conficio significationem.

Verbum denique ab Aristotele 2. Periher. cap. 2. definitur: *Vox significativa ad placitum, cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita, & recta; & est semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota*. Verbum in primis vox est ad placitum significativa; in quo cum nomine convenit. Significat verò cum tempore; id est, significat rem al cui determinato tempori, præterito, præsenti, vel futuro affixam: sic *amavi* amorem designat præterito tempori annexum: *amo* eundem amorem denotat præsenti tempori junctum: & *amabo* amorem exprimit futuro tempori copulatum. Et in hoc verbum à nomine distinguitur. Insuper verbum vox est, cujus nulla pars separata significat, *finita*, & *recta*; ob eandem rationem, ob quam id de nomine dictum est. Verbum tandem est semper eorum, quæ de altero dicuntur nota, sive semper est prædicatorum cum subjectis in propositionibus efformandis copula, ita ut per verbi ministerium, in omni propositione, prædicatum subjecto copuletur: ut contingit in hac propositione: *homo est animal*. ubi *animal* per verbum *est* homini copulatur.

Sicut autem oratio alia est mentalis, alia vocalis, & alia scripta; ita nomen vel verbum, aliud mentale est, aliud vocale, & aliud scriptum; quorum definitiones facilè ex dictis colliguntur.

Ex duabus propositionis definitionibus suprà allatis, prima illis terminis expressa: *Propositio est oratio enuncians unum de alio*. est esſetialis; quia per

partes propositionis essentiales, genus scilicet ac differentiam, traditur: quòd enim propositio sit oratio, genus ejus est, in quo cum definitione, divisione, & argumentatione, convenit: quòd verò propositio enunciet unum de alio, id est, affirmet vel neget prædicatum de subjecto, essentialis est ipsius à definitione, divisione, & argumentatione, differentia.

Definitio autem altera his terminis constans: *Propositio est oratio verum vel falsum significans:* descritiva solùm est: per proprietates enim propositionis tãtùm datur, nam significare verum, & falsum significare, sunt re ipsa proprietates ad essentiam propositionis, enunciationem nempè, consequentes: si etenim res ita sit, sicut per propositionem enunciatur, propositio verum significat: si autem res aliter sit, quàm per propositionem enunciatur, ipsa falsum significat.

Articulus Secundus.

Quotuplex sit propositio.

Dividitur 1. Propositio in categoricam, & hypotheticam. Propositio categorica, quæ & simplex dicitur, ea est, quæ ex pluribus propositionibus non constat; sed ex uno subjecto, & ex uno prædicato, tamquam ex partibus; & ex verbo, sicut ex copula, componitur; ut: *Homo est animal.*

Nec obstat, quòd nonnunquam in propositione simplici propositio integra ex parte unius extremi collocetur; quia tunc propositio ex parte unius extremi posita, statum propositionis non habet, sed unius vel subjecti, vel prædicati; hinc si dicatur: *Petrus, qui est Logicus, est magnus:* est propositio simplex; quoniam integra propositio illa: *Petrus, qui est Logicus,* non ut propositio, sed tanquam unum subjectum, ibi ponitur; hinc etiam, si proferas: *Incertum est, an Salomon sit*

sa-

salutem consecutus: est simplex propositio, quia hæc propositio: *An Salomon sit salutem consecutus*: ut unum prædicatum ibidem collocatur.

Propositio hypothetica est ea, quæ ex pluribus categoricis propositionibus aliqua particula conjunctis componitur; hinc *composita* seu *conjuncta* nuncupatur. Est verò quintuplex: nempe Conditionalis, Causalis, Rationalis, Copulativa, & Disjunctiva. Propositio conditionalis ea est, in qua plures Categoricæ propositiones per particulam conditionalem, *si*, aut similem, uniuntur. Ut autem hæc propositio vera sit, satis est, ut in ipsa, una propositio categorica rectè ex alia sequatur, quamvis aliunde utraque sit falsa: hoc totum liquet in ista propositione conditionali: *si Talpa haberet oculos, videret*.

Propositio causalis dicitur, in qua duæ propositiones categoricæ particula causali *quia*, vel simili, conjunguntur; ut: *homicida est morte puniendus, quia injustè alteri mortem intulit*. Ut autem causalis propositio vera inveniatur, satis non est, ut antecedens verum sit, & consequens verè ex antecedente sequatur; sed præterea necesse est, ut antecedens propriè sit causa consequentis; unde secundùm rigorem Logicum, falsa est ista de homine causalis propositio: *Homo rationalis est, quia est risibilis*: risibilitas quippe non est rationalitatis causa, sed è contra, rationalitas causa est risibilitatis.

Rationalis propositio ea vocatur, in qua duæ vel plures categoricæ propositiones particula rationali, *Ergo*, vel simili, unicæ conspiciuntur; ut: *Deus est bonus: ergo amandus*. Ut autem hæc propositio vera existat, opus est, ut antecedens sit verum; hinc falsa est rationalis ista propositio: *Equus est rationalis: ergo est risibilis*. Necesse est quoque, ut consequens legitimè ex antecedente sequatur; hinc etiam falsa est ista propositio rationalis: *Petrus est Logicus: ergo ambulat*.

Copulativa propositio illa est, in qua duæ aut

plures categoricæ propositiones particula copulativa *&*, aut simili, conjunctæ cernuntur, ut: *Deus est justus, & misericors*. Ut autem copulativam propositionem veram habeas, omnes propositiones categoricæ illam componentes veræ sint necesse est; unde falsò diceretur: *Deus est infinitus, & creatura infinita*.

Disjunctiva tandem propositio sic appellatur, quia propositiones simplices eam constituentes particulis disjunctivis *vel, aut, &c.* adunantur, ut: *Omnis substantia vel est spiritualis, vel corporea*: ad veritatem autem propositionis disjunctivæ requiritur & sufficit, ut altera propositionum simplicium sit vera; ideòque ista propositio disjunctiva est vera: *Omnis homo vel est doctus, vel indoctus*.

Relicta propositione hypotheticâ, quæ propriè propositio non est, sed propositionum aggregatio; superest, ut propositionis categoricæ divisiones breviter adducamus. Ad cujus intelligentiam notant communiter Dialectici, quatuor in propositione categorica reperiri, scilicet materiam, formam, quantitatem, & qualitatem. Materia propositionis categoricæ, sunt termini; nempè subjectum, & prædicatum, prout habent respectum ad invicem; qui quidem respectus est quadruplex: alius quippe est necessarius, secundùm quem prædicatum necessariò convenit subjecto; quando videlicet prædicatum est de essentia subjecti, vel ejus proprietas: aliu est contingens, secundùm quem prædicatum contingenter competit subjecto; ita ut prædicatum possit adesse, vel abesse, salva subjecti essentia: alius est possibilis, secundum quem prædicatum actu quidem subjecto non convenit, ipsi tamen potest cõpetere: alius denique est impossibilis, secundum quem prædicatum repugnat subjecto, ita ut ipsi convenire non possit.

Et juxta hunc quadruplicem respectum prædicati ad subjectum, quadruplex est categoricæ pro-

po-

poſitionis materia · nempè neceſſaria, contingens, poſſibilis, & impoſſibilis.

Forma propoſitionis eſt unio prædicati cum ſubjecto, quæ *Enunciatio* nuncupatur: ut enim ſuo loco dicetur, proprium formæ eſt, rem aut compoſitum conſtituere; propoſitio autem per unionem prædicati cum ſubjecto conſtituitur. Propoſitionis quantitas eſt quædam ejus extenſio, ſecundùm quam eſt univerſalis, vel particularis. Qualitas tandem propoſitionis eſt veritas, vel falſitas; ſi enim quærat aliquis, Qualis eſt hæc propoſitio: *Deus eſt ſummè amabilis?* Respondetur, eſſe veram: ſi verò quis interroget Chriſtianum, qualis ſit propoſitio iſta: *Chriſtus non eſt Deus?* ſtatim ipſe Chriſtianus reſpondebit, eſſe falſam: hoc ita prænotato.

Dividitur propoſitio ex parte materiæ in neceſſariam, contingentem, poſſibilem, & impoſſibilem. Propoſitio neceſſaria eſt ea, in qua prædicatum neceſſariò competit ſubjecto; quod quidem evenit, quando prædicatum vel eſt de ipſa ſubjecti eſſentia, vel propria ejus paſſio, ſeu proprietas; ut ſi dicas: *homo eſt animal. homo eſt riſibilis:* animal quippe eſt eſſentiale hominis prædicatum, & riſibilitas quædam illius proprietas. Propoſitio contigens eſt, in qua prædicatum contingenter ſubjecto convenit: quod contingit, quando prædicatum non modò eſt extra ſubjecti eſſentiam, ſed nec etiam eſt ipſius proprietas; ſed eſt accidens merè contingens, quod abſque ſubjecti corruptione adeſſe poteſt, & abeſſe, ut: *Homo eſt albus*. Poſſibilis propoſitio ea vocatur, in qua prædicatum poſſibiliter de ſubjecto dicitur; ita ut prædicatum actu quidem non inſit ſubjecto, ipſi tamen ineſſe poſſit, ut: *Omnes homines ſalvantur*. Propoſitionem denique impoſſibilem eam vocant Dialectici, in qua prædicatum impoſſibiliter ſe habet ad ſubjectum; adeò ut nec ei conveniat, nec ipſi poſſit convenire, ut: *Homo eſt lapis*.

Dividitur 3. ex parte formæ in affirmantem, & negantem; enunciatio namque, quæ est categoricæ propositionis forma, in affirmationem, & negationem adæquatè dividitur. Affirmativa propositio est, in qua prædicatum de subjecto affirmamus; ut: *Deus est sanctus*. Negativa autem propositio est ea, in qua prædicatum subjecto denegatur; ut: *Deus non est injustus*.

Dividitur 4. ex parte quantitatis in universalem, & particularem, indefinitam, & singularem. Propositio universalis est, cujus subjectum signo universali est affectum; ut: *Omnis homo est rationalis*. Particularis propositio illa dicitur, cujus subjectum cum signo particulari conjungitur; ut: *Aliquis homo est justus*. Singularis propositio ea vocatur, in qua subjectum signo singulari coarctatur; ut: *Hic homo est Rex Christianissimus*: vel in qua subjectum est terminus singularis; ut: *Petrus est doctus*. Demùm propositio indefinita est, cujus subjectum nullo afficitur signo; ut *Angelus est immaterialis*. De hac propositione plura diximus supra.

Dividitur 5. ex parte qualitatis in veram, & falsam. Propositio vera est ea, cujus objectum ita se habet, sicut per illam enunciatur; ut: *Leo est substantia*. Propositio falsa est illa, cujus objectum aliter se habet, ac per eam enunciatur, ut: *Leo est rationalis*.

ARTICULUS TERTIUS.

Aliæ propositionis divisiones adducuntur, & explanantur.

DIviditur 6. in absolutam, & modalem. Propositio absoluta est ea, quæ absolutè enunciat prædicatum de subjecto, nec exprimit modum, quo prædicatum conveniat subjecto; ut: *Homo est vivens*: appellatur etiam propositio, *de inesse*, quoniam præcisè affirmat, vel negat, præ-

prædicatum ineſſe ſubjecto. Propoſitio modalis ita nuncupatur, quia modum, quo prædicatum competat ſubjecto, exponit; ut: *Homo neceſſariò eſt vivens*. Eſt autem modalis propoſitio quadruplex: ſcilicet neceſſaria, contingens, poſſibilis, & impoſſibilis. Modalis propoſitio neceſſaria eſt, quæ affirmat, prædicatum neceſſariò convenire ſubjecto; ut: *Deus eſt neceſſariò immenſus*. Propoſitio modalis contingens eſt, quæ aſſerit, prædicatum contingenter ſubjecto competere; ut: *Homo eſt contingenter albus*. Modalis propoſitio poſſibilis eſt, quæ attribuit poſſibiliter prædicatum ſubjecto; ut: *Homo impius eſt poſſibiliter juſtus*. Impoſſibilis tandem propoſitio modalis enunciat impoſſibiliter prædicatum de ſubjecto; ut; *Homo eſt impoſſibiliter arbor*.

Modi autem illi dupliciter poſſunt exprimi; ſcilicet, vel nominaliter, ſeu tanquam nomina; ut dum dicitur: *Neceſſarium, contingens, poſſibile, & impoſſibile*: vel adverbialiter, ſive tanquam adverbia; ut dum dicitur: *Neceſſariò, contingenter, poſſibiliter, & impoſſibiliter*. Ex quo explicari poteſt, quid ſit propoſitio modalis compoſita, & quid diviſa; quarum celebris eſt uſus.

Quando enim modus in propoſitione exprimitur adverbialiter, fit propoſitio modalis diviſa; quia tunc diviſus efficitur ſenſus, itaut prædicatum propoſitionis applicet ſuum formale ſignificatum materiali ſignificato ſubjecti diviſim ſeu ſeparatim à ſignificato formali; exemplum eſt, ſi dicas: *Album eſt poſſibiliter nigrum*: ibi enim *nigrum* applicat ſuum formale ſignificatum, videlicet nigredinem, materiali ſignificato *albi*, nimirum ſubjecto albedinis, diviſim aut ſeparatim à formali ſignificato, nempè ab albedine; ita ut præfatæ propoſitionis, *Album eſt poſſibiliter nigrum*: iſte ſit ſenſus: Subjectum, cui ineſt albedo, poteſt diviſim vel ſeparatim ab ipſa albedine in ſe nigredinem recipere, & nigrum effici; qui quidem ſenſus verus eſt.

Ex qua doctrina facilè colligitur, quomodò modalis propositio divisa sit definienda; legitimè enim sic definitur: *Propositio modalis divisa est illa, quæ divisum exhibet sensum*. Rectâ autem sensus divisi definitio est ista: *Sensus divisus est applicatio significati formalis prædicati ad significatum materiale subjecti, divisim à formali*; hoc totum ex dictis patet.

Si verò modum in propositione nominaliter proferas, erit modalis propositio composita; quoniam tunc compositus redderur sensus, in quo formale significatum prædicati applicabitur materiali significato subjecti, composito seu conjuncto cum formali; exemplum erit si dicas: *Album esse nigrum est possibile*: ea quippe in propositione, *nigrum*, applicabit suum formale significatum, nempè nigredinem, materiali significato *albi*, sive albedinis subjecto, cum ipsa albedine composito: ita ut propositio illa: *Album esse nigrum est possibile*, hunc reddat sensum: subjectum albedinis remanens cum albedine conjunctum, potest simul nigredinem recipere, & fieri nigrum; quod omninò falsum est, & impossibile.

Ex qua doctrina etiam facilè infertur, quæ sit modalis propositionis compositæ definitio, quæ est hæc: *Propositio modalis composita est ea, quæ compositum efficit sensum*. Conveniens verò sensus compositi definitio est hujusmodi: *Sensus compositus est applicatio significati formalis prædicati ad significatum materiale subjecti, cum formali conjunctum*. Quod totum pariter ex dictis constat.

Quamvis autem res ita se habeat, adeò ut omnis propositio modalis divisa divisum reddat sensum, & in omni propositione modali composita sensus compositus inveniatur; utramque tamen solemus distinguere, claritatis gratia; si quis enim dicat: *Album est possibiliter nigrum*: *album esse nigrum est possibile*: duas propositiones istas sic distinguimus: *In sensu diviso*, id est, divi-

dividendo nigredinem ab albedine, concedimus: *In sensu composito*, id est, nigredinem cum albedine componendo, negamus. Et eodem proportionali modo de omnibus aliis propositionibus modalibus ratiocinamur.

Propositio Categorica in exponibilem, & exponentem, ultimò dividitur. Exponibilis propositio ea vocatur, quæ, ob aliquam dictionem, quam includit, obscuriori redditsensum, ideòque indiget, ut per aliam clariorem exponatur, quæ idcircò *exponens* nuncupatur. Propositio exponibilis triplex est; videlicet exclusiva, exceptiva, & reduplicativa; quibus totidem exponentes correspondent. Exclusiva propositio est, quæ dictionem seu particulam exclusivam involvit, cujusmodi sunt *duntaxat*, *tantùm*, *solùm* &c. Et quidem si particula exclusiva ex parte subjecti ponatur, excludit omne aliud subjectum à participatione prædicati ut: *Homo duntaxat est rationalis*: ibi namque omnia subjecta ab homine distincta à participatione *rationalis* excluduntur, adeò ut propositio illam exponens & explicans hæc sit: *Nullum subjectum ab homine distinctum est rationale*. Si verò particula excludens ex parte prædicati collocetur, tunc à subjecto excludit omnia alia prædicata cum isto non connexa, ut: *Homo est animal rationale tantùm*: ubi omnia prædicata cum animali rationali non connexa ab homine excluduntur: unde illa propositio sic debet exponi: *Homo est animal rationale, & nihil amplius*: in hujusmodi tamen propositione non excluduntur ab homine proprietates *animalis*, ut *videns*, *audiens* &c. neque proprietates *rationalis*, ut *risibile*, *admirativum* &c. quoniam priores proprietates cum *animali*, & posteriores cum *rationali*, necessariò connectuntur.

Exceptiva propositio illa vocatur, quæ dictione aut particula exceptiva afficitur; ut sunt *præter*, *extra* &c. dictio autem *exceptiva* sic appellatur, quoniam à subjecto universaliter sumpto

aliquid excipit; ut *Omne animal, præter hominem, est irrationale*. Exponitur verò exeeptiva propositio, si verbo, *excipio*, utamur, dicendo; v. g. *Omne animal, excepto homine, est irrationale*. Propositio reduplicativa dicitur ea, quæ dictione aut particulare duplicativa invenitur affecta; ut sunt; *Inquantùm*, *quatenus*, *secundùm quod &c.* hæ verò dictiones *reduplicativæ* ouncupantur, quia pet eas propositionis subjectum quasi duplicatur; exemplum est; *Homo inquantùm homo est rationalis*; ubi *homo*, qui est subjectum, duplicatur.

Particula autem teduplicativa multiplieiter potest in ptopositione inveniti. Primò ita ut reduplicet causam, ob quam prædicatum convenit subjecto; ut in hac propositione: *Homo inquantùm rationalis est risibilis*: & tunc propositio reduplicativa per particulam causalem *quia*, vel similem, est exponenda: diceodo, v. g. *Quia homo est rationalis, est risibilis*.

Secundò, reduplicativa particula quandoque reduplicat rationalem formalem, sub qua sola potest prædicatum conveoire subjecto; ut in ista ptopositione: *Paries inquantum est coloratus, est visibilis*: sub sola quippe formali ratione *colorati*, potest visibilitas parieti competere. Exponitur verò tunc reduplicativa propositio, has particulas, *sub formali ratione*, usurpando; sic v. g. procedendo: *Paries sub formali ratione colorati est visibilis*. Tettiò tandem per teduplicativam particulam interdum sola materialis ratio, cui attribuitor prædieatum, designatur; ut: *Corvus inquantùm est animal, est niger*: & tunc ad expositionem teduplicativæ propositionis, hæ partieulæ, *quantùm ad id*, *quod est*, vel similes, sunt adhibendæ; hoc modo v. g. loquendo: *Corvus, quantùm ad id, quod est animal, (sive corpus animale) est niger*.

Notant tamen communiter Dialectici, quòd si particula, *inquantùm*, vel alia similis, materialem tantùm desigoet rationem, ptopriè ipsa redu-

reduplicativè non sumatur, sed specificativè; ita ut propriè non reduplicet, sed specificet seu designet rationem materialem aut subjectivam, in qua prædicatum recipitur ac subjectatur. Observant quoque Philosophi, particulam, *secundùm*, aut similem, quæ aliquando est reduplicativa, esse etiam quandoque diminutivam; dum nimirum efficit, ut terminus, qui potuisset pro toto supponere, pro parte solùm accipiatur; ut: *Æthiops est albus secundùm dentes*: ubi terminus iste, *Albus*, qui pro toto corpore humano potest supponere, per particulam illam, *secundùm*, ad hoc coarctatur, ut pro sola Æthiopis parte, videlicet pro dentibus, diminutivè sumatur. Non est tamen particula diminuens adhibenda, quando terminum pro una parte duntaxat debere accipi, absque dubio certum est & clarum. Unde omni particula diminuente seclusa, absolutè dicimus, Petrum esse crispum; quoniam evidens est, crispitudinem solis convenire capillis.

Articulus Quartus.

De proprietatibus propositionis, & primò de Oppositione.

POst explicatam Propositionis naturam, proprietates ad ipsam consequentes superfunt exponendæ, quæ sunt tres: nempè oppositio, æquipollentia, & conversio; de quibus deinceps agendum est; & primò quidem de Oppositione, quæ inter illas primum obtinet locum.

Oppositio propositionum solet definiri: *Affirmatio & negatio ejusdem de eodem*: sive clariùs; *repugnantia duarum propositionum, quarum una est affirmativa, & negativa altera; quæque eodem subjecto constant & prædicato*. Unde ad duarum propositionum oppositionem propriè dictam duæ conditiones requiruntur. Prima

est, ut in utraque propositione idem sit subjectum, idemque prædicatum; ita ut si ex parte subjecti, aut prædicati, vel minima variatio quoad sensum contingat, oppositio tollatur; hinc propositiones istæ non opponuntur: *Aliquis homo est contingenter albus; aliquis homo non est necessariò albus.* Altera conditio est, ut una propositio sit affirmans, & altera negans. Defectu cujus conditionis, istæ propositiones propriè non sunt oppositæ: *Omnis homo est rationalis: aliquis homo est rationalis.*

Quadruplex vulgò statuitur oppositio: nempè contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna. Oppositio contradictoria est inter duas propositiones, quarum una est universalis, & particularis altera; una affirmans, & altera negans, ut; *Omnis homo est vivens; aliquis homo non est vivens: Nullus homo est lapis; aliquis homo est lapis.* Addi debent propositiones singulares, quarum una affirmat id, quod negat altera, ut: *Petrus hodiè disputat; Petrus hodiè non disputat:* hujusmodi enim propositiones esse contradictorias censent omnes.

Regula pro propositionibus contradictoriè oppositis est, eas nunquam posse simul esse veras, vel simul falsas. Si enim istæ essent simul veræ: *Omnis homo est vivens; aliquis homo non est vivens:* idem esset simul & non esset; quod est contra commune axioma: *Idem esse, & simul non esse, nequit:* siquidem omnis homo esset vivens, ut supponitur; quoniam hæc propositio: *Omnis homo est vivens,* supponeretur vera: & simul omnis homo non esset vivens; quia ista propositio foret vera: *Aliquis homo non est vivens.*

Præterea, si eædem propositiones forent simul falsæ, idem iterum simul esset, & non esset; nam illa propositio: *Omnis homo est vivens:* simul esset falsa, & non esset. Foret quidem falsa, ut

ut ſupponitur; quòd autem non foret falſa, ex eo oſtenditur, quòd ſi illa propoſitio: *Omnis homo eſt vivens*: dicarur falſa; idcircò diceretur talis, quia verum eſt, aliquem hominem non eſſe viventem; hoc autem in facta ſuppoſitione non eſſet verum, ſed falſum; quandoquidem in illa ſuppoſitione, iſta propoſitio: *Aliquis homo non eſt vivens*: falſa foret.

Oppoſitio contraria eſt inter duas propoſitiones univerſales, quarum una affirmativa eſt, & altera negariva, ut: *Omnis homo eſt vivens; nullus homo eſt vivens: Nullus homo eſt albus; omnis homo eſt albus*. Regula pro contrariis propoſitionibus eſt, illas in materia contingenti poſſe eſſe ſimul falſas; ut patet in his duabus propoſitionibus ſuprà allatis: *Omnis homo eſt albus; nullus homo eſt albus*. Prætereà eadem regula aſſerit; unam ex propoſitionibus contrariis poſſe eſſe veram, & alteram falſam, in materia neceſſaria; prout liquet in iſtis propoſitionibus ſuprà poſitis: *Omnis homo eſt vivens; nullus homo eſt vivens*: ubi prior eſt vera, & poſterior falſa.

Docet quoque hujuſmodi regula, ambas propoſitiones contrarias in nulla materia poſſe eſſe ſimul veras. Siquidem ſi duæ propoſitiones contrariæ ſuprà allatæ: *Omnis homo eſt vivens; nullus homo eſt vivens*: forent ſimul veræ; iſta propoſitio: *Omnis homo eſt vivens*: eſſet vera, & ſimul non eſſet: eſſet quidem vera; ut ſupponitur: non eſſet autem vera; quoniam hæc ſupponeretur vera · *Nullus homo eſt vivens*; quæ totum negat, quod alrera aſſerebat.

Oppoſitio ſubcontraria eſt inter duas propoſitiones particulares, quarum una eſt affirmans, & alrera negans; ut; *Aliquis homo eſt vivens; aliquis homo non eſt vivens: Aliquis homo eſt albus; aliquis homo non eſt ablbus*. Regula pro propoſitionibus ſubcontrariè repugnantibus eſt, eas in materia contingenti poſſe inveniri ſimul veras; ut perſpicuum eſt in his duabus propoſitionibus:

Aliquis

aliquis homo est albus; aliquis homo non est albus. Asserit etiam eadem regula, ex duabus subcontrariis propositinnibus in materia necessaria constitutis, unam esse veram, & falsam alteram; hoc qunque manifestum est in duabus illis propositionibus: *aliquis homo est vivens; aliquis homo non est vivens*: prima namque vera est, & falsa secunda.

Docet insuper hujusmodi regula, duas propositiones subcontrarias nunquam esse simul falsas. Ratio est; quia, ut ostendimus suprà, duæ propositiones contrariæ nunquam inveniuntur simul veræ: si verò duæ subcontrariæ forent simul falsæ, duæ contrariæ reperirentur simul veræ; si etenim ambæ propositiones istæ: *aliquis homo est vivens; aliquis homo non est vivens*: dicerentur simul falsæ, illarum contradictoriæ: *nullus homo est vivens*: (quæ contradictoriè opponitur huic: *aliquis homo est vivens*;) & *omnis homo est vivens* (quæ est contradictoria istius: *aliquis homo non est vivens*:) forent simul veræ; quoniam cum propositinnes contradictoriæ, neque in veritate, neque in falsitate, sociari possint; eo ipso, quòd una est falsa, altera sit vera necesse est; duæ autem propositiones illæ: *nullus homo est vivens*; & *omnis homo est vivens*: sunt contrariæ.


Denique oppositio subalterna est inter duas propositiones, quarum una universalis est, & altera particularis; atque utraque vel affirmans, vel negans. In materia contingenti nonnunquam una propositionum subalternarum est vera, & altera falsa; ut isto in exemplo contingit; *omnis homo est albus; aliquis homo est albus*: posterior quippe vera est, sed prior est falsa. Aliquando utraque falsa est in materia necessaria; ut videre licet in illis duabus propositionibus; *nullus homo est animal; aliquis homo non est animal*. Demùm quandoque in materia necessaria ambæ subalternæ sunt veræ; ut manifestum est in ista dupli-

plici propositione: *omnis homo est vivens; aliquis homo est vivens*.

At, ut verum fatear, oppositio subalterna nequit propriè oppositio nuncupari: ut enim suprà dictum est, ad propriè dictam oppositionem requiritur necessariò, ut una propositio sit affirmans, & altera negans; in subalterna autem oppositione ambæ propositiones sunt vel affirmantes, vel negantes, ut ex dictis liquet.

Ut autem superiùs posita faciliùs capiantur, sequentem tabellam subjicere operæ pretium est.

Omnis homo est vivens,	Nullus homo est vivens.
Omnis homo est lapis,	Nullus homo est lapis.
Omnis homo est albus,	Nullus homo est albus.



Subcontrariæ.

Aliquis homo est vivens,	Aliquis homo non est vivens.
Aliquis homo est lapis,	Aliquis homo non est lapis.
Aliquis homo est albus,	Aliquis homo non est albus.

A n-

Articulus Quintus.

De æquipollentia propositionum, & earum conversione.

Secunda propositionis proprietas, est æquipollentia, cujus hæc est definitio, vel desc'ptio: *Æquippollentia propositionum est eadem vis, idemque sensus duarum propositionum oppositarum ex æquipollentia signorum proveniens.* Tres sunt autem regulæ ad constituendam inter oppositas propositiones æquipollentiam, quæ solent hoc versu comprehendi.

Præ. contradic. post. contra. præ. post. que subalter.

Ptiores particulæ *præ. contradic.* designant, quænam regula sit servanda, ut duæ propositiones contradictotiæ efficiantur æquipollentes; negatio quippe præponenda est signo, quo afficitur subjectum unius propositionis contradictoriæ; & tunc ipsa æquipollens seu æquivalens alteri tedditur; sic vetbi g. si duas propositiones istas contradictorias *Omnis homo est vivens; aliquis homo non est vivens*; æquipollentes velis efficere, tibi dicendum erit: *Non omnis homo est vivens.* Cùm etenim negatio, seu negans particula, *non*, sit naturæ malignantis, (ut habet commune axioma) ita ut totum destruat, quod post se repetit; dum signo universali affitmativo, *omnis*, ptæponitur, ejus univetsalitatem & affirmationem desttuit, ipsumque teddit particulare negativum; adeò ut idem omninò sit, *Non omnis*, ac *Aliquis non*, & ideò: *Non omnis homo est vivens*, eundem exhibet sensum, ac ista: *Aliquis homo non est vivens*: ptoindèque duæ propositiones illæ sunt in sensu æquipollentes.

Mediæ particulæ *post. contra.* secundam tradunt regulam, quam obsetvate tenemut, si pro-

po-

poſitiones contrarias reddere æquipollentes cupiamus. Negatio itaque poſtponenda eſt integro unius propoſitionis contrariæ ſubjecto, eſtque ante copulam immediatè colocanda; quo facto, æquipollentes fient propoſitiones, quæ anteà contrariè opponebantur. Si ergo tibi eſt in animo, ut has propoſitiones contrarias: *Omnis homo eſt vivens; nullus homo eſt vivens*: æquipollentes efficias; hoc modo tibi eſt procedendum *Omnis homo eſt vivens; nullus homo non eſt vivens*; cùm enim tunc negatio, ſeu particula negativa, *non*, ante illud ſignum univerſale, *nullus*, minimè ponatur, ſed poſt ipſum collocetur; ejus univerſalitatem non deſtruit, ſed intactam ſervat & illæſam: attamen quia negatio illa immediatè afficit copulam totius propoſitionis, tollit totam ipſius negationem, quæ penes copulam attenditur; ſicque illa negans particula, ſignum, *nullus*, ex univerſali negativo, univerſale affirmativum efficit; ita ut apud Dialecticos idem æquivalenter ſignificet: *Nullus non*, ac *Omnis*; & idcircò duæ propoſitiones iſtæ: *Omnis homo eſt vivens; nullus homo non eſt vivens*: ſunt propriè æquivalentes, ſive æquipollentes.

Eadem ſervanda eſt regula ad æquipollentiam inter propoſitiones ſubcontrarias conſtituendam. Si etenim has propoſitiones ſubcontrarias: *Aliquis homo eſt vivens; aliquis homo non eſt vivens*; æquipollentes reddere concupiſcis; hoc abſque negatio præſtabis, ſi prædictam ſerves regulam, ſcilicet negationem poſtponendo prioris propoſitionis ſubjecto integro, & dicendo: *Aliquis homo non eſt vivens*: quæ quidem propoſitio æquivalens eſt poſteriori, ut conſideranti patebit.

Poſtremæ tandem particulæ *præ. poſt. quæ ſub.alter.* tertiam & ultimam inſinuant regulam ad æquipollentiam inter propoſitiones ſubalternas conſtituendam. Itaque ſi duas propoſitiones ſubalternas æquipollentes velis efficere, præponenda

est & postponenda negans particula, *non*, unius propositionis signo atque subjecto; sic v.g. si has propositiones subalternas: *Omnis homo est vivens: aliquis homo est vivens*: reddere æquipollentes ipse decernas; ita dices: *Omnis homo est vivens*; *non aliquis homo non est vivens*: cùm etenim, *non aliquis non*, idem significet, ac *omnis*, ex communi Dialecticorum usurpatione; hæc propositio: *Non aliquis homo non est vivens*: manifestè æquivalet isti: *Omnis homo est vivens*.

Tertia & ultima propositionis proprietas est unius in aliam conversio, quæ sic potest definiri: *Unius propositionis in aliam mutatio, per solam transpositionem prædicati in subjectum, & subjecti in prædicatum, servata eadem propositionis forma.* (id est, eadem affirmatione, vel negatione) *& qualitate*; (id est, eadem veritate, aut falsitate.) Fit autem propositionum conversio argumentando, & unam propositionem ex alia conversa legitimè inferendo; ut; *Nullus homo est lapis*; *ergo nullus lapis est homo*. Propositio, quæ convertitur, dicitur *conversa*; ea verò, in quam convertitur, *convertens* nuncupatur.

Conversio generaliter sumpta duplex est: una *in terminis*, & altera per *contrapositionem terminorum*. Prior est illa, in qua iidem servantur termini; ut in exemplo allato: *Nullus homo est lapis*; *ergo nullus lapis est homo*: ubi nullus terminus mutatur. Posterior autem est, in qua termini contraponuntur; ita ut ante conversionem sint finiti, & per conversionem in infinitos trasmutentur. Terminus finitus ille dicitur, qui finitam aut determinatam habet significationem; ut: *Homo*, qui determinatè humanam naturam designat. Terminus verò infinitus ille vocatur, qui ratione sibi præfixæ negationis, indeterminatam & quodam modo infinitam obtinet significationem, ita ut verè de omnibus affirmetur, uno solo excepto; ut *Non homo*; de omnibus quippe rebus, *Non homo*, verè prædicatur, solo ho-

homine exepto; *leo enim est non homo*, *arbor est non homo*, *lapis est non homo*, *&c.* Itaque in conversione per *contrapositionem*, termini antea finiti in infinitos commutantur; ut: *Omnis homo est rationalis; ergo omne non rationale est non homo.*

Conversio in terminis duplex est: una simplex, altera per accidens. Prima est, in qua propositionis quantitas id est, universalitas, vel particularitas, immutata perseverat; sic convertuntur propositiones negativæ universales; ut: *Nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo;* & articulares affirmantes; ut: *Quidam homo est Philosophus;ergo quidam Philosophus est homo.*

Conversio per accidens ea dicitur, in qua propositionis quantitas, non servatur, sed propositio universalis in particularem variatur; ut: *Omnis homo est vivens; ergo aliquod vivens est homo; Nullus homo est arbor: ergo aliqua arbor non est homo.* Memoriæ autem juvandæ causa, excogitati sunt hi versus, quibus omnes conversionum regulæ singulari arte continentur.

Feci simpliciter convertitur, Eva per accid.
Asto per contrap. sic fit conversio tota.

In duabus istis versibus tria sunt vocabula, nempè *Feci*, *Eva*, *& Asto*; in quibus considerandæ sunt quatuor vocales; nimirum *A*, *E*, *I*, *O*; quarum prima, *A*, designat propositionem universalem affirmantem; secunda, *E* designat propositionem universalem negantem: tertia, *I*, denotat propositionem affirmativam particularem: quarta tandem, *O*, significat particularem propositionem negantem; prout explicant isti duo alii versus.

Asserit, A, *negat*, E; *verùm generaliter ambo*:
Asserit, I, *negat*, O; *sed particulariter ambo.*

Prio-

Priorum ergo versuum iste est sensus. In illa voce, *Feci*, duæ vocales reperiuntur, nimirum *E*, & *I*, quæ insinuant, propositionem universalem negantem, itemque particularem affirmantem, converti simpliciter, seu conversione simplici, ut in istis suprà allatis exemplis liquet: *Nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo: Quidam homo est Philosophus; ergo quidam Philosophus est homo.*

Altera vox, *Eva*, duas vocales, *E*, & *A*, comprehendens, nobis ostendit, propositionem negativam universalem, itemque universalem affirmantem, converti posse per accidens, ut hæc exempla declarant: *Nullus homo est arbor; ergo aliqua arbor non est homo: Omnis homo est vivens, ergo aliquod vivens est homo.*

Denique vox, *Asto*, duas quoque vocales, nempè A, & O, includit; & indicat, propositionem affirmativam universalem, & particularem negantem, posse converti per contrapositionem terminorum; ut in his exemplis patet satis: *Omnis homo est rationalis; ergo omne non rationale est non homo: Aliquis homo est albus; ergo aliquod non album non est non homo.*



I N-



INSTITUTIONUM LOGICALIUM PARS TERTIA.

QUÆSTIO UNICA.

De Argumentatione.



N prima & secunda Logicalium institutionum parte disseruimus fusè de his, quæ ad primæ & secundæ operationis intellectus directionem ordinantur; nimirum de Termino & Propositione: in hac tertia parte superest agendum de Argumentatione, qua tertia & ultima mentis operatio regulatur; ex notitia quippe argumentationis mens ad rectè perfectèque discurrendum instruitur, id est, ad legitimè unum ex alio inferendum: tertia autem intellectus operario *discursus* appellatur, quo consequens ex antecedente infertur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex sit argumentatio, & quæ sint ejus regulæ?

PErvulgata argumentationis definitio ista est: *Argumentatio est oratio, in qua unum ex alio infertur*, ut: *Avis respirat; ergo habet pulmones.*

Ad cujus intelligentiam considerandum venit quatuor esse in Argumentatione; scilicet, antecedens, consequens, consequentiam, & illationis notam. *Antecedens* est prior propositio, ex qua alia infertur. *Consequens* est altera propositio, quæ ex priori consequitur. *Consequentia* est consequentis ex antecedente illatio. *Nota* demum illationis est particula illa, quæ ad inferendum consequens ex antecedente assumitur; qualis est particula *ergo*.

Argumentatio triplex est: alia Conditionalis, alia Causalis, & alia Rationalis. Argumentatio Conditionalis est, in qua per particulam conditionalem, *si*, ex antecedente consequens colligitur; ut: *Homo volaret, si alas haberet*. Causalis argumentatio ea vocatur, quæ particula causali, *quia*, vel simili, utitur, ad consequens ex antecedente, tanquam effectum ex causa, deducendum; ut: *Homo est risibilis, quia est rationalis*; rationalitas quippe causa est risibilitatis. Denique argumentatio Rationalis illa est, in qua particula rationali, *ergo*, vel similis, assumitur, ad consequens ex antecedente, ratiocinando, sive discurrendo, inferendum. Relicta argumentatione conditionali & causali, cujus apud Philosophos rarus debet esse usus.

Argumentatio rationalis solet à Dialecticis in Syllogismum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum, distribui. Syllogismus legitimè potest definiri: *Oratio constans ex duabus præmissis unientibus extrema cum medio, & conclusione extrema inter se uniente*. Syllogismus quippe ex tribus propositionibus componitur, quarum duæ priores *præmissæ* nuncupantur; quoniam ante tertiam præmittuntur. Tertia autem, *Conclusio* appellatur, quia in ipsa, quod probandum erat, concluditur.

Præterea in Syllogismo tres Termini inveniuntur, quorum duo dicuntur *extrema*; eò quòd sint extrema conclusionis, scilicet subjectum & prædica-

dicatum; alius autem terminus vocatur *medium*; quoniam eſt veluti nexus medius, cum quo extrema in præmiſſis copulantur, ut poſteà in concluſione inter ſe uniantur: hæc omnia in iſto Syllogiſmo patent.

Omne rationale eſt riſibile:
Atqui omnis homo eſt rationalis:
Ergo omnis homo eſt riſibilis.

Ibi namque tres propoſitiones conſpiciuntur; quarum duæ priores ſunt præmiſſæ, & poſtrema eſt totius Syllogiſmi concluſio: *homo* autem, & *riſibilis*, ſunt *extrema*; quoniam *homo* in concluſione eſt ſubjectum, & *riſibilis* prædicatum: *rationale* autem eſt *medium*; quia cum ipſo *homo*, & *riſibile*, in præmiſſis uniuntur.

Itaque ſyllogiſmus eſt oratio conſtans ex duabus præmiſſis unientibus extrema cum medio, & concluſione uniente extrema inter ſe. Ex eo enim, quòd extrema eum medio in præmiſſis uniuntur, rectè unio eorum inter ſe in concluſione infertur; juxta illud axioma communiter uſurpatum: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*.

Dum ſyllogiſmus dicitur *oratio*, ejus ratio generica deſignatur, in qua cum definitione, & diviſione, aliiſque argumentationum ſpeciebus convenit. Per alias verò particulas in definitione poſitas, ab illis omnibus diſtinguitur.

Ex dictis innoteſcit illa ſyllogiſmi definitio, quam Ariſtoteles 1. Prior. cap. 1. tradit his verbis: *Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quidpiam neceſſariò ſequitur, eò quod hæc ſint*. Senſus enim eſt, ſyllogiſmum eſſe orationem, in qua, poſitis præmiſſis ordinatè diſpoſitis, concluſio ex vi ordinatæ diſpoſitionis præmiſſarum neceſſariò ſequitur.

Enthymema eſt genus argumenti non ſolùm apud Rhetores, verùm etiam apud Philoſophos

Lu-

longè usitatissimum, duplici propositione constans, antecedente nempè & consequente: tertia autem propositio, quæ non exprimitur, in animo retinetur; unde est syllogismus integer in mente, mutilatus verò & imperfectus solùm in voce. Hinc syllogismus & enthymema specie non differunt, sed duntaxat sicut perfectum & imperfectum intra eandem speciem.

Inductio duplex est; una per modum ascensus, & per modum descensus altera. Prior definitur: *Argumentatio, in qua ex antecedente particularia sufficienter enumerante, consequens infertur, quod universale comprehendit*, ut: *Hic homo est rationalis, iste est rationalis, ille est rationalis, &c. ergo omnis homo est rationalis*. Inductio per modum descensus, sic potest definiri: *Argumentatio, in qua ex antecedente continente universale, consequens infertur, quo particularia recensentur*, ut. *Omnis homo est rationalis: ergo hic homo est rationalis, iste est rationalis, ille est rationalis, &c.* Exemplum *est argumentatio, in qua ex antecedente unum, aut alterum singulare adducente, aliud singulare, ad modum consequentis, infertur*; ut si hoc conficias argumentum: *Deus D. Petro, & D. Magdalenæ, pœnitentibus pepercit; ergo etiam tibi parcet, si similem agere volueris pœnitentiam.*

Ex quo facilè colliges, inductionem, & exemplum differre solùm sicut perfectum & imperfectum in eadem specie: in hoc etenim duntaxat inductio, & exemplum, distinguuntur, quòd inductio perfectè omnia enumeret singularia; exemplum verò ea imperfectè tantùm recenseat, unum, vel alterum duntaxat afferendo.

Quatuor allatis speciebus argumentationis, quinta addi potest, quæ Dilemma nuncupatur, quod Rhetoribus valdè est usitatum, & Philosophis admodùm familiare; cujus antecedens est disjunctiva propositio, ex qua consequens infertur, quo adversarius mirum in modum urgetur;

quid-

quidquid ipſe reſpondeat, ut videre licet in hoc adversùs impios dilemmate, quo ipſi infelices probantur: *Impii, vel in morte toti pereunt, vel animæ eorum remanent immortales? ſi toti in morte pereunt; ergo nulla ſpes eis relinquitur: ſi verò animæ illarum manent immortales; ergo æternis, ob impietatem, pœnis torquebuntur.*

Tres autem ſunt bonæ argumentationis regulæ. Prima eſt hæc: *Ex antecedente vero ſemper ſequitur conſequens verum, & nunquam falſum.* Siquidem illud ſolùm ex vero legitimè ſequitur, quod cum vero connectitur: verum autem ſolius veri connexionem paritur, & falſi reſpuit ſocietatem. Hinc inferes, legitimum eſſe arguendi modum: *Antecedens eſt verum, ergo & conſequens; & è converſo: Conſequens eſt verum, ergo & antecedens.*

Secunda regula eſt iſta: *Ex antecedente falſo per ſe ſequitur conſequens falſum:* (quia ſolum falſum per ſe cum falſo connectitur) *per accidens tamen nonnunquam ex antecedente falſo infertur conſequens verum.* Res clara fit iſto exemplo: *Omnis arbor eſt rationalis: atqui omnis homo eſt arbor: ergo omnis homo eſt rationalis;* ubi conſequens: *Ergo omnis homo eſt rationalis:* eſt propoſitio vera; non quidem per ſe, ſeu vi antecedentis, ſive vi præmiſſarum: *Omnis arbor eſt rationalis: atqui omnis homo eſt arbor;* quæ ſunt falſæ: ſed per accidens, ſive aliundè, quia ſcilicet aliundè verum eſt hominem eſſe rationalem; ex eo nempè, quòd Rationalitas eſt eſſentiale hominis conſtitutivum, ideòque verè de ipſo affirmatur. Ex quo colliges, hos arguendi modos non eſſe ſemper legitimos: *Antecedens eſt falſum; ergo & conſequens: Conſequens eſt verum; ergo & antecedens:* quoniam nonnunquam ex antecedente falſo per accidens ſequitur conſequens verum, ut patet ex modò dictis.

Tertia regula est: Conclusio semper debiliorem partem sequitur: ita ut si una præmissarum sit universalis, & particularis altera, conclusio esse debeat particularis: si una sit affirmativa, & altera negativa, debeat inferri conclusio negativa. Ratio est: quia præmissæ sunt subordinatæ conclusionis causæ: in causis autem subordinatis effectus debiliorem sequitur partem: dum enim Sol cum equo ad alterius equi generationem concurrit; non Sol, sed equus Sole debilior & inferior, generatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Syllogismi natura amplius explicatur.

SYllogismum esse nobilissimam argumentationis speciem, certum est; ideoque fusius de eo agendum occurrit. Tria verò sunt de illo inquirenda; nempe, quid sit, quotuplex sit, & quæ sint ipsius proprietates. Et primò quidem quid sit syllogismus ex dictis constat satis; quid enim res sit, ipsius definitio exponit: syllogismi autem definitio suprà jam allata est & explicata. Quia tamen syllogismi quidditas, tanquam quoddam rationis compositum, ex materia coalescit & forma; idcirco utraque hæc quidditatis syllogismi pars sigillatim explananda est.

Materia syllogismi duplex est; proxima, nimirum, & remota. Proxima syllogismi materia, sunt propositiones proximè illum componentes, quæ sunt tres; *Major scilicet*, *Minor*, & *Conclusio*. Major propositio ea vocatur, quæ in majori seu priori loco syllogismi collocatur: Minor propositio est illa, quæ minorem sive posteriorem occupat locum: Conclusio tandem est ultima syllogismi propositio, qua syllogismus totus concluditur: exemplum est: *Bonum est amabile*: (en major propositio:) *Atqui Deus est summè bonus*: (en minor propositio:) *Ergo*

Deus

Deus eſt ſummè amabilis: (en concluſio) Remota ſyllogiſmi materia, ſunt termini, ex quibus conſtant propoſitiones ſyllogiſmum conſtituentes.

Hi verò termini ſunt tres. Primus dicitur *majus extremum*, & eſt prædicatum concluſionis; ita autem appellatur, quia ſedem habet in majori propoſitione. Secundus appellatur *minus extremum*, eſtque ſubjectum concluſionis: ſic verò nominatur, quoniam locum habet in minori propoſitione. Tertius tandem dici ſolet *medium*, & eſt ille terminus, cum quo majus extremum, & minus extremum, in præmiſſis uniuntur; ita ut majus extremum unionem cum medio in majori propoſitione conſequatur, minus extremum verò ſimilem cum medio unionem obtineat in propoſitione minori. Totum hoc patet in ſyllogiſmo allato: in eo namque *Deus* eſt minus extremum, & *amabilis* eſt extremum majus; quoniam *Deus* eſt ſubjectum concluſionis, & *amabilis* eſt ipſius prædicatum *bonum* verò eſt medium; quia cum eo majus extremum, nimirum, *amabile*, in majori propoſitione per unionem conjungitur; & ipſi quoque minus extremum, ſcilicet, *Deus*, in minori propoſitione per unionem copulatur.

Ex quibus colliges propoſitionum & terminorum ad ſyllogiſmum pertinentium definitiones. Major namque propoſitio eſt, *In qua maius extremum cum medio unitur*. Minor autem propoſitio eſt, *In qua minus extremum cum medio connectitur*. Concluſio tandem eſt propoſitio, *In qua ambo extrema per mutuam unionem inter ſe immediatè conjunguntur*. Minus extremum *eſt concluſionis ſubjectum*. Majus extremum *eſt ejudem concluſionis prædicatum*. Denique medium *eſt terminus, cum quo ambo extrema in præmiſſis uniuntur*.

Ex dictis colliges quoque, quemlibet ex præfatis terminis bis tantùm eſſe in ſyllogiſmo ponen-

dum; ita ut medium in ambabus præmiſſis duntaxat reperiatur, majus extremum verò in majori & in concluſione ſolùm collocetur, & minus extremum in minori & in concluſione tantummodò inveniatur.

Materia & forma ſibi mutuò correſpondent; unde quia ſyllogiſmi materia duplex eſt, una proxima, remota altera: ſic etiam duplex eſt illius forma; una reſpondens materiæ proximæ, & altera materiæ remotæ correſpondens: prior, *modus ſyllogiſticus* dicitur; poſterior verò, *figura ſyllogiſtica* nuncupatur. Sed de his in ſequenti articulo fuſiùs agetur.

ARTICULUS TERTIUS.

De figuris & modis ſyllogiſmorum.

Figura ſyllogiſtica generaliter ſumpta ſic poteſt definiri: *Diſpoſitio extremorum cum medio, quantum ad ſubjectionem & prædicationem, ordinata ad legitimè concludendam eorundem extremorum inter ſe unionem.* In exemplum ſit iſte ſyllogiſmus: *Omne rationale eſt riſibile: atqui omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſibilis*; ubi extrema, *homo* nempè, & *riſibile*, ita in præmiſſis cum medio, ſcilicet cum *rationali*, per modum ſubjecti & prædicati diſponuntur, ut tandem eorundem extremorum inter ſe unio mutua legitimè concludatur.

Figuræ ſyllogiſticæ tres apud Dialecticos enumerantur, hoc verſiculo comprehenſæ: *ſub. præd. prima: ſed altera bis præd. tertia bis ſub.* Priores particulæ *ſub. præd. prima* deſignant, medium in prima figura debere eſſe ſubjectum in majori propoſitione, & in minori propoſitione prædicatum. Hoc liquet in ſyllogiſmo ſuprà poſito: *Omne rationale eſt riſibile: atqui omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſibilis*: ibi namque medium, nimirum *rationale*, velut

lut ſunjectum in majori propoſitione conſtituitur, & in minori propoſitione tanquam prædicatum.

Aliæ particulæ: *ſed altera bis præd.* indicant, in ſecunda figura medium in ambabus præmiſſis eſſe prædicandum, ſeu debere eſſe prædicatum: hoc patet in iſto ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt rationalis: atqui nullus equus eſt rationalis: ergo nullus equus eſt homo*: ubi medium, ſcilicet *rationalis*, in utraque præmiſſa prædicatur. Per ultimas particulas: *tertia bis ſub.* exprimitur, medium in tertia figura eſſe in ambabus præmiſſis ſubjiciendum, ſeu debere in utraque præmiſſa eſſe ſubjectum; hoc perſpicuum eſt in iſto ſyllogiſmo: *Omne animal eſt ſenſibile: atqui omne animal eſt ſubſtantia; ergo aliqua ſubſtantia eſt ſenſibilis*; ibi etenim medium, nempè *animal*, eſt in utraque præmiſſa ſubjectum.

Modus ſyllogiſticus generaliter acceptus definiri ſolet: *Diſpoſitio propoſitionum ſyllogiſmi, quoad tum ad univerſalitatem, vel particularitatem; affirmationem, aut negationem, ordinata ad rectè concludendum*. Hoc manifeſtum eſt in ſyllogiſmo ſuperiùs poſito: *Omne rationale eſt riſibile: atqui omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſibilis*. In iſto quippe ſyllogiſmo ambæ præmiſſæ univerſales affirmativæ inter ſe ita aptè diſponuntur, ut concluſio univerſalis affirmativa legitimè inferatur.

Modus ſillogiſticus eſt duplex; unus directus, & alius indirectus. Prior eſt ille, in cujus concluſione majus extremum de minori prædicatur; ſicuti contingit in ſyllogiſmo modò allato, in quo *riſibilis* (ſeu majus extremum) in concluſione de homine (ſeu de minori extremo) prædicatur. Poſterior verò eſt, in cujus concluſione è contra majus extremum eſt ſubjectum, & minus extremum eſt prædicatum; ut in hoc ſyllogiſmo videre licet: *Omne animal eſt ſenſibile:*

atqui omnis homo est animal: Ergo aliquod sensibile est homo: subjectum enim conclusionis istius syllogismi est *Sensibile*, quod est majus extremum, utporè in majori propositione positum; & prædicatum est *Homo*, qui est minus extremum, utpotè in minori propositione collocatus.

Modi vero syllogistici ad rectè concludendum utiles, sive directi, sive indirecti, novemdecim apud Dialecticos percensentur, solentque quatuor hisce versibus comprehendi.

Barbara, celarent, darii, ferio, baralipton:
Celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum:
Cesare, camestres, festino, baroco, darapti:
Felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison.

Quator priora vocabula: *Barbara, celarent, darii, & ferio*: designant quatuor modos directos primæ figuræ. Quinque sequentia vocabula: *Baralipton, celantes, dabitis, fapesmo, & frisesomorum*: denotanr quinque ejusdem figuræ modos indirectos. Quatuor priora vocabula tertii versus: *Cesare, camestres, festino, & baroco*: significant quatuor modos utiles in secunda figura. Reliqua sex vocabula: *Darapti, felapton, disamis, datisi, bocardo, & ferison*: exprimunt sex modos in tertia figura utiles.

Antequam verò singulorum modorum exempla proponantur, in memoriam est revocandum, quod dictum est 4. 5. q. præcedentis; nempè vocalem, *A*, designare propositionem universalem affirmantem, *E*, universalem negantem, *I*, particularem affirmantem, &, *O*, particularem negantem. Hoc præmisso. Sit

Singulorum modorum cujuslibet figuræ tabella.

PRimum vocabulum, primum exprimens modum, *Barbara*, tres vocales includit; scilicet,

A, *A*,

A, A, A; quibus significatur, tres propositiones syllogismum in isto modo positum constituentes, scilicet majorem, minorem, & conclusionem debere esse universales affirmantes. Exemplum est.

A, *Omne animal est vivens.* Bar-
A, *Atqui omnis homo est animal.* ba-
A, *Ergo omnis homo est vivens.* ra.

SEcundum vocabulum, *Celarent*, tres etiam vocales involvit; nimirum, *E, A, E*, designantes, majorem syllogismi in hoc modo constituti debere esse universalem negantem, minorem universalem affirmantem, & conclusionem universalem negantem. Exemplum est.

E, *Nullum animal est lapis:* Ce-
A, *Atqui omnis homo est animal:* la-
E, *Ergo nullo homo est lapis.* rent.

IN tertio vocabulo, *Darii*, tres sunt vocales, *A, I, I*; indicantes, majorem syllogismi ad hunc modum pertinentis, esse universalem affirmantem, minorem verò, & conclusionem, esse propositiones particulares affirmantes. Exemplum est.

A, *Omne animal est vivens:* Da-
I, *Atqui quædam substantia est animal:* ri-
I, *Ergo quædam substantia est vivens.* i.

QUartum vocabulum, *Ferio*, tres vocales continet, *E, I, O*, exprimentes, majorem syllogismi in modo isto collocari debere esse universalem negantem, minorem particularem affirmantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

F, *Nullum animal est lapis:* Fe-
I, *Atqui quædam substantia est animal:* ri-
O, *Ergo quædam substantia non est lapis.* o.

IN quinto vocabulo, *Baralipton*, tres priores vocales duntaxat, *A*, *A*, *I*, sunt consideran-dæ; nam ultima seu quarta, O, metri causa tan-tùm additur: significant autem tres illæ voca-les, utramque præmissam syllogismi in hoc mo-do positi esse universalem affirmantem, & con-clusionem particularem affirmantem. Exem-plum est.

A, *Omne animal est vivens:* Ba-
A, *Atqui omnis homo est animal:* ra-
I, *Ergo aliquod vivens est homo.* lipton.

SExtum vocabulum, *Celantes*, tres vocales capit, *E*, *A*, *E*, quibus designatur, majo-rem syllogismi in hoc modo compositi esse uni-versalem negantem, minorem universalem affir-mantem, & conclusionem universalem negan-tem. Exemplum est.

E, *Nullum animal est lapis:* Ce-
A, *Atqui omnis homo est animal:* lan-
E, *Ergo nullus lapis est homo.* tes.

IN septimo vocabulo, *Dabitis*, tres quoque vocales continentur, *A*, *I*, *I*, indicantes, ma-jorem syllogismi in isto modo confecti debere es-se universalem affirmantem, & minorem, ac conclusionem, propositiones particulares affir-mantes. Exemplum est.

A, *Omne animal est vivens:* Da-
I, *Atqui quædam substantia est animal:* bi-
I, *Ergo quoddam vivens est substantia.* tis.

OCtavum vocabulum, *Fapesmo*, tres conclu-dit vocales, nimirum *A*, *E*, *O*, quibus deno-tatur,

tatur, majorem syllogismi in hoc modo effecti esse universalem affirmantem, minorem universalem negantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

A,	*Omne animal est substantia:*	Fa-
E,	*Atqui nullus lapis est animal:*	pes-
O,	*Ergo quædam substantia non est lapis.*	mo.

IN nono vocabulo, *Frisesomorum*, tres priores vocales duntaxat, *I*, *E*, *O*, ad præsens spectant institutum; aliæ verò duæ extremæ, solùm metri causa ponuntur: insinuant autem vocales illæ, majorem syllogismi in hoc modo prolati debere esse particularem affirmantem, minorem universalem negantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

I,	*Quoddam animal est substantia:*	Fri-
E,	*Atqui nullus lapis est animal:*	se-
O,	*Ergo quædam substantia non est lapis.*	somorum.

DEcimum vocabulum, *Cesare*, tres vocales complectitur, *E*, *A*, *E*, quibus declaratur, majorem syllogismi in isto modo effecti esse universalem negantem, minorem universalem affirmantem, & conclusionem universalem negantem. Exemplum est.

E,	*Nullus lapis est animal:*	Ce-
A,	*Atqui omnis homo est animal:*	sa-
E,	*Ergo nullus homo est lapis.*	re.

IN undecimo vocabulo, *Camestres*, tres vocales includuntur, *A*, *E*, *E*, quibus denunciatur, majorem syllogismi in hoc modo formati debere esse universalem affirmantem, minorem verò, & conclusionem, esse propositiones universales negantes. Exemplum est.

A, *Omne animal est vivens:* Ca-
E, *Atqui nullus lapis est vivens:* mes-
E, *Ergo nullus lapis est animal.* tres.

DUodecimum vocabulum, *Festino*, tres vocales sinu suo amplexatur, E, I, O, quibus insinuatur, majorem syllogismi ad hunc modum spectantis esse universalem negantem, minorem particularem affirmantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

E, *Nullum animal est lapis:* Fes-
I, *Atqui quadam substantia est lapis:* ti-
O, *Ergo quadam substantia non est animal.* no.

IN decimo tertio vocabulo, *Baroco*, tres vocales inveniuntur, A, O, O; significantes, majorem syllogismi in hoc modo constituti debere esse universalem affirmantem, minorem verò, & conclusionem, esse propositiones particulares negantes. Exemplum est.

A, *Omne animal est vivens:* Ba-
O, *Atqui quadam substantia non est vivens:* ro-
O, *Ergo quadam substantia non est animal.* co.

DEcimum quartum vocabulum, *Darapti*, tres habet vocales, A, A, I, designantes, ambas præmissas syllogismi istiusmodi esse universales affirmantes, & conclusionem particularem affirmantem. Exemplum est.

A, *Omne animal est substans a:* Da-
A, *Atqui omne animal est vivens:* rap-
I, *Ergo quoddam vivens est substantia.* ti.

IN decimo quinto vocabulo, *Felapton*, tres vocales reperiuntur, E, A, O, indicantes, majorem syllogismi in hoc modo constructi esse universalem negantem, minorem universalem affirman-

mantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

E, *Nullum animal est lapis:* Fe-
A, *Atqui omne animal est substantia:* lap-
O, *Ergo quædam substantia non est lapis.* ton.

DEcimum sextum vocabulum, *Disamis*, tres vocales comprehendit, I, A, I, quibus insinuatur, majorem syllogismi in hoc modo efformati esse particularem affirmantem, minorem universalem affirmantem, & conclusionem particularem affirmantem. Exemplum est.

I, *Quoddam animal est vivens:* Di-
A, *Atqui omne animal est substantia:* sa-
I, *Ergo quædam substantia est vivens.* mis.

IN decimo septimo vocabulo, *Datisi*, tres vocales conspiciuntur, A, I, I, quibus manifestum fit, majorem syllogismi in hoc modo compositi debere esse universalem affirmantem, minorem verò, & conclusionem, propositiones particulares affirmantes. Exemplum est.

A, *Omne animal est sensitivum:* Da-
I, *Atqui quoddam animal est substantia:* ti-
I, *Ergo quædam substantia est sensitiva.* si.

DEcimum octavum vocabulum, *Bocardo*, tres vocales capit O, A, O, quibus significatur, majorem syllogismi hujus modi esse particularem negantem, minorem universalem affirmantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

O, *Quoddam vivens non est animal:* Bo-
A, *Atqui omne vivens est substantia:* car-
O, *Ergo quædam substantia non est animal.* do.

In decimo nono vocabulo, *Ferison*, tres vocales inveniuntur, *E*, *I*, *O*, quibus ostenditur, majorem syllogismi in hoc modo compositi debere esse universalem negantem, minorem particularem affirmantem, & conclusionem particularem negantem. Exemplum est.

E, *Nullum animal est lapis*: Fe-
I, *Atqui quoddam animal est corpus*: ri-
O, *Ergo quoddam corpus non est lapis*. son.

ARTICULUS QUARTUS.

Quæ sint Syllogismorum leges?

Quatuor præcipuæ sunt syllogismorum leges generales. Prima est, ut in omni syllogismo legitimè constituto, tres termini duntaxat inveniantur, scilicet *majus extremum*, *minus extremum*, *& medium*. Ratio est; quia in omni syllogismo rectè constructo necesse est, ut omnes termini in præmissis uniantur cum medio, ut postea in conclusione unio eorum inter se legitimè inferatur; si autem præter tres terminos modo enumeratos, alius in syllogismo terminus reperiretur, ipse cum medio in præmissis non uniretur; ut in hoc syllogismo liquet: *Omne animal est vivens: atqui omnis leo est animal: ergo omnis leo mortuus est vivens*; ubi quartus terminus, nempe *mortuus*, in præmissis non unitur cum medio, quandoquidem in eis minimè invenitur. Ex quo colliges, nullum esse ponendum in conclusione terminum, qui prius in præmissis non extiterit.

Caveas etiam, ne in syllogismo terminus æquivocus reperiatur: hinc non valet: *Omnis canis la-*

latrat; *atqui aliquod sidus cæleste est canis*; *ergo aliquod sidus cæleste latrat*: quoniam *Canis* in majori & in minori positus, est terminus æquivocus. Suppppositio quoque appellatio, aliæque termini proprietates in isto syllogismo conservantur necesse est. Hinc iste syllogismus rectè non concludit: *Homo est species*; *atqui Petrus est homo*; *ergo Petrus est species*: quia ibi suppositio mutatur; *Homo* quippe in majori supponit suppositione simplici, & in minori supponit suppositione reali; ut patet ex dictis 1. p. q. unica a 2.

Secunda lex generalis est, ut medium in altera præmissarum distributivè supponat, id est, in sensu universali accipiatur. Ratio est, quia ut legitimus sit syllogismus, debet medium esse in eo perfectè unum, ut perfectè cum illo extrema uniantur: si autem medium in neutra præmissarum distribuatur, sed in utraque modo particulari sumatur; erit quidem unum, si vox consideretur; sed erit multiplex, si sensus ratio habeatur; unde non valet: *Aliquod animal est rationale*: *atqui aliquis equus est animal*; *ergo aliquis equus est rationalis*: non valet inquam, quia hujus syllogismi medium, videlicet *Animal*, modo distributivo seu universali non supponit, sed in utraque præmissa modo particulari accipitur; unde ipsum *Animal* est quidem unum, quantum ad vocem, quæ in majori & minori una & eadem est; sed quoad sensum, sive quoad rem significatam multiplex est; *animal* quippe in majori designat hominem, qui est animal rationale; in minori verò significat *vivens sensitivum*, quod verè de equo enunciatur: hinc ex communi axiomate: *Ex duabus præmissis particularibus nihil legitime concluditur*.

Tertia lex generalis est, ut terminus, qui in præmissis distributus, sive universaliter acceptus non fuit, in conclusione non distribuatur, sive in sensu universali non sumatur; æquum enim est, ut

ut termini in conclusione eo modo inter se uniantur, quo in præmissis uniti fuerunt cum medio; proindèque si modo non distributo, seu modo particulari, in præmissis uniti fuere cum medio; eodem modo inter se in conclusione uniantur necesse est. Hinc iste syllogismus vitiosus est: *Omne animal est vivens: atqui omne animal est substantia; ergo omnis substantia est vivens*: substantia enim in minori per modum prædicati posita, distributivè non supponit, sed confusè (prædicatum etenim propositionis affirmantis, qualis est illa minor, supponit suppositione confusa, ut dictum est loco citato) & tamen in conclusione supponit distributivè seu universaliter, cùm signo universali, *Omnis*, in illa conclusione afficiatur.

Quarta lex generalis est, syllogismum ex duabus præmissis negantibus compositum non rectè concludere: ut enim syllogismi negativi conclusio recta sit, opus est, ut in ea unum extremum verè ab alio per negationem separetur; adeò ut unum verè de alio negetur, vi præmissarum: hoc verò ita non fit, si ambæ syllogismi præmissæ sint negativæ ut videre licet in hoc syllogismo: *Nullus homo irrationalis est: at qui nullus equus est homo: ergo nullus equus est irrationalis*: hac quippe in conclusione, malè *irrationalis* de equo, vi præmissarum negativarum, negatur; quoniam ex eo, quòd *equus* & *irrationalis* à medio, nimirum ab *homine*, in præmissis per negationem separentur; non sequitur rectè, ea in conclusione per negationem separari. Hinc juxta commune axioma; *Ex præmissis purè negativis nihil sequitur*.

Duæ autem sunt primæ figuræ leges speciales. Prima lex est: ex majori particulari nihil directè concluditur. Hinc vitiosus est iste syllogismus: *Quædam substantia est animal; atqui omnis lapis est substantia; ergo quidam lapis est animal*: ubi medium, videlicet *substantia*, in neutra præmis-

missarum distribuitur, sive universaliter usurpatur; non quidem in majori, ut patet, cùm in ea signo particulari, *quædam*, afficiatur; neque in illa sit prædicatum propositionis affirmantis, quod distributivè non supponit, ut ex dictis patet: & ideò syllogismus ille vitiosè concludit, utpote cùm peccet contra secundam legem generalem.

Secunda lex specialis est: ex minori negativa nihil etiam directè concluditur; ideòque hic quoque syllogismus vitiosus est: *Omne animal est substantia; atqui nullus lapis est animal; ergo nullus lapis est substantia*: in cujus syllogismi conclusione, *substantia*, distributivè supponit, utpote prædicatum propositionis negantis; & tamen in majori distributivè non supponit; utpote prædicatum propositionis affirmantis: sicque syllogismus contra tertiam legem generalem peccat; & ita vitiosè concludat necesse est.

Duæ sunt itidem in secunda figura leges speciales. Prima est: ex duabus præmissis affirmantibus nihil concluditur. Hinc deficit iste syllogismus: *Omne animal est substantia; atqui omnis lapis est substantia; ergo omnis lapis est animal*; medium etenim, nempe *substantia*, in neutra præmissarum distribuitur; cùm in utraque præmissa sit prædicatum propositionis affirmantis: in syllogismo autem legitimè conclu lente debet medium in altera præmissarum distribui, ut ex dictis patet.

Secunda lex specialis est: ex majori particulari nihil concluditur. Hinc non rectè arguitur: *Quædam substantia est animal; atqui nullus lapis est animal; ergo quidam lapis non est substantia*: In hujusmodi enim syllogismi conclusione, *substantia*, distributivè supponit, cùm sit prædicatum propositionis negantis; & tamen in majori non distribuitur, eo quòd in illa signo particulari affirmativo, *quædam*, afficiatur: signum verò particulare affirmativum nunquam distribuitur,

sive

sive nunquam universaliter usurpatur. Ille ergo syllogismus contra tertiam legem generalem peccat, & idcircò vitiosus est.

Duæ etiam sunt speciales tertiæ figuræ leges. Prima est: conclusio syllogismi in hac figura compositi nunquam sit universalis; unde nullus est hic syllogismus: *Omne animal est vivens; atqui omne animal est substantia; ergo omnis substantia est vivens*: qui syllogismus peccat quoque contra tertiam legem generalem, eo quòd *substantia* signo universali affirmativo, *omnis*, affecta in conclusione, distributivè seu universaliter supponit; & tamen non distribuitur in minori, in qua est prædicatum propositionis affirmantis.

Secunda lex specialis est: ex minori negativa nihil rectè concluditur; hinc vitiosus est iste syllogismus: *Omne animal est substantia; atqui nullum animal est lapis; ergo quidam lapis non est substantia*: ubi iterum, *substantia*, in conclusione distribuitur, utpote prædicatum propositionis negantis; & tamen in majori, in qua est prædicatum affirmativæ propositionis, nequaquam distribuitur.

Articulus Quintus.

Quotuplex sit syllogismus, & qua ratione medium inveniatur?

Syllogismus dividi potest, vel ratione materiæ, vel ratione formæ. Duplex est ista secunda syllogismi divisio; una ex parte formæ proximæ, & altera ex parte formæ remotæ; & de utraque divisione ista satis diximus suprà, cum de figuris & modis syllogisticis disseruimus; unde dicendum superest de syllogismi divisione ex parte materiæ proximæ, id est, ex parte propositionum, ex quibus, tanquam ex materia proxima, ipse componitur.

Itaque syllogismus in primis, alius est universalis, cujus nempè conclusio universalis est, ut; *Om-*

Omne animal est vivens: atqui omnis homo est animal: ergo omnis homo est vivens. Alius est particularis, qui videlicet conclusionem habet particularem; ut: *Omne animal est sensitivum: atqui aliquis homo est animal: ergo aliquis homo est sensitivus.* Alius est singularis, qui scilicet conclusionem sibi vendicat singularem, ut: *Primogenitus Ludovici decimi tertii est Rex Francorum: atqui Ludovicus decimus quartus est primogenitus Ludovici decimi tertii: ergo Ludovicus decimus quartus est Rex Francorum.* Hic syllogismus solet *expositorius*, aut *sensibilis* nuncupari; quoniam rem probandam quasi ad sensum exponit.

Docent autem Dialectici, medium syllogismi singularis debere esse ita singulare, ut sit omninò pluribus incommunicabile; adeò ut, si quantumvis singulare, pluribus tamen conveniat, & sic universali quodammodò æquivaleat, syllogismus rectè non concludat; unde vitiosus est hic syllogismus singularis: *Pater est Deus: atqui Filius est Deus: ergo Filius est Pater*: quoniam ibi medium, nempè *Deus*, tribus personis divinis convenit. Et certè æquum est, ut quemadmodùm in syllogismo universali legitimè constituto opus est, ut in eo medium sit universale, & pluribus communicabile; ita etiam in syllogismo singulari juxta leges rectas efformato necesse est planè, ut medium modo singulari & prorsus incommunicabili se habeat.

Præterea celebris est syllogismi divisio in Apodicticum, seu demonstrativum; Topicum, sive probabilem; & Sophisticum, seu fallacem. Syllogismus demonstrativus, seu demonstratio, est syllogismus constans ex propositionibus necessariis, certis, & evidentibus, ut: *Omne rationale est risibile; atqui omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* Syllogismus probabilis est ille, qui ex propositionibus probabilibus constat, ut: *Quod voluptatem affert, non est contemnendum: atqui divitiæ voluptatem afferunt:*

ergo divitiæ non sunt contemnendæ. Sophisma tandem, sive syllogismus sophisticus est ille, qui ex propositionibus reipsa fallis, specie tamen veris, componitur, ut; *Quod probatur pluribus, id quoque melius est: atqui fallere in mercatura, probatur pluribus: ergo id quoque est melius*. Sed de his fusè infrà dicetur.

Denique, aliis syllogismi divisionibus omissis, syllogismus in categoticum, seu simplicem; & hypotheticum, seu compositum, disttibuitut. Prior ille est, in quo omnes propositiones sunt categoricæ seu simplices, ut; *Animal rationale est scientiarum capax: atqui homo est animal rationale: ergo homo est scientiarum capax*. Posteriot autem ille dicitur, cujus majot propositio est hypothetica, seu composita. Triplex est verò hujusmodi syllogismus; scilicet copulativus disjunctivus, & conditionalis. Syllogismua copulativus est, cujus major propositio est copulativa, ut; *Nemo potest servire Deo, & pecuniæ: atqui avarus suæ servis pecuniæ: ergo avarus Deo servire non potest*. Disjunctivus syllogismus est in quo majot propositio est disjunctiva, ut; *Omnes improbi, aut in hac vita sunt puniendi, aut in altera: atqui improbi interdum in hac vita non puniuntur: ergo sunt in altera vita puniendi*. Demùm syllogismus conditionalis est, cujus major est conditionalis propositio, ut; *Si Sol lucet, dies est: atqui in merid e Sol lucet: ergo in meridie dies est*.

Ut autem medii inveniendi modus facilè percipiatur; advertendum est, propositiones probandas, & rectè in syllogismo concludendas, quatenor tantùm esse; nimirum universalem affirmantem, universalem negantem, particularem affirmantem, & patticularem negantem. Itaque ad propositionem universalem affirmantem legitimè concludendam, in medium assumendus est terminus, qui subjecto propositionis inferendæ conveniat, & de quo prædicatum ejusdem conclu-

clusionis universaliter affirmetur; sic v. g. si hanc propositionem universalem affirmantem: *Omnis homo est risibilis*: rectò syllogismo probare atque concludere decernas; *Rationale* est in medium assumendum; quia & convenit homini, qui est illius propositionis seu conclusionis subjectum; & præterea ejusdem propositionis prædicatum, nimirum *risibile*, de rationali universaliter affirmatur; unde optimus est hic syllogismus. *Omne rationale est risibile: atqui omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.*

Ex qua doctrina facilè colliges, quodnam sit assumendum medium ad propositionem particularem affirmantem in rectò syllogismo concludendam; cùm etenim propositio particularis affirmans, in propositione universali affirmante virtualiter contineatur; eodem medio propositio universalis affirmans, & particularis affirmans, rectò in syllogismo & probantur, & concluduntur. Ideòque si particularem propositionem istam affirmantem: *Aliquis homo est risibilis*; velis in syllogismo concludere, iterum *Rationale* est in medium assumendum, atque dicendum: *Omne rationale est risibilis: atqui aliquis homo est rationalis: ergo aliquis homo est risibilis.*

Ad propositionem verò universalem negantem concludendam, hoc accipias medium, quod subjecto propositionis concludendæ sit conveniens, & repugnans prædicato; sic v. g. si hanc propositionem universalem negantem: *Nullus homo est lapis*: concludere intendas, *Animal*, congruum erit medium; quoniam homini competit, & lapidi repugnat: tibi igitur hoc modo erit arguendum: *Nullum animal est lapis; atqui omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.* Hinc medii a propositionem particularem negantem concludendam inventio facillima redditur: nam in universali negante, particularis negans virtual ter comprehenditur; ideòque medium,

dium, quod ad universalem negantem concludendam aptum est, ad coneludendam quoque particularem negantem idoneum omninò est. Itaque si istam particularem negantem; *aliquis homo non est lapis*, concludere desideres, *animal* aptissimum erit medium, & hoc modo erit procedendum; *Nullum animal est lapis*; *atqui aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis*. De his verò locis, qui communes appellantur, & ex quibus erui possunt omnia mediorum genera ad singulas propositiones concludendas, in fine majoris Logicæ fusè dicemus.

Articulus Sextus.

Proprietates Syllogismi explanantur.

ADvertendum est 1. Syllogismos alios esse perfectos, & alios imperfectos. Priores sunt, in quibus consequentia adeò clara est, ut veluti solo naturæ lumine innotescat; cujusmodi sunt syllogismi ad quatuor modos directos primæ figuræ pertinentes. Posteriores verò sunt, quorum consequentia quidem bona est, ipsa tamen non statim perspicitur, sed majori aliqua attentione opus est; cujusmodi sunt omnes syllogismi in aliis modis formati.

Advertendum est 2. quatuor præsertim esse universalia artis syllogisticæ principia; quorum duo syllogismis affirmativis (quorum nempè conclusio affirmativa est) conveniunt, & alia duo negativis syllogismis (quorum scilicet conclusio est negativa) tribuuntur. Duo priora sunt hæc: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: æquum enim est, ut quæ uniuntur aut identificantur uni tertio, etiam uniantur vel identificentur inter se. Aliud principium est: *Dici de omni*: id est quando aliquod prædicatum dicitur de subjecto universaliter sumpto, verè dicitur seu affirmatur de omni contento sub tali subjecto.

Alia

Alia duo posteriora principia sunt ista: *Ea, quorum unum idem est uni tertio, & aliud non est idem, eadem non sunt inter se*: quòd enim duo verè dicantur unum inter se, ex eo provenit, quòd ambo uni tertio perfectè uniantur atque identificentur; hoc autem minimè contingit, si unum eorum identificetur quidem uni tertio, alterum tamen non identificetur. Aliud principium est: *Dici de nullo*: id est, quando aliquod predicatum de subjecto universaliter accepto negativè dicitur, sive negatur, etiam verè negatur de omni comprehenso sub tali subjecto. His præmissis.

Duplex est Syllogismi proprietas: Probatio videlicet, atque Reductio. Probatio est, quando per unum ex allatis principiis, consequentiam perfecti syllogismi esse bonam, protervo eam neganti, probatur. Itaque si quis eò proterviæ deveniret, ut concessis hujus syllogismi affirmativi perfecti ambabus præmissis: *Omne rationale est risibile: atqui omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*: negaret consequentiam; ipsa sic mihi probanda foret: *Quando duo extrema sunt eadem uni tertio, per legitimam consequentiam infertur, illa esse eadem inter se*; ut satis ex primo principio ab omnibus concesso colligitur: *Atqui concessisti in præmissis, hæc duo extrema (homo, & risibile) esse eadem uni tertio (scilicet rationali:) ergo concedere debes, inferri per legitimam consequentiam; illa verò eadem esse inter se, in hac conclusione: ergo omnis homo est risibilis*.

Eadem veritas probari potest per secundum principium, hoc modo procedendo; *Quando aliquod prædicatum rectè de subjecto universaliter sumpto asseritur, etiam legitimè affirmatur de omni contento sub tali subjecto: atqui in majori à te concessa (Risibile) rectè de rationali universaliter accepto asseritur: ergo in conclusione à te concedenda, cum consequentia, legitime de homine, sub*

ra-

rationali contento, affirmatur ; dicendo : ergo omnis homo est risibilis.

Si quis etiam, concessis præmissis perfecti hujus syllogismi negativi : *Nullum irrationale est risibile : atqui omnis equus est irrationalis : ergo nullus equus est risibilis* : consequentiam protervè negaret : mihi sic probanda incumberet : *Ea, quorum unum idem est uni tertio, & aliud non est idem, eadem non sunt inter se* ; ut habetur ex præcedenti principio universali : *atqui ex majori concessa* ; nullum irrationale est risibile ; *risibile non est idem cum irrationali : ex minori etiam concessa* : atqui omnis equus est irrationalis : *equus est idem cum irrationali : ergo in concedenda conclusione, cum consequentia* : ergo nullus equus est risibilis : *equus & risibilis non sunt eadem inter se.*

Eadem veritas alio quoque principio probari potest, hoc modo arguendo : *Quando aliquod prædicatum de subjecto universaliter accepto negatur, etiam vero negatur de omni comprehenso sub tali subjecto : atqui in majori concessa :* nullum irrationale est risibile (*risibile*) *negatur de irrationali universaliter sumpto : ergo in concedenda conclusione, cùm consequentia :* ergo nullus equus est risibilis : (*risibilis*) *verè de equo sub irrationali contento negatur.*

Articulus Septimus.

De ostensiva syllogismorum imperfectorum reductione.

Reductio syllogismorum imperfectorum ad perfectos duplex est : una dicitur *ostensiva reductio*, altera *reductio ad impossibile* nuncupatur : de priori in hoc articulo, & de posteriori in articulo sequenti differemus. Est autem reductio ostensiva, revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum, per solam propositionum conversionem, aut etiam earum transpositionem. Quod ut legiti-

gitimè fiat, observandæ sunt in primis quattuor consonantes: *b, c, d, f.* à quibus incipiunt illa novendecim vocabula artificiosa: *Barbara, celarent, darii, ferio, &c.* superiùs relata, quibus modi omnes syllogistici designantur. Modus enim quilibet imperfectus, vel syllogismus in eo formatus, est reducendus ad perfectum aliquem modum, qui ab eadem incipiat consonante; sic v. g. syllogismus imperfectus in *Baralipton* efformatus, est ad *Barbara* ostensivè revocandus: syllogismus in *Celantes* confectus, ad *Celarent* reducendus est; & ita de aliis, juxta vulgare hoc distichum.

Barbara demonstrat, B; *Celarent,* C, *reducis:*
D, *Redit ad Darii,* F, *redit ad Ferio.*

Observandæ sunt quoque quatuor aliæ consonantes, quæ in quolibet modo imperfecto reperiuntur; nimirum: *S, P, M, C:* quarum hæc est significatio. *S,* ostendit, propositionem, quam designat vocalis immediatè præcedens, esse conversione simplici commutandam. *P,* declarat, propositionem vocali immediatè præcedenti denotatam, esse per accidens convertendam. *M,* indicat, loco mutandas seu transponendas esse præmissas; adeò ut propositio, quæ erat major, fiat minor; & quæ minor erat, major fiat. *C,* tandem insinuat, modos, in quibus invenitur, nempè *Baroco,* & *Bocardo,* reductione ostensiva reduci non posse, sed sola reductione ad impossibile. Totum hoc sequentibus versibus explicatur:

S, *vult simpliciter verti;* P, *verò per accid.*
M, *vult transponi;* C, *per impossibile duci.*

Exemplum sit in hoc syllogismo, in *Fapesmo* efformato:

Fap, *Omne animal est substantia.* A,
es, *Atqui nullus lapis est animal:* E,
mo. *Ergo quædam substantia non est lapis.* O.

Cla-

Clarum est primò, hunc Syllogismum in *Fapesmo* confectum esse ostensive reducendum ad *Ferio*; quia *Fapesmo* incipit à consonante *F*. Perspicuum est secundò, majorem esse convertendam per accidens; quia post primam vocalem sequitur, *P*. Manifestum est tertiò, minorem esse convertendam simpliciter, quoniam post secundam vocalem reperitur *S*. Liquet quartò, transponendas esse præmissas, quia in *Fapesmo* occurrit *M*. Quæ omnia si præstiteris, perfectus iste syllogismus consurget in *Ferio*.

Fe, *Nullum animal est lapis:* E,
ri, *Atqui quædam substantia est animal.* I,
o. *Ergo quædam substantia non est lapis.* O.

Articulus Octavus.

De Reductione ad Impossibile.

Reductio ad impossibile tunc fit, quando concessis à protervo præmissis, & consequentiam simul ac conclusionem iterum ipso negare; statim infertur contradictoria conclusionis ab illo negatæ, quam protervus concedere tenetur; alioquin duas contradictorias simul ipse negaret, quæ proinde apud ipsum forent simul falsæ, quod omninò repugnat. Illata verò ea conclusionis negatæ contradictoria, uni præmissarum à protervo concessarum illicò jungitur, ac demùm in syllogismo perfecto clarè & evidenter concluditur infertur contradictoria alterius præmissæ à protervo concessæ, quam ipse protervus concedat necesse est; quandoquidem concessis perfecti syllogismi præmissis, conclusio negari nequit. Quibus tandem omnibus deducitur protervus ad impossibile, nimirum ad duas contradictorias simul concedendas, quæ proinde apud ipsum erunt simul veræ, utpote simul concessæ: impossibile autem est, duas contradictorias esse simul veras,

ut

ut alibi ostensum est. Exemplum rem efficiet clariotem. Si igitur protervo hunc imperfectum in *Cesare* syllogismum proponam.

Ce,	*Nulla virtus est turpis,*	E.
sa,	*Atqui omnis luxuria est turpis,*	A.
re.	*Ergo nulla luxuria est virtus.*	E.

Et concessis ambabus præmissis, consequentiam atque conclusionem negare præsumat; confestim hujus conclusionis negatæ: *Ergo nulla luxuria est virtus*, contradictoriam propositionem inferam dicendo: *Ergo aliqua luxuria est virtus*: quam ponendo loco minoris, istum perfectum in *Ferio* formabo syllogismum.

Fe,	*Nulla virtus est turpis:*	E,
ri,	*Atqui ex te concedente, aliqua luxuria est virtus;*	I,
o.	*Ergo aliqua luxuria non est turpis.*	O,

Ubi infertur propositio sive conclusio contradictoriè opposita minori prioris syllogismi concessæ à protervo; conclusio namque istius syllogismi posterioris est hæc: *Ergo aliqua luxuria non est turpis*: minor verò prioris syllogismi erat ista: *Atqui omnis luxuria est turpis*: quæ propositiones contradictoriè opponuntur, ut consideranti patebit.

Ad quem verò ex quatuor modis perfectis primæ figuræ, singuli syllogismi imperfecti hac reductione debeant revocari, quatuor dictiones sequentes ad hunc finem à Dialecticis excogitatæ arte singulari declarant: *Nesciebatis*, *Oddiebam*, *Letare*, *Romanis*. Prima dictio, *Nesciebatis*, quinque constat syll bis quæ quinque modis imperfectis primæ figuræ ordinatè correspondent. Prima syllaba, *ne*, re ponder *Baralipton*; denotatque syllogismum imperfectũ in hoc modo formatum esse reducendum ad *Celarent*, cujus conclusio

 est

est universalis negativa, per vocalem, *E*, in illa syllaba positam, designata. Secunda syllaba, *ſci*, correſpondet *Celantes*; & indicat, syllogiſmum imperfectum in hoc modo confectum reduci debere ad *Darii*, cujus concluſio eſt particularis affirmans, quam ſignificat vocalis, *I*, poſita in illa syllaba. Tertia syllaba, *eb*, reſpondet *Dabitis*, ipſaque jubet, ut syllogiſmus imperfectus iſto in modo productus ad *Celarent* iterum reducatur. Quarta syllaba, *at*, correſpondet *Fapeſmo*, monetque, imperfectum syllogiſmum in hoc modo efformatum eſſe revocandum ad *Barbara*, cujus concluſio eſt univerſalis affirmans, indicata per vocalem, A, in illa syllaba contentam. Quinta tandem syllaba, *is*, reſpondet *Friſeſomorum*, docetque, syllogiſmum imperfectum in iſto modo conſtructum eſſe ad *Darii* reducendum.

Secunda dictio *Oddiebam*, quatuor includit syllabas quatuor modis ſecundæ figuræ, *Ceſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*, & *Baroco*, correſpondentes. Prima syllaba *od*, reſpondet *Ceſare*, & denotat, imperfectum syllogiſmum in hoc modo formatum reducendum eſſe ad *Ferio*, cujus concluſio eſt particularis negativa, per vocalem, *O*, poſitam in illa syllaba, deſignata. Secunda syllaba, *di*, correſpondet *Cameſtres*, & indicat, syllogiſmum imperfectum in iſto modo confectum reduci debere ad *Darii*, cujus concluſio eſt particularis affirmativa, quam ſignificat vocalis, *I*, poſita in illa syllaba. Tertia syllaba, *eb*, reſpondet *Feſtino*, ipſaque præcipit, ut syllogiſmus imperfectus iſto in modo productus reducatur ad *Celarent*, cujus concluſio eſt univerſalis negans, quam denotat vocalis, *E*, collocata in illa syllaba. Ultima tandem syllaba, *am*, correſpondet *Baroco*, ac monet, syllogiſmum imperfectum in hoc modo conſtructum, eſſe revocandum ad *Barbara*, cujus concluſio eſt univerſalis affirmans, indicata per vocalem,

lem , *A* , continentam in illa fyllaba .

Denique in duabus poſtremis dictionibus: *Letare Romanis*: ſex fyllabæ conſpiciuntur , quæ ſex modis tertiæ figuræ , *Darapti* , *Felapton*, *Difamis* , *Datiſi*, *Bocardo*, *& Feriſon*, correſpondent. Inſinuant verò ſex illæ fyllabæ , fyllogiſmos imperfectos in illis ſex modis efformatos, eſſe ad eos modos perfectos reducendos , quorum concluſiones per vocales in ſex illis fyllabis poſitas deſignantur; ea proportionali ratione , qua fyllogiſmos imperfectos in quinque modis imperfectis primæ figuræ, & in quatuor ſecundæ figuræ confectos , eſſe ad perfectos reducendos , ſuprà declaratum eſt.

Quænam autem regulæ ſint ſervandæ , ut fyllogiſmi omnes imperfecti ad modos perfectos , juxtà doctrinam traditam, reducantur, ſequentes verſus aperiunt.

Prima minorem adimis , facit è majore minorem .
Celantes minor eſt conrad. min. ſede majoris :
Majorem ſervas , variatque ſecunda minorem :
Tertia majorem varias , ſervatque minorem .

Quorum verſuum ſenſus hic eſt, adhoc , ut fyllogiſmi imperfecti primæ figuræ iſta reductione ad perfectos revocentur , contradictoria concluſionis negatæ ab Adverſario , loco majoris ponenda eſt; & deinde aſſumendo propoſitionem , quæ in fyllogiſmo imperfecto erat major , ipſa loc minoris ponatur, quæ minor ſubinde adimenda eſt.

Atramen, quamvis *Celantes* ad fyllogiſmos aut modos imperfectos primæ figuræ pertineat, oppoſita nihilominùs regula in eo ſervanda eſt; ita ut contradictoria concluſionis à proterve negatæ loco minoris ſit ponenda, & minor fyllogiſmi imperfecti loco majoris in fyllogiſmo perfecto, ad quem reducitur.

Ad legitimam verò fyllogiſmorum imperfecto-

rum secundæ figuræ ad perfectos reductionem, major syllogismi imperfecti est conservanda, & contradictoria conclusionis negatæ loco minoris constituenda. In reducendis randem syllogismis imperfectis tertiæ figuræ ad perfectos, contradictoria conclusionis ab adversario negatæ loco majoris ponenda est, & minor imperfecti syllogismi retinenda.

Exemplum suprà allatum est, dum syllogismum imperfectum secundæ figuræ in *Cesare* reduximus ad perfectum in *Ferio*: ibi namque juxta secundæ figuræ regulam, major syllogismi imperfecti servata est, & contradictoria conclusionis negatæ loco minoris est collocata; ut considerанti patebit.



DISSERTATIO UNICA.

De Modis sciendi juxta Cartesii & Gassendi Discipulos.

TOtuplex fuit antè actis temporibus Philosophorum secta, quotuplex extitit Philosophus; ideòque varios sciendi modos, sive diversa veritatis certò & evidenter cognoscendæ principia, unusquisque statuit.

Veteres Academici (qui vocabantur *Sceptici*, seu consideratores; & qui posteà appellati sunt *Pyrrhonei* à Pyrrhone acerrimo sectæ hujus defensore; & quorum sententia fuit istis temporibus à Renato Cartesio restaurata) unicum certò & evidenter cognoscendæ veritatis principium admittebant; istud nempè: *Ad cognoscendam rerum incognitarum veritatem, semel in vita de rebus etiam certis & manifestis dubitandum est.*

Epicurei verò (quorum doctrinam in multis excitavit Petrus Gassendus) tria hæc sciendi prin-

principia (quæ *Criteria* nuncupabant) agnoverunt: *Sensum scilicet, Anticipationem, & Passionem.* Quæ omnia statim sunt examinanda & explananda.

§. I.

Tota Cartesii de principiis humanæ cognitionis doctrina exponitur.

Renatus Cartesius veterum Academicorum & Pyrrhoneorum sectæ in multis restaurator, sua de humana cognitione principia sic statuit.

Primò dubitandum est de rebus omnibus, etiam certissimis, etiam de Mathematicis demonstrationibus, ad inquirendam veritatem. Quia sufficientem rationem habemus dubitandi de omnibus; vel quia sensus nostri aliquando nos deceperunt, & non est prudentiæ fidere illis, qui nos semel deceperunt; vel quia nonnullos audivimus errasse in iis, quæ nobis videntur quàm notissima; vel quia audivimus, esse Deum potentem, qui potuit nos creare talis naturæ, ut semper fallamur; vel quia nullum habemus certum indicium dignoscendi somnum à vigilia; vel quia habemus in nobis libertatem dubitandi de omnibus.

Ex illa rerum omnium dubitatione sequitur certissima existentiæ nostræ cognitio, quæ est omnium prima; quia ex eo quòd dubito, seu cogito, infero me existere; impossibile siquidem est, quòd illud, quod cogitat, non sit.

(Addit insuper) *quòd cognitio existentiæ nostræ causat statim aliam cognitionem certam in nobis: nempe cognitionem distinctionis animæ nostræ à corpore. Examinantes enim,* inquit, *quinam simus nos, qui dubitamus, seu assentientes cognitioni nostræ; statim habendo ideam cogitationis, habemus ideam entis non extensi, non figurati, non mobiliter, nec habentis quid simile, quod corpori tribuendum est; ac proinde distinctio animæ nostræ à cor-*

à corpore est secunda cognitio, quæ à dubitatione vansatur.

Cùm autem mens, quæ se ipsam sic novit, & de omnibus rebus adhuc dubitat, undequaque circumspicit, ut suam ulteriùs cognitionem extendat; invenit prima fronte apud se multarum rerum ideas, ut numerorum, figurarum, substantiæ corporeæ; quasdam communes notiones, ut, quòd totum sit majus sua parte, quòd ex nihilo nihil fiat. Inter illas verò diversas rerum ideas (de quarum veritate nondum certus est homo; quia nescit adhuc, utrum talis naturæ creatus sit, ut fallatur etiam in iis, quæ ipsi evidentissima apparent) considerat se habere unam entis summè potentis, & summè perfecti, scilicet Dei: ex proinde cognitio existentiæ Dei est tertia, quæ à dubitatione oritur.

Respicientes autem ad ideam illius entis summè perfecti, videmus, Deum esse æternum, omniscium, omnipotentem, omnis bonitatis veritatisque fontem, rerum omnium creatorem, & præcipuè omnis luminis datorem: ex hoc enim, quòd illa idea entis summè perfecti infixa meæ menti, est idea entis summè perfecti, ens illud summè perfectum debet habere omnes illas perfectiones; alioquin non esset ens summè perfectum. Ex quo inferendum est, quod cùm Deus nobis dederit lumen naturale ad cognoscendam rerum veritatem, nunquam nos decipi, quando judicamus, rem ita esse in se, sicut à facultate cognoscendi clarè & distinctè percipitur; alioquin Deus esset deceptor, & causa positiva errorum nostrorum, quia nobis dedisset potentiam fallacem; quod repugnat: & consequenter illud omne quod à nobis clare & distinctè percipitur, est verum; nihilque admittendum est tanquam verum, quod à nobis clarè & distinctè non percipiatur.

Hoc secundo principio sic statuto: tollitur (inquit) summa illa dubitatio, quæ ex eo petebatur, quòd nesciremus, an fortè talis essemus naturæ,

ut falleremur etiam in iis, quæ nobis evidentiſſima eſſe videntur; ideoque non amplius dubitabimus de Mathematicis demonſtrationibus, neque de aliis rebus, quas clarè & diſtinctè percipimus. Tria autem ſunt, quæ clarè & diſtinctè percipere poſſumus: propoſitiones ſcilicet, quæ dicuntur æternæ veritatis, quales ſunt iſtæ: quod factum eſt, infectum eſſe nequit: impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe: totum eſt majus ſua parte: & ſimilia axiomata.

Deinde clarè & diſtinctè percipimus ſubſtantiam ſpiritualem, creatam, & increatam; per hoc enim, quod percipiamus, nos cogitare; debemus concludere, nos habere in nobis ſubſtantiam cogitantem, quæ cùm ſit non extenſa, debet eſſe ſpiritualis: & per hoc quod percipiamus, dari ens ſummè perfectum, clarè & diſtinctè percipimus, eſſe Deum. Simili modo (inquit) *percipimus dari ſubſtantiam corpoream: per hoc enim quòd clarè & diſtinctè percipiamus extenſionem, clarè & diſtinctè percipimus, dari ſubſtantiam corpoream.* Hactenus eſt ipſa Carteſii de principiis humanæ cognitionis doctrina.

§. II.

Vtrum ad inveniendam veritatem, ſemel in vita dubitandum ſit de rebus omnibus, etiam certiſſimis atque manifeſtis?

Notandum eſt, inter res, quarum veritas quæri poteſt & inveniri, quaſdam eſſe certas & manifeſtas, & quaſdam incertas atque occultas. Priores ſunt, quæ ex ſeipſis in notitiam noſtram veniunt; hujuſmodi ſunt hæ veritates: *In meridie lux eſt: corpus quadratum quatuor conſtat lateribus: duo & duo ſimul juncta ſunt quatuor.* Poſteriores verò ſunt, quæ non ſubjacent ſenſibus, de quibus nihil certi habemus, & quarum notitia vera claraque difficilè obtineri poteſt. Hoc prænotato. Difficultas eſt, utrum ſemel

in vita dubitare debeamus de rebus omnibus etiam certissimis atque manifestis, ut veritatem invenire valeamus?

Affirmat Cartesius, cum Academicis, & Pyrrhoneis; sic enim loquitur 1. princip. suæ Philosop. num. 1. 2. 3. 4. & 5. *Quoniam infantes nati sumus, & varia de rebus sensibilibus judicia prius tulimus, quàm integrum nostræ rationis usum haberemus; multis præjudiciis à veri cognitione avertimur, quibus non aliter videmur posse liberari, quàm si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus, quin & illa etiam, de quibus dubitavimus, utile erit habere pro falsis, ut tantò clariùs, quidnam certissimum, aut cognitu facillimum sit, inveniamus. Sed hæc interim dubitatio ad solam contemplationem veritatis est restringenda, non quantum ad usum vitæ; quia sæpè occasio rerum agendarum præteriret, antequam nos dubiis nostris exsolvere possemus.*

Dubitabimus ergo in primis, an ullæ res sensibiles aut imaginabiles existant? dubitabimus etiam de reliquis, quæ anteà pro maximè certis habuimus; etiam de Mathematicis demonstrationibus; etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota.

Idem docet medit. 1. pag. 8. & 9. & pag. 15. hæc iterum scribit: *Putabo cælum, aerem, terras, colores, figuras, sonos, cunctaque externa, nihil aliud esse, quàm ludificationes somniorum. Considerabo meipsum tamquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum; sed hæc omnia me habere falso opinantem.* Quæ sit Cartesii sententia, ex allatis testimoniis, & ex aliis similibus brevitatis causa omissis, liquet satis. Negant tamen Peripatetici, semel in vita esse de rebus omnibus etiam certissimis, atque manifestis dubitandum, ut veritatem reperire possimus; cum quibus

Dico:

Dico: Ad inveniendam veritatem dubitare non debemus, etiam semel in vita, de iis, quæ certissima & manifesta judicamus, judicio in quotidiana experientia fundato; cujusmodi sunt, dari aerem, terram, colores, figuras, sonos, &c. Cujusmodi sunt quoque, me habere manus, oculos, carnem, sanguinem, sensus, &c.

Prob. 1. Ad inveniendam veritatem non est agendum modo absurdo stultoque; ut patet: atqui dubitare, etiam semel in vita, de iis, quæ certissima atque manifesta judicamus, judicio in experientia quotidiana fundato; v. g. dubitare, an ignis sit calidus, an aqua fluminis sit frigida hiemali tempore, an Sol luceat in meridie, &c. est agere modo planè absurdo stultoque: quid enim absurdius & stultius fieri potest Ergo &c.

Hoc ipsum audiamus confitentem Cartesium medit. 1. satis post principium, ubi sic ait: *Sed forte quamvis interdum sensus circa minuta quædam & remotiora nos fallant; pleraque tamen alia sunt, de quibus dubitari planè non potest, quamvis ab iisdem hauriantur; ut jam me hic esse, foco assidere, hiemali toga esse indutum, chartam istam manibus contrectare, & similia: manus verò has ipsas, totumque hoc corpus meum esse, qua ratione posset negari? Nisi me fortè comparem nescio quibus insanis, quorum cerebella tam contumax vapor ex atra bile labefactat, ut constantes asseverent, vel se esse Reges, cùm sunt pauperrimi; vel purpura indutos, cùm sunt nudi, &c. Sed amentes sunt isti; nec minùs ipse demens viderer, si quod exemplum ab ipsis ad me transferrem.*

Præterea in fine Synopsis meditationum sic ait: *Rationes omnes, ex quibus rerum naturalium existentia possit concludi, afferuntur* (in sexta videlicet meditatione) *non quod eas valde utiles esse putarim ad probandum id ipsum, quod probant, nempè, revera esse aliquem mundum, & ho-*

& homines habere corpora, & similia; de quibus nemo unquam sanæ mentis seriò dubitavit.

Prob. 2. Si de rebus sensibilibus, quas certissimas atque manifestas judicamus, judicio in quotidiana experientia sensibili fundato, dubitare possemus; à fortiori dubitare possent homines de rebus insensibilibus & spiritualibus, in sua certitudine ab experientia sensibili longè distantibus: & sic possent homines in dubium vocare existentiam Dei, Trinitatem divinarum personarum in unica numero natura, Deum incarnatum, realem corporis & sanguinis Christi in venerabili Eucharistiæ Sacramento præsentiam, & similes Catholicas veritates, quæ in sua certitudine à sensibili experientia omninò distant: atqui hoc dici nequit; quoniam pias aures offendit, & Atheismum aliosque errores varios insinuat: ergo &c.

Neque iste arguendi modus fundamento in ipso Cartesio caret; etenim 1. p. princ. num. 5. 6. & 7. hæc scribit: *Atque si non à Deo potentissimo, vel à nobis ipsis, vel à quovis alio, nos esse fingamus, quò minùs potentem originis nostræ auctorem assignabimus; tantò magis erit credibile, nos tam imperfectos esse, ut semper fallamur: sed interim à quo tandem simus: & quantumvis ille sit potens; quantumvis fallax; hanc nihilominùs in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab illis credendis, quæ non planè certa sunt, possimus abstinere: sic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo possumus dubitare, ac etiam falsa esse fingentes, facile quidem supponimus, nullum esse Deum, nullum cælum, nulla corpora, nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus.*

Idem præmiserat medit. 1. sub finem his verbis: *Supponam igitur, non optimum Deum, fontem veritatis; sed genium aliquem malignum, eundemque summe potentem, & callidum, omnem suam industriam in eo posuisse, ut me falleret. Putabo*

tabo cælum, aerem, terram, cælos, figuras, sonos, cunctaque externa, nihil aliud esse quàm ludificationes somniorum, quibus insidias credulitati meæ tetendit. Hactenus Cartesius.

Prob. 3. De prudenter indubitatis dubitare non debemus; res enim prudenter indubitata dicitur ea, de qua nullus homo prudens dubitare potest: atqui res sensibiles, quas certissimas & manifestas judicamus, judicio in experientia quotidiana fundato, sunt prudenter indubitatæ: ergo &c. Prob. min. experientia quotidiana, prout hic accipitur, est illa, quæ est eadem apud omnes, qua videlicet omnes quotidiè generaliter eandem rem sensibilem experiuntur: talis est experientia, qua omnes quotidiè experiuntur, ignem esse calidum, Solem lucere in meridie, &c. Atqui res sensibiles, quas certissimas & manifestas judicamus, judicio fundato in illa experientia, sunt prudenter indubitatæ: ergo &c. Prob. min. illæ res sunt prudenter indubitatæ, quas certissimas & manifestas judicamus, judicio in experientia indubitata fundato; ut patet: atqui experientia generalis, quæ apud omnes eadem est, est prudenter indubitata: ergo &c. Prob. min experientia, quæ neminem decipit, est indubitata; intantùm enim aliqua experientia indubitata non est, inquantùm nonnumquam aliquem fallit: atqui experientia generalis, quæ apud omnes eadem est, neminem decipit: ergo &c. Prob. min. ex discrimine, quod inter experientiam generalem, & experientiam particularem, intercedit; quamvis enim experientia particularis, quæ in uno taotùm homine reperitur, fallax sit, & revera sæpè hominem fallat; experientia tamen generalis, quæ in omnibus hominibus eadem est, fallax non est, & neminem decipit; nam eoipso, quòd in omnibus hominibus eadem est, si aliquem deciperet, fallere omnes deberet: quod sanè dici non potest: quis enim, nisi absurdè,

diceret ; experientiam generalem, qua omnes exponuntur, ignem esse calidum, Solem lucere in meridie, &c. decipere omnes ?

Deinde, à Cartesio, & ipsius Discipulis, quæro, utrum rationes quibus Philosophiæ suæ conclusiones probant, sint indubitatæ, vel non? si respondeant, non esse indubitatas; ergo de illis dubitare possumus, & sic rejiciendæ sunt tanquam dubiæ & insufficientes : si verò respondere velint, illas rationes esse indubitatas; ex ista Adversariorum responsione statim inferam, experientiam sensibilem (saltem generalem) posse esse indubitatam; quandoquidem pleræque rationes, quibus in Physica utuntur, in experientiis sensibilibus fundantur; ut ipsi fatentur, & legenti libros eorum patebit.

§. III.

Præcipuæ Adversariorum objectiones solvuntur.

OBji. 1. Si darentur res aliquæ sensibiles, de quibus dubitare non possemus; deberent maximè esse illæ; quas certissimas atque manifestas judicamus, judicio in quotidiana experientia fundato : atqui de rebus istis sensibilibus possumus dubitare : ergo &c. Maj. ex dictis constat. Prob. min. nullum habemus certum indicium dignoscendi somnum à vigilia: ergo dubitare possumus, utrum judicium de rebus illis sensibilibus contigerit in vigilia, vel potiùs intra somnum, & reipsa somnium extiterit?

Respondeo concessâ ma. negando min. ad cujus prob. nego ant. eo enim ipso, quòd homo prudens advertit, se è lecto surrexisse tali hora, se ambulare in aula, lucente Sole in meridie, se colloqui cum Petro amico, aliaque omnes circumstantias accuratè attendit; prudenter & certò judicare potest, se in somno vel somnio non esse, sed planè vigilare.

Nec

Nec valet, si dicat Adversarius: sæpè somnus, seu nocturna quies, nobis similia persuasit; quæ tamen reipsa tunc non erant. Non valet inquam; respondeo enim cum distinctione; concedo namque, somnum, sive nocturnam quietem, sæpè similia nobis persuasisse, modo quodamconfuso, & sine distincta singularum circumstantiarum perceptione; non autem modo perspicuo, & cum distincta singularum circumstantiarum consideratione.

Obji. 2. quantumvis res sensibiles certissimæ ac manifestæ videantur, earum tamen certitudo in experientia sensuum fundatur: ergo semper possumus de illis dubitare. Prob. conseq. sensus nostri sæpè nos deceperunt; & non est prudentiæ, fidere illis, qui semel deceperunt nos: ergo si quantumvis certissimæ ac manifestæ res sensibiles appareant, illarum tamen certitudo in sensuum experientia fundetur, de ipsis semper dubitare possumus.

Respondeo distinguendo ant. quantumvis res sensibiles certissimæ atque manifestæ videantur, earum tamen certitudo in experientia sensuum particulari & dubia, vel generali & indubitata, fundatur, concedo; earum tamen certitudo in experientia sensuum semper particulari & dubia, & nunquam in generali ac indubitata, fundatur, nego, & distinguo simili modo consequens: ergo semper possumus de illis dubitare, quando earum certitudo in sola sensuum experientia particulari & dubia fundatur, concedo: quando illarum certitudo fundatur in generali atque indubitata sensuum experientia, nego. Ad prob.conseq. distinguo ant. sensus nostri, in experientiis particularibus & dubiis, sæpè nos deceperunt, concedo: sensus nostri, in experientiis generalibus & indubitatis, sæpè nos deceperunt, nego.

Obji. 3. audivimus, nonnullos errasse in iis, quæ nobis videntur certissima & planè manife-

sta: ergo de illis possumus dubitare.

Respondeo distinguendo ant. audivimus, nonnullos errasse in iis quæ nobis videntur certissima & planè manifesta: utendo principiis falsis, & apud sapientes inusitatis, concedo: utendo principiis veris, & apud sapientes communiter usitatis, nego: unde dum his utimur principiis, nequaquam possumus de rebus certissimis ac omninò manifestis dubitare.

Obji. 4. quando judico, aliqua esse certissima atque manifesta, dubitare possum, utrum fallar? Ergo etiam tunc possum de hujusmodi objectis dubitare: Prob. ant. nescio, utrum Deus me fecerit talis naturæ, ut semper fallar: ergo quando judico, aliqua esse certissima atque manifesta, revera possum dubitare, utrum fallar.

Respondeo negando ant. saltem si judicem, aliqua esse certissima atque manifesta, ex principiis apud sapientes certissimis atque manifestis. Ad prob. ant. nego ant. scio enim, Deum non posse esse positivè & propriè falsitatis & erroris causam (quandoquidem lumine naturali notum est, Deum esse primam veritatem, ab omni falsitate & errore prorsus alienam;) si autem Deus talis naturæ me fecisset, ut semper fallerer & errarem, foret positivè ac propriè falsitatis & erroris causa, quoniam me produxisset cum determinatione à natura proveniente ad falsitatem & errorem: sicut enim quia generans efficit corpus grave cum determinatione naturali ad motum deorsum, ita ut sursum detentum corpus illud, semper deorsum moveatur, remotis impedimentis; idcirco motus deorsum corporis gravis reduci solet in generans, sicut in causam positivam; ita pariter si Deus me fecisset cum determinatione naturali ad falsitatem & errorem, adeò ut semper fallerer & errarem, occasione data; falsitas mea, & error meus, tribui deberent Deo ut positivæ causæ.

Instab. non repugnat, quòd Deus me fecerit talis

talis naturæ, ut fallar & errem aliquando; neque ex eo, quòd talem me fecerit propterea sequitur, Deum esse falsitatis & erroris authorem: ergo non repugnat etiam, quòd Deus talis naturæ me fecerit, ut semper fallar erremque; neque ex hoc, quòd talem me fecerit, propterea inferri potest, Deum esse falsitatis & erroris causam.

Respondeo negando paritatem: disparitas est, quòd ut aliquando fallar & errem, satis est, ut sim naturæ falsitatis & erroris capacis; ex eo verò, quòd natura mea sit falsitatis & erroris capax, nulla propterea falsitas, nullusque error, debet in Deum reduci; sicut ex eo, quòd habeam naturam peccati capacem, & nonnunquam peccem, non ideò peccatum debet Deo attribui. Ut autem Deus me fecisset talis naturæ, quòd semper fallerer & errarem, necesse foret, ut me produxisset cum naturali determinatione ad falsitatem & errorem; ex quo sequeretur, ut dum posteà fallerer & errarem, Deus diceì deberet falsitatis & erroris causa; ut ex dictis liquet.

Urgeb. si Deus me fecit talis naturæ, ut fallar interdum, erremque; sequitur, Deum mihi dedisse naturam & potentiam fallacem: ergo falsitas & error tribui debent Deo ut causæ.

Respondeo negando conseq. ut enim à Deo naturam & potentiam fallacem acceperim, sufficit, ut Deus dederit mihi naturam & potentiam (intellectualem & sensitivam) veritatis & falsitatis capacem; ita ut natura & potentia illa possit, vel verè, vel falsò, objectum cognoscere, proindèque deficere: ex hoc autem, quòd causa particularis & inferior deficiat, non debet defectus in causam universalem & superiorem referri; sed debet transferri in solam causæ particularis & inferioris imperfectionem: hinc, si arbor debito tempore non floreat, id referendum non est in Solem, sed duntaxat in malam arboris dispositionem;

nem: & ideircò dum homo ob naturæ & potentiæ fallacis debilitatem, objectum cum falsitate & errorre attingit, falsitas & error transferri non debent in Deum, sed tantummodò in naturæ & potentiæ fallacis imbecillitatem.

Obji. 5. Ratione libertatis, de omnibus dubitare possumus: ergo de rebus etiam certissimis atque manifestis possumus dubitare.

Respondeo distinguendo ant. ratione libertatis, de omnibus dubitare possumus: quando sufficiens habemus fundamentum dubitandi, concedo: quando caremus sufficienti fundamento dubitandi, nego: dum autem judicamus, res aliquas esse certissimas atque manifestas, ex principiis, quæ apud nos, & apud sapientes, certissima atque manifesta censentur, nullum nobis superest sufficiens dubitandi fundamentum.

§. IV.

Quid sentiendum sit de isto altero Cartesii principio? Omne, quod à nobis clare & distinctè percipitur, est verum; nihilque est admittendum pro vero, quàm illud, quod clarè & distinctè percipitur.

Sensus tituli est, utrum omne, quod ex prævia cognitione clara & distincta sensuum judicamus, vi luminis naturalis, esse verum, reipsa semper sit tale; nihilque sit admittendum pro vero, quàm illud quod cognitione clara & distincta naturali percipitur? Affirmat Cartesius 1. p. princip. num. 3 Negant tamen communiter Peripatetici; cum quibus

Dico 1. omne, quod ex prævia cognitione clara & distincta sensuum judicamus, vi luminis naturalis, esse verum, reipsa semper non est tale; sed nonnunquam revera falsum est.

Prob. Post hostiæ consecrationem remanet eadem cognitio clara & distincta sensuum, ac antea erat:

erat: & ideò sicut ante consecrationem, ex prævia cognitione clara & distincta sensuum versante circa hostiam non consecratam, judicabamus, vi luminis naturalis, ibi adesse substantiam panis: ita, si post hostiæ consecrationem, præviam cognitionem claram & distinctam sensuum, terminatam ad hostiam consecratam, & lumen naturale, consulamus, judicabimus, ibidem adesse verè substantiam panis; & tamen hoc non erit verum: ergo omne quod ex prævia cognitione clara & distincta sensuum judicamus, vi luminis naturalis, esse verum, reipsa semper non est tale.

Sanè, intolerabile omninò videtur quod docet Cartesius 1. p. Princ. num. 52. his verbis: *Ex hoc enim, quòd attributum adesse percipiamus, concludimus aliquam rem exsistentem, sive substantiam, cui illud tribuitur, necessariò etiam adesse.* Ex hac quippe doctrina concludendum est, post hostiæ consecrationem, adesse substantiam panis; quandoquidem sensibus claré & distinctè percipimus, adesse eadem substantiæ panis attributa; nimirum eundem saporem, eundem odorem, eandem extensionem, atque rotunditatem &c.

Dico 2. falsum est istud alterum Cartesii principium: *Nihil admittendum est pro vero, quàm illud, quod clarè & distinctè percipitur.*

Prob. si nihil admittendum foret pro vero, quàm illud, quod claré & distinctè percipitur; sequeretur, misteria Trinitatis personarum & divinarum in una natura, De[i] incarn[atio], & similia, non esse ab hominibus v[iatoribus] pro veris admittenda, sed potiùs esse rejicienda pro falsis, atqui hoc, salva fide, dici nequit: ergo &c. Prob. seq. ma. homines viatores claré & distinctè illa mysteria non percipiunt, sed obscuré tantùm per fidem ipsa apprehendunt: ergo si nihil foret admittendum pro vero, quàm illud, quod clarè & distinctè percipitur, sequeretur reipsa, mysteria Trinitatis personarū &c. non esse ab homini-

ribus viatoribus pro veris admittenda; sed potiùs esse rejicienda pro falsis.

Nec valet, si dicant Cartesii Discipuli, se esse duntaxat Philosophos; explicationem verò Trinitatis, Incarnationis, & aliorum mysteriorum Religionis nostræ, ad Philosophos non pertinere, sed ad solos spectare Theologos. Non valet inquam: etenim licèt doctrinalis expositio mysteriorum nostræ religionis ad solos spectet Theologos; boni tamen & Catholici Philosophi est, tradere doctrinam, quæ fidei Catholicæ non repugnet, quæque occasionem dubitandi de præcipuis religionis Catholicæ mysteriis, nobis non præbeat: doctrina autem, quæ asserit, nihil esse pro vero admittendum, quàm illud, quod clarè & distinctè percipitur, ad dubitandum de mysteriis Trinitatis, Incarnationis, &c. (quæ ad Religionem Catholicam præcipuè pertinent) homines viatores inducit; ut ex dictis patet satis.

§. V.

Adversariorum argumenta diluuntur.

Objic. 1. si omne, quod ex prævia cognitione clara & distincta judicamus, vi luminis naturalis, esse verum, reipsa semper non esset tale, sed revera nonnunquam falsum foret; posset interdum falsitas in Deum sicut in causam referri: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Prob. ma. posset tunc falsitas in authorem luminis naturalis hominis, sicut in causam reduci: atqui author naturalis luminis hominis Deus est, qui hominem condendo, ipsi lumen naturale impertivit: ergo &c.

Respondeo negando ma. ad cujus prob. nego iterum ma. tunc etenim falsitas luminis naturalis hominis falsò judicantis, nequaquam debet in Deum, vel in hujusmodi luminis authorem,

tan-

tanquam in causam transferri; sed referenda est in solum hominem proprio lumine naturali abutentem ad judicandum de eo, ad quod lumen naturale pertingere non valet.

Inst. si quod ex prævia cognitione clara & distincta judicat homo, vi luminis naturalis, esse verum, foret quandoque falsum, adeò ut reipsa tunc homo falleretur, Deus dedisset homini cognoscitivam potentiam ab intrinseco fallacem. atqui hoc dici non potest, nisi dicatur Deus positiva falsitatis causa. ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si quod &c. Deus dedisset homini cognoscitivam potentiam ab intrinseco fallacem, ratione capacitatis intrinsecæ ad falsitatem, quæ est in hujusmodi potentia, ex eo quòd est ab intrinseco finita & limitata; concedo: Deus dedisset homini cognoscitivam potentiam ab intrinseco fallacem, ratione determinationis naturalis à Deo inditæ ad falsitatem, nego. Ut autem Deus dici posset positiva falsitatis causa, satis non esset, ut Deus tribuisset homini potentiam ab intrinseco fallacem, ratione capacitatis intrinsecæ ad falsitatem (alioquin Deus vocari posset positiva causa peccati, quoniam Deus largitus est homini potentiam, scilicet voluntatem, ab intrinseco peccatricem, ratione capacitatis intrinsecæ ad peccatum;) sed opus foret, ut Deus impertiisset homini potentiam ab intrinseco fallacem, ratione determinationis naturalis à Deo inditæ ad falsitatem: sicut ad hoc, ut agens, quod corpus grave produxit, dicatur causa positiva motus deorsum corporis gravis, requiritur, ut dederit corpori gravi potentiam naturaliter ad motum deorsum determinatam.

Obji. 2. & inst. ampliùs: si omne, quod ex prævia cognitione clara & distincta judicat homo, vi luminis naturalis, esse verum, reipsa non esset tale semper, sed nonnunquam reipsa foret falsum; esset maximè, dum Deo superna-

tura-

turaliter operante, objectum alio modo se habet in se, quàm lumen naturale in suo judicio percipiat: atqui quod tunc homo judicat esse verum, re ipsa non est falsum: ergo &c. Ma. ex dictis patet. Minor etiam ex eo perspicua videtur, quòd si hominis judiciũ tunc esset falsum, adeò ut homo deciperetur, Deus diceretur hominis deceptor.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus ptob dico, Deum posse tunc appellari hominis deceptorem permissivè, quatenus permittit tunc, ut homo ex sua infirmitate decipiatur: sed nego, Deum posse vocari hominis deceptorem positivè, ita ut nuncupari possit positiva deceptionis causa.

Instab. ille est positivè hominis deceptor, qui facit, ut homo decipiatur, dum perfectiori, quo potest, modo operatur: atqui quando homo ex prævia cognitione clara & distincta judicat, vi luminis naturalis, aliquid esse verum perfectiori, quo naturaliter potest, modo operatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ille est positivè hominis deceptor, qui positivè facit, ut homo decipiatur, dum &c. positivè nempe hominem in deceptionem inducendo, concedo: ille est positivè hominis deceptor, qui permissivè tantùm facit, ut homo decipiatur, dum &c. nego: hoc autem secundo modo duntaxat facit Deus, ut homo decipiatur, cùm efficit, tanquam author supernaturalis, ut objectum alio modo se habeat in se, quàm lumen naturale in suo judicio percipiat; etiam quando hujusmodi lumen perfectiori modo, quo potest, nimirum ex prævia sensuum cognitione clara & distincta, operatur.

Instab. iterum: si dum Deus efficit, tanquam author supernaturalis, ut objectum alio modo se habeat in se, quàm lumen naturale intellectus in judicio suo percipiat, ipse intellectus falleretur & erraret; Deus disponendo objectum illo modo, præberet intellectui occasionem errandi: atqui Deus

Deus (utpotè summè verax) nequit præbere intellectui occasionem errandi: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si dum Deus efficit &c. Deus disponendo objectum illo modo, præberet per accidens intellectui occasionem errandi; quatenus nempè ipse intellectus judicando supra vires suas naturales, sumeret tunc ex actione Dei, occasionem errandi, concedo: Deus disponendo objectum illo modo præberet per se intellectui occasionem errandi, ita ut Deus ordinaret actionem suam per modum occasionis ad inducendum intellectum in errorem, nego. Et distincta similiter min. nego conseq. sub distinctione data.

Obji. 3. tunc judicium intellectus non est falsum, quando provenit ex prævia cognitione vera; ut liquet satis: atqui quando ex prævia cognitione clara & distincta, judicat intellectus, vi luminis naturalis, aliquid esse verum, hoc judicium provenit ex prævia cognitione vera; quandoquidem procedit ex prævia cognitione clara & distincta: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. tunc judicium intellectus non est falsum, quando provenit ex prævia cognitione vera: si prævia illa cognitio vera attingat objectum intrinsecè in esse intelligibili, adeò ut intellectus illius cognitionis beneficio judicet de objecto revera prout est in se, concedo: si illa cognitio prævia attingat objectum duntaxat extrinsecè, in esse sensibili, sive secundùm ea, quæ ad sensus externos pertinent; & ex illius occasione judicet intellectus de objecto aliter ac est in se intrinsecè; sicuti de facto nonnunquam contingit, quando ex prævia cognitione clara & distincta sensuum (quantumvis vera) judicat intellectus, vi luminis naturalis, aliquid esse verum; nego.

Instab. tunc judicium intellectus non est falsum, sed potiùs te ipsa verum est, quando objectum est evidens & manifestum: atqui cùm in-

tellectus ex prævia cognitione clara & distincta judicat, vi luminis naturalis, aliquid esse verum, objectum tunc est evidens & manifestum; quandoquidem est clarum & distinctum: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. tunc judicium intellectus non est falsum, sed potius reipsa verum est, quando objectum est intrinsecè & in esse intelligibili evidens & manifestum, concedo: quando objectum est extrinsecè, & in esse sensibili duntaxat, evidens & manifestum, nego: cùm autem intellectus ex prævia sensus cognitione clara & distincta judicat, vi luminis naturalis, aliquid esse verum, objectum est quidem evidens & manifestum, sicuti & clarum atque distinctum: at solùm extrinsecè, & in esse sensibili, non verò intrinsecè, & in esse intelligibili.

Istab. iterum: si dum ex prævia cognitione clara & distincta judicat intellectus, vi luminis naturalis, aliquid esse verum, reipsa non foret verum, sed potiùs esset falsum; sequeretur, intellectum percipere tunc objectum clarè ac distinctè, & simul clarè ac distinctè ipsum non percipere: atqui hoc dici nequit; quoniam contradictionem implicat: ergo &c. Prob. sequela ma. & primò quidem intellectus clarè tunc ac distinctè objectum perciperet, quia claram atque distinctam de illo cognitionem haberet. Quòd verò ipse intellectus objectum, in ea hypothesi, non perciperet clarè ac distinctè, ex eo infertur, quòd intellectus circa objectum tunc falleretur, falsò de objecto judicando.

Respondeo distinguendo ma. si dum ex prævia cognitione &c. sequeretur, intellectum percipere tunc objectum clarè ac distinctè, & simul clarè ac distinctè ipsum non percipere: si objectum in ea hypothesi, diversis modis acciperetur, concedo: si eodem modo sumeretur, nego. Itaque cùm intellectus ex prævia sensus cognitione clara & distincta judicat, vi luminis naturalis, aliquid esse verum, & reipsa fallitur:

tunc

tunc clarè atque distinctè percipir objectum extrinsecè, & in esse sensibili spectatum; & simul ipsum clarè atque distinctè non perc pit intrinsecè & in esse intelligibili consideratum; in quo contradictio nulla est.

§. VI.

Exponitur tota Epicuri doctrina Canonica, juxta Gassendi animadversiones.

EPicurus patria Atheniensis, oppido Gargettius, vir ingenio præstans, suam Philosophiam tres in partes distribuit; Canonicam nempè, Physicam, & Ethicam. Injuria temporum, æterno quasi silentio sepulta jacebat Philosophia illa; sed eam Petrus Gassendus Diniensis Ecclesiæ præpositus nostris istis temporibus restituit, & variis animadversionibus illustravit; quapropter Philosophiæ Epicuri restaurator meritò dicendus est. Totam autem paucis, hoc in loco, referre juvat Epicuri doctrinam in Canonica contentam, ut planior eorum omnium, quæ contra hunc authorem dicenda sunt, fiat intelligentia.

Primam igitur Philosophiæ suæ partem, quæ apud nos *Logica* dicitur, *Canonicam* nuncupavit; eò quòd in illa fermo de Canonibus habeatur. Ut autem animadvertit Gassendus, duo præstat Epicurus in sua Canonica. Primò namque agit de criteriis, id est, de instrumentis dijudicandæ veritatis: deinde assignat Canones, id est, regulas quasdam, ad unumquodque criterium spectantes. Tria verò statuit criteria; videlicet *sensum, anticipationem seu prænotionem, & passionem seu affectionem*. Tria autem tantùm criteria sive instrumenta djudicandæ ver tatis admittit; quia tria solùm distinguuntur vulgò genera rerum, quarum veritas dijudicari & cognosci potest: aliæ enenim sunt res sensibiles, quæ sensibus externis percipiuntur: aliæ sunt intelligibi-les,

les, quæ sola mente cognoscuntur: & tandem aliæ sunt motales, quæ appetitu distinguuntur. *Sensus* est primum criterium, quo utendum est ad dijudicandam veritatem in rebus aut objectis sensibilibus. *Anticipatio*, seu *Prænotio*, est secundum criterium, quo nobis utendum est ad dijudicandam veritatem in rebus, quæ sensum fugiunt. *Passio* demùm, sive *Affectio*, est tertium criterium, quo homini utendum est ad dijudicandam veritatem in tebus motalibus.

Per *sensum* Epicurus intelligit sensus externos; scilicet visum, auditum gustum, odoratum, & tactum. Per *Anticipationem* sive *Prænotionem*, intelligit rerum ideas seu species, quæ mediis sensibus extetnis in intellectu efformantur; qualis est idea hominis, vel leonis, vel Solis, & hujusmodi; prolatis enim nominibus hominis, leonis, Solis, & similium, medio auditu, producuntur in intellectu harum rerum ideæ, sive species, tatione quarum ipse intellectus quandam anticipatam rerum cognoscendarum, & in illis speciebus aut ideis repræsentatarum, habet prænotionem.

Ait verò Epicurus, ideas formari in nobis quatuor modis, nempè incidentia seu incursione, proportione, similitudine, & compositione. Dicitur verò idea alicujus rei formari *Incidentia*, sive *Incursione*, quando res illa directè & per se incidit seu incurrit in sensum, qualis est res colorata & à nobis visa. Dicitur formari *proportione*, quando ex idea rei percepta intellectus noster sibi fingit aliam ideam rei non perceptæ, similem ideæ rei perceptæ, hanc ideam amplificando tantùm, vel minuendo: ut cùm ex idea hominis formatur in nobis idea, vel Gigantis, vel Pigmæi; ambæ enim ideæ istæ similes sunt ideæ hominis & conveniunt inter se in compositione partium, in numero, & in figura, & in situ, solaque magnitudine, atque parvitate differunt.

Dicitur formari *similitudine*, quando rem non

vi'am

visam instar rei visæ imaginamur. Dicitur tandem formari *compositione*, quando ex ideis præconceptis & unitis, aliam formamus, repræsentantem aliquid compositum ex rebus, quæ in prioribus ideis repræsentabantur: ut dum ex ideis hominis & tauri inter se conjunctis, ideam hyppocentauri formamus.

Denique Epicurus per *passionem*, seu *affectionem* intelligit affectus voluptatis & doloris, quibus ea, quæ amplectenda sunt, vel fugienda, dijudicamus. His omnibus ita expositis; Epicurus statuit quatuor Canones pro unoquoque criterio, ut ostendat, tria allata & explanata criteria esse sufficientia infallibiliaque instrumenta ad dijudicandam veritatem in omnibus rebus sensibilibus, intelligibilibus, & moralibus.

Primus Canon pro primo criterio, nempè pro *sensu*, his verbis comprehenditur: *Sensus nunquam fallitur; ac proinde omnis sensio, omnisque phantasia, seu apparentiæ perceptio, vera est*. In isto Canone docet Epicurus, nullam falsitatem posse esse in sensibus externis, neque in phantasia hominum; vel vigilantium, vel dormientium; vel sanorum, vel insanorum. Per *phantasiam* non intelligit sensum internum, quem in homine *imaginationem*, aut *imaginativam*, vocamus; sed ipse intelligit actionem vel sensus externi, vel etiam mentis, per quam nudè & simpliciter, sine affirmatione & negatione, apparentia rei apprehenditur. Hinc actio, qua oculus videt baculum in aqua curvum, vel apparentem fractum, apud Epicurum dicitur *phantasia*, eaque vera.

Secundus Canon his continetur verbis: *Opinio est consequens sensum, sensionique superadjecta; in quam veritas, vel falsitas, cadit*. Per hunc Canonem Epicurus intelligit, quòd per sensus externos priùs debeamus rem attingere, quàm opinionem, sive judicium affirmans, vel negans, de illa referamus; & quòd hujusmodi opinio

addatur supra operationem sensus: ex qua opinione provenit sæpè falsitas; ut dum operationi occulorum videntium sivè apprehendentium baculum in aqua curvum, vel fractum, addimus opinionem, qua judicamus, baculum ita tunc se habere, sicuti per oculorum operationum apprehenditur. Ex quo infert Epicurus, quòd dum operatione sensus aliquod objectum apprehendimus, non debeamus illicò judicare, rem esse talem in se, qualis prima fronte sensui apparet; sed docet, expectandum esse, donec omnia accuratè circumspexerimus, & ad eam evidentiam pervenerimus, cui contradici ampliùs non possit.

Tertius Canon sic se habet: *Opinio illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensus evidentia*. Per hunc Canonem asserit Epicurus, judicium illud esse verum, quod fertur de aliqua re, sepositis omnibus obstaculis, quæ poterant impedire, quominùs talis videretur, qualis est in se. *Suffragatio* autem *sensus*, juxta Epicurum, est comprehensio per evidentiam sensuum facta, quòd opinabile tale sit, quale fuerimus priùs opinati: sic v.g. dum Petrus procul accedit, conjicio quidem & opinor, quantùm per intervallum licet, eum esse Petrum; at cùm appropinquarit, intervallo jam sublato, fit sensus suffragatio, id est, clara comprehensio seu agnitio Petri, per evidentiam sensus, quo (ablatis omnibus impedimentis) Petrus evidenter agnoscitur.

Nonrefragatio autem *sensus*, apud eundem Epicurum, tunc contingit, quando rem antea nobis inevidentem consequimur, seu clarè cognoscimus, ex aliqua alia re evidenter à sensu cognita: ut dum poros mihi in corpore inevidentes, evidenter colligo ex sudore mihi in corpore secundùm sensum perspicuo.

Quartus Canon talis est: *Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus eviden-*

evidentia. In hoc Canone docet Epicurus, quòd ut judicium sit verum, requiratur necessariò evidentia sensus, quæ sit judicio consona; adeò ut falsum sit judicium, si ab evidentia sensuum dissonet.

Primus Canon pro secundo criterio est hujusmodi: *Omnis, quæ in mente est Anticipatio seu Prænotio, dependet à sensibus; idque fit vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione*. In isto Canone docet Epicurus, omnem ideam (quam nomine Anticipationis seu Prænotionis intelligit) cujuslibet rei formari in nostro intellectu, mediis sensibus externis; idque quatuor modis; nempè, vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione; ut suprà explanatum est.

Secundus Canon est hic: *Anticipatio* (seu idea) *est ipsa rei notio, & quasi definitio; sine qua quidquam dubitare, opinari, imò & nominare, non licet*. In hoc Canone censet Epicurus, ideam, quam de aliqua re habemus, debere esse ita illi conformem, ut nulli alteri possit attribui: unde idea alicujus rei (ex mente Epicuri) debet se habere ad modum notionis seu definitionis, quæ soli convenit definito. Prætereà in eodem Canone sentit Epicurus, quòd nullam rem possimus cognoscere, neque circa illam discurrere, nisi ejus ideam obtineamus; ex quo infert, non ferendum esse judicium de rebus, de quibus ideam non habemus.

Tertius Canon his verbis comprehenditur: *Est Anticipatio* (seu idea) *in omni ratiocinatione principium; quasi nempè id, ad quod attendentes inferimus, unum esse idem, aut diversum, conjunctum, aut disjunctum ab alio*. In isto Canone censet Epicurus, quòd ad ratiocinandum perfectè nullis aliis regulis opus sit, quàm rerum ideis, quatenus ex idea una infertur alia. *Si quis enim* (ait Gassendus in suis animadv. de Canonica Epicuri, pag. 140.) *eam habeas hominis Antici-*

ticipationem, seu ideam, quòd sit animal rationale; nihil est necesse, ut illi præterea figuras & modos prætexas, quibus inferat, Platonem, quem constat esse hominem, esse animal rationale; quippe hoc vel nolens eliciet.

Quartus Canon est iste: *Quod inevidens est, ex rei evidentis anticipatione* (seu idea) *demonstrari debet*. Isto in Canone sentit Epicurus, rem nobis obscuram, per ideam rei evidentis manifestari posse ac debere: qua ratione pori in corpore nobis obscuri, per ideam sudoris nobis evidentis manifestantur.

Primus Canon pro tertio criterio istis verbis continetur: *Ea voluptas, quæ nullam habet annexam molestiam, amplectenda est.* In hoc Canone docet Epicurus, voluptatem & molestiam esse in nobis principia prosecutionis & fugæ; omnesque nostras actiones debere dirigi voluptate, vel molestia, tanquam Canone regulave; adeò ut omnes nostræ actiones eo fine sint faciendæ, ut corpore non doleamus, neque animo perturbemur. Unde in iis duobus constituit ultimum hominis finem; hinc patent tres sequentes Canones.

Secundus Canon est hic: *Ea molestia, quæ nullam habet annexam voluptatem, fugienda.*

Tertius Canon est iste: *Ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit, fugienda.* Denique quartus Canon est hujusmodi: *Ea molestia, quæ aut majorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.* His omnibus ita expositis, de Criteriis, & Canonibus ad Criteria pertinentibus, patet tota Canonica Epicuri doctrina.

§. VII.

§. VII.

Quid sentiendum sit de primo Criterio, & Canonibus ad ipsum pertinentibus?

PRimum Epicuri Criterium est *sensus*, prout quinque sensus externos, scilicet Visum, Auditum, Gustum, Odoratum, & Tactum, complectitur, ut ex dictis patet. Quæritur ergo in primis, an sensus ita sumptus dici possit circa res sensibiles criterium legitimum, seu legitimum dijudicandæ vel cognoscendæ veritatis instrumentum; & an quatuor Canones ad primum illud Epicuri criterium pertinentes, sint infallibiles ad inveniendam in rebus sensibilibus veritatem regulæ?

Dicendum est 1. sensum, prout quinque externos sensus comprehendit, non esse legitimum dijudicandæ aut cognoscendæ circa res sensibiles veritatis instrumentum.

Prob. quod facit, ut intellectus interdum erret in cognitione rei sensibilis, non est circa res sensibiles legitimum cognoscendæ veritatis instrumentum; ut satis patet. atqui sensus externus facit, ut intellectus interdum erret in cognitione rei sensibilis: ergo &c. Prob. min. exemplo hominis, in quo sensorium gustus est bile infectum; si enim homo ille accipiat cibum dulcem, de quo nunquam gustavit, gustus (qui est sensus externus) efficiet, ut intellectus hujusmodi hominis erret circa cibum sensibilem; nempè faciet, ut ejus intellectus judicet, cibum esse amarum, quamvis reipsa sit dulcis; gustus autem intellectum in hunc errorem inducet ratione sui sensorii infectibile, quæ amara est.

Ex dictis inferes contra Epicurum, primum Canonem primi criterii, his terminis expressum: *Sensus* (scilicet externus) *nunquam fallitur &c.* non esse infallibilem circa res sensibiles

dijudicandæ & cognoscendæ veritatis regulam. Etenim infallibilis regula dijudicandæ seu cognoscendæ veritatis nunquam debet intellectum in errorem inducere; ut liquet satis: atqui sensus externus nonnunquam intellectum in errorem inducit, sive facit, ut intellectus interdum ettet in cognitione rei sensibilis, ut probatum est suprà: ergo, &c.

Respondent Epicuri Discipuli, duplicem esse veritatem, scilicet veritatem existentiæ, & veritatem judicii aut enunciationis. Prior veritas est conformitas simplicis apprehensionis, vel mentis, vel sensuum, cum specie objecti repræsentati. Posterior autem veritas est conformitas judicii, aut enunciationis, cum ipsa re judicata aut enunciata. Dicunt ergo, sensum externum in sua operatione non esse quidem verum veritate judicii sive enunciationis: (hæc enim veritas in solo intellectu judicante seu enunciante reperitur) sed asserunt, sensum externum in operatione sua semper esse verum veritate existentiæ; quoniam species, qua mediante fit operatio sensus externi, talis semper existit in se, qualis est in externo sensu: ut autem externus sensus sit infallibilis & legitima circa res sensibiles dijudicandæ atque cognoscendæ veritatis regula, sufficit, ut sit semper verus veritate existentiæ.

Sed contra sic argumentor: infallibilis & legitima circa res sensibiles dijudicandæ veritatis regula, debet semper ducere intellectum ad verum de rebus sensibilibus judicium, & numquam ad errorem circa illas inducere; ut patet satis: atqui quantumvis detur, sensum externū esse semper verum veritate existentiæ, ita ut sit semper conformis speciei rem sensibilem repræsentanti; interdum tamen ad errorem circa rem sensibilem intellectum inducit: ergo &c. Prob. min. allato exemplo hominis, in quo sensorium gustus est bile infectum; ut enim diximus suprà, si homo ille accipiat cibum dulcem, de

quo

quo antea nunquam gustavit, gustus tunc circa cibum sensibilem inducet intellectum in errorem, quo ipse intellectus judicabit, cibum esse amarum, licet revera sit dulcis: & tamen, juxta adversariorum principia, gustus erit verus veritate existentiæ, sive conformis erit speciei cibum illum ræpræsentanti; quatenus, ex adversariis, species illa talis reipsa existet in se, qualis erit in sensu gustus: ergo tametsi detur, sensum externum esse semper verum veritate existentiæ, adeò ut semper sit conformis speciei rem sensibilem ræpræsentanti; quandoque tamen a errorem circa rem sensibilem intellectum inducit.

Deinde, infallibilis & legitima circa res sensibiles dijudicandæ veritatis regula facere debet, ut intellectus in suo circa res sensibiles judicio sit simpliciter verus; ut perspicuum est: quantumvis autem sensus externus sit verus veritate existentiæ, ita ut sit conformis speciei rem sensibilem repræsentanti; semper tamen non facit, ut intellectus in suo circa res sensibiles judicio sit simpliciter verus: etenim ut intellectus in judicio suo circa res sensibiles sit simpliciter verus, debet de rebus sensibilibus simpliciter acceptis, seu in se consideratis, verè judicare: licèt autem sensus externus sit verus veritate existentiæ, modo dicto; semper tamen non præstat, ut intellectus de rebus sensibilibus in se consideratis verè judicet; imò potiùs è contra sensus externus ita sumptus interdum efficit, ut intellectus de rebus sensibilibus in se spectatis falsò judicet: ut patet in homine habente gustus sensorium bile infectum, & accipiente cibum dulcem, de quo nunquam gustavit; in illo enim homine gustus est verus veritate existentiæ, ut ex dictis patet; & tamen non inducit intellectum ad verè judicandum de illo sensibili cibo in se sumpto, sed potiùs occasionem præbet intellectui falsò judicandi de hujusmodi cibo in se spectato;

impellendo intellectum ad judicandum, ejusmodi cibum in se esse amarum, licèt in se verè sit dulcis.

§. VIII.

Præcipuæ objectiones solvuntur.

OBjic. 1. sensus externus semper est verus: ergo dici potest criterium legitimum, sive legitimum dijudicandæ veritatis circa res sensibiles instrumentum. Cons. videtur clara. Prob. ant. tunc sensus externus dici debet verus, quando objecto conformis est: atqui sensus externus semper est objecto conformis: ergo &c. Ma. est ex eo manifesta, quòd veritas sensus externi sita est in conformitate ipsius cum objecto percepto. Prob. minor. cùm objectum sensus externi in specie à se immissa repræsentetur, quando sensus externus conformis est speciei ab objecto immissæ, est ipsi objecto consonus: atqui externus sensus semper est speciei ab objecto immissæ conformis; ita ut sensus externus semper objectum attingat, pro ut in specie immissa repræsentatur; & hæc species semper existat in se talis revera, qualis est in sensu: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. sensus externus semper est vel simpliciter, vel secundum quid verus, concedo: sensus externus est semper simpliciter verus, nego anteced. & conseq. legitimum quippe criterium, seu idoneum dijudicandæ veritatis circa res sensibiles instrumentum, debet semper esse simpliciter verum, id est, objecto verè cognoscendo simpliciter conforme. Ad prob. antec. distinguo etiam ma. tunc sensus externus dici debet verus, quando objecto simpliciter confor-

mis

mis est, concedo; quando objecto secundùm quid tantùm conformis est, nego major. intellectam de veritate simpliciter dicta: eo enim ipso, quòd veritas sensus externi sita sit in conformitate ipsius cum objecto percepto, si ipse sensus externus sit simpliciter conformis eum objecto, est simpliciter verus: si autem externus sensus sit secundùm quid tantùm objecto conformis, est solùm secundùm quid verus: quamvis verò sensus externus semper sit secundùm quid conformis objecto, quatenus nimirum semper attingit objectum, prout repræsentatur per speciem ab ipso immissam, & in sensu receptam; non est tamen semper simpliciter conformis objecto, quoniam non semper attingit objectum prout est in se; ut patet in gustu attingente quandoque cibum ut amarum, qui tamen in se ipso dulcis est.

Instab. objectum sensus externi eodem modo se habet in se, quo repræsentatur in specie: ergo si sensus externus semper attingat objectum suum, prout in specie repræsentatur, attingit semper ipsum, prout in se est; & ita sensus externus semper est simpliciter objecto conformis, proindeque & simpliciter verus.

Respondeo distinguendo ant. objectum sensus externi eodem modo se habet in se, quo repræsentatur in specie: quando species immittitur ab objecto prout est in se, concedo: quando species immittitur ab objecto, duntaxat prout apparet in medio, nego: nonnunquam enim objectum sensus externi apparet in medio, alio modo, qu àm sit in se; ut patet in cibo in se dulci, qui tamen applicatus gustui sensorio bile infecto, amarus apparet, ut suprà dictum est: ideòque species impressa ab objecto apparenti hoc modo, repræsentat objectum aliter ac est in se; & idcir-

cò dum sensus externus attingit tunc objectum prout repræsentatur in specie, ipsum percipit alio modo, quàm sit in se.

Obji. 2. si sensus externus non esset legitimum criterium, sive legitimum dijudicandæ veritatis circa res sensibiles instrumentum; maximè, quia nonnunquam fallitur: atqui sensus externus nunquam fallitur: ergo &c. Ma. liquet Prob. min. potentia falsitatis incapax, nunquam fallitur: atqui sensus externus est falsitatis incapax: ergo &c. Prob. min. potentia incapax affirmationis & negationis, est etiam falsitatis incapax; quandoquidem falsitas extra affirmationem & negationem non invenitur: atqui sensus externus est incapax affirmationis sicut & negationis; affirmatio quippe, sicut & negatio, in sola potentia judicativa & ratiocinativa, quæ est intellectus, reperiri potest: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. quamvis & enim sensus externus sit incapax falsitatis judicativæ, quæ necessariò cum affirmatione vel negatione conjungitur, quæque in sola potentia judicante, seu affirmante, vel negante, atque ratiocinante, invenitur; ipse tamen sensus externus est capax apprehensivæ falsitatis, seu apprehensionis falsæ, qua nempè objectum apprehendatur aliter ac est in se, quæque falsitatis judicativæ occasionem præbeat, inducendo intellectum ad falsò de objecto judicandum: est autem contra rationem sive naturam legitimi criterii seu legitimi dijudicandæ veritatis circa res sensibiles instrumenti, quòd interdum fallatur, quacumque tandem falsitate, sive judicativa, sive apprehensiva.

Instab. si unus sensus externus interdum falleretur, posset ille sensus redargui falsitatis, atque cortigi: atqui si unus sensus externus fallatur, falsitatis redargui, & cortigi nequit: ergo &c. Ma. manifesta est. Prob. min. si dum unus sensus

ex-

externus fallitur, possit falsitatis redargui, atque corrigi; vel corrigi potest ab intellectu, vel ab alio sensu externo. atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & primò quidem dum unus sensus externus fallitur, nequit ab alio sensu externo corrigi: tum quia alius sensus externus non est certior isto, qui fallitur: tum quia dum unus sensus externus circa proprium objectum fallitur, nequit istud objectum ab alio attingi (neque enim v. g. potest visus proprium auditus objectum attingere;) proindèque non valet alius sensus externus hunc sensum externum errantem circa proprium objectum corrigere: tum denique, quia una potentia nequit aliam corrigere, nisi mediante judicio, judicando nempè, objectum non ita se habere, sicuti per potentiam errantem apprehenditur; judicium autem non est in ullo sensu externo, sed in solo intellectu reperitur. Praetereà, si aliquis sensus externus fallitur, non potest falsitatis ab intellectu redargui & corrigi; quandoquidem intellectus interdum etiam decipitur.

Respondeo concessa ma. negando min. Reverà namque dum aliquis sensus externus fallitur, potest falsitatis ab intellectu redargui; quatenus ipse intellectus, tanquam potentia superior atque praestantior, ex majori lumine, potest expendendo operationem sensus externi, ipsius falsitatem & errorem percipere, atque corrigere. Nec refert, quòd intellectus interdum decipiatur; potest quippe intellectus supra operationem suam reflecti, & in ea reflexione deceptionem suam deprehendere, ipsamque simul cum falsitate sensus externi errantis corrigere.

Urgeb. intellectus dependet à sensibus externis, juxta illud axioma: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*: ergo intellectus nequit sensuum externorum falsitatem corrigere; sed potiùs dum fallitur, ab ipsis corrigatur necesse est.

Respondeo distinguendo ant. intellectus dependet à sensibus externis, tamquam à conditione ad operandum seu ad intelligendum prævia, concedo; revera namque ministerium sensuum externorum est conditio prævia ad hoc, ut intellectus in se species rerum intelligendarum habere possit, modo in lib. de anima explicando: intellectus dependet à sensibus externis, tamquam à legitimo dijudicandæ veritatis circa res sensibiles instrumento, vel tanquam à legitimo canone, seu legitima regula, discernente veritatem à falsitate, (cujus quidem regulæ proprium est, corrigere falsitatem ac errorem potentiæ falsò cognoscentis & errantis) nego ant. & conseq. Et juxta hanc doctrinam intelligendum est commune illud axioma: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*: reipsa namque nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, sicut in conditione ad intelligendum prævia; non autem sicut in legitimo dijudicandæ veritatis circa res sensibiles instrumento, vel sicut in legitimo Canone, seu legitima regula, veritatem à falsitate circa res sensibiles discernente.

§. IX.

Alii tres Canones primi criterii refelluntur.

Ex dictis infertur 1. contra Epicurum, secundum Canonem primi criterii, his verbis comprehensum: *Opinio est consequens sensum, &c.* non esse infallibilem circa res sensibiles dijudicandæ & cognoscendæ veritatis regulam: siquidem infallibilis dijudicandæ veritatis regula nec fallitur nec fallit unquam; alioquin non esset infallibilis: opinio verò sensum consequens sæpe fallitur, & hominem fallit; quoniam it-

frequenter falsa est, ut fatentur Adversarii, & quotidiana patet experientia.

Nec valet, si respondeat Epicurus, opinionem consequentem sensum, frequenter quidem esse falsam, quando tempore per operationem sensus apprehensam illicò judicamus, talem esse in se, qualis prima fronte sensui apparet; non tamen si expectemus, donec omnia accuratè circumspexerimus, & ad eam sensuum externorum evidentiam pervenerimus, cui ex naturali lumine contradici ampliùs non possit.

Non valet, inquam: quoniam tametsi tunc rariùs falsa sit opinio sensum consequens, attamen adhuc nonnunquam falsa est; ut patet in Lutheranis & Calvinistis, dum ex solo lumine naturali judicant de Eucharistiæ Sacramento, juxta opinionem sensuum consequentem; quantumvis enim omnia accuratè circumspiciant, & ad eam sensuum externorum evidentiam perveniant, cui ex naturali lumine solo contradici ampliùs non possit: falluntur tamen, errantque, quoniam fidem divinam minimè consulunt.

Inferes 2. contra Epicurum, tertium Canonem primi criterii, qui istis verbis continetur: *Opinio illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur, sensus evidentia*: non esse etiam infallibilem circa res sensibiles dijudicandæ atque cognoscendæ veritatis regulam. Etenim dum Lutheranus, vel Calvinista judicat, accidentia in Hostia consecrata (quæ utique res sensibiles sunt) conjungi cum ipsa panis substantia; huic opinioni suffragatur, vel non refragatur, sensus evidentia, & tamen opinio illa est falsa: ergo ista propositio: *Opinio illa vera est, cui vel suffragatur &c.* non est admittenda, tanquam infallibilis regula cognoscendæ veritatis; quæ nempè semper sit vera, & nunquam falsa; ita ut nunquam fallatur, & neminem fallat, unquam.

Nec valet, si respondeat Epicurus, regu-
lam

lum illam esse intelligendam, sepositis omnibus obstaculis, quæ possent impedire, quominùs sensibilis res talis videretur, qualis est in se.

Non valet inquam: si enim Lutheranus, aut Calvinista, sanis oculis, medio rectè disposito, & in debita distantia, aspiciat colorem Hostiæ consecratæ, aspicit reipsa hujusmodi hostiæ colorem (qui est res aut qualitas sensibilis) sepositis omnibus obstaculis, quæ possent impedire, quominùs color ille talis videretur, qualis est in se: & nihilominùs opinio Lutherani, vel Calvinistæ, qua judicat, colorem Hostiæ Consecratæ conjungi cum substantia panis, falsa est, quamvis ipsi suffragetur, vel non refragetur sensus evidentia.

Inferes 3. contra Epicurum, quartum Canonem primi criterii, his terminis designatum: *Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus evidentia*: non esse quoque infallibilem dijudicandæ & cognoscendæ veritatis regulam. Siquidem propositio, quæ est infallibilis dijudicandæ ac cognoscendæ veritatis regula, debet semper esse vera; ut liquet satis: atqui ista propositio: *Opinio illa falsa est &c.* non est semper vera: ergo &c. Prob. min. exemplo hominis Catholici realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento credentis; si enim vera semper foret ista propositio: *Opinio, illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus evidentia*: verè falsa esset opinio, seu falsum foret judicium Catholici hominis, judicantis secundùm fidem, Corpus Christi esse realiter præsens in Eucharistiæ Sacramento; quandoquidem illi opinioni, vel illi judicio, refragatur, vel non suffragatur sensus evidentia: hinc canit Ecclesia Catholica in hymno festi Corporis Christi: *Præstet fides supplementum sensuum defectui.*

§. X.

§. X.

Quid de secundo criterio, & de quatuor Canonibus ad ipsum spectantibus dicendum sit?

SEcundum Epicuri Criterium est *Anticipatio*, seu *Prænotio*, per quam Epicurus intelligit ideas seu species, quæ mediis sensibus externis in intellectu efformantur. Quæritur ergo, utrum ideæ illæ dici possint legitimum circa res intelligibiles criterium, sive legitimum dijudicandæ atque cognoscendæ veritatis circa res intelligibiles instrumentum; & utrum quatuor Canones ad Anticipationem seu Prænotionem spectantes censeri debeant infallibiles circa res intelligibiles dijudicandæ & cognoscendæ veritatis regulæ?

Dicendum est 1. Anticipationem sive Prænotionem non esse legitimum dijudicandæ atque cognoscendæ veritatis circa res intelligibiles instrumentum.

Prob. & explicatur: per anticipationem, seu prænotionem, significantur rerum ideæ seu species, quæ mediis sensibus externis in intellectu formantur; ut fatentur Epicuri Discipuli: atqui ideæ illæ nequeunt dici legitimum &c. Ergo &c. Prob. min. legitimum dijudicandæ atque cognoscendæ veritatis instrumentum, non debet esse falsitati & errori obnoxium; alioquin sæpè esset instrumentum cognoscendæ falsitatis: atqui ideæ rerum, quæ mediis sensibus externis in intellectu producuntur, sunt falsitati & errori obnoxiæ; sicut & sensus externi, à quibus illæ ideæ proveniunt, sunt falsitati & errori obnoxii; modo suprà dicto & probato: ergo &c.

Ex dictis infertur 1. contra Epicurum, primum Canonem secundi criterii, his terminis contentum: *Omnis, quæ in mente est, Anticipatio, seu Prænotio, dependet à sensibus; idque sit vel incursione &c.* non esse infallibilem circa res intelli-

que infallibilem regulam, qua veritatem in rebus intelligibilibus dijudicemus & cognoscamus. Ut enim suprà diximus, Epicurus in eo Canone docet, quòd ad ratiocinandum perfectè, nullis aliis regulis opus sit, quàm rerum ideis: atqui hæc Epicuri doctrina nequit dici infallibilis regula, qua veritatem in rebus intelligibilibus dijudicemus & cognoscamus; imò hujusmodi doctrina falsa est: ergo &c. Prob. min. ad hoc ut homo perfectè ratiocinetur, indiget scientia, cujus beneficio terminos & propositiones aptè in Argumento disponat, ut consequens legitimè ex antecedente sequatur; cujus ope etiam quærat & inveniat medium, vi cujus consequens rectè ex antedente inferatur: falsum autem est, ad hanc scientiam habendam sufficere solas rerum ideas, quæ mediis sensibus externis in mentem immittuntur; cùm etenim habere ideas rerum per ministerium sensuum externorum, sit omnibus hominibus commune, quantumvis sint Rustici & agrestes; obtinere scientiam ordinatam ad disponendos terminos, & propositiones disponendas in Argumento, ut consequens legitimè sequatur ex antecedente, & ad quærendum atque inveniendum medium, vi cujus consequens ex antecedente optimè inferatur, foret omnibus hominibus, etiam rusticis & agrestibus, commune: quod tamen patet esse falsum.

Infers 4. quartum Canonem his expressum verbis: *Quod inevidens est, ex rei evidentis Anticipatione demonstrari debet*: non esse regulam infallibilem, qua veritatem in rebus intelligibilibus dijudicare & cognoscere valeamus. Illo enim in Canone censet Epicurus, quòd cum aliqua res intelligibilis est nobis obscura atque inevidens, debeamus de ea judicare, ipsamque demonstrare seu manifestè colligere, ex anticipatione, sive ex idea rei nobis evidentis, cum qua res inevidens connaturalem habet connexionem: atqui ista

Epi-

Epicuri doctrina non est regula infallibilis, qua veritatem in rebus intelligibilibus dijudicare & cognoscere valeamus; imò ejusmodi doctrina nonnunquam falsa est: ergo &c. Prob. min. etenim substantia, quæ est in Hostia consecrata, est res intelligibilis, nobis obscura & inevidens; & tamen falsum est, quòd debeamus de illa judicare, ipsamque demonstrare, ex idea rei secundùm sensum nobis evidentis; scilicet ex idea sensibilium accidentium, quæ evidenter per sensus apprehendimus; neque enim accidentia illa substantiam corporis Christi Sacramentaliter sub ipsis præsentem demonstrant, sed potiùs substantiam panis naturaliter indicant.

§. XI.

Adversariorum objectiones diluuntur.

OBJI. 1. Intellectus nequit verè & scientificè de rebus intelligibilibus judicare & discurrere, nisi habeat rerum ideas per ministerium externorum sensuum acquisitas: ergo ideæ istæ sunt legitimum dijudicandæ atque cognoscendæ veritatis circa res intelligibiles instrumentum.

Respondeo distinguendo ant. intellectus nequit verè & scientificè de rebus intelligibilibus judicare & discurrere, nisi habeat rerum ideas per ministerium externorum sensuum acquisitas, simul cum modis sciendi (scilicet cum definitione, divisione & argumentatione) & regulis earum, concedo: nisi habeat præcisè rerum ideas &c. nego & distinguo similiter consequens: ergo ideæ istæ junctæ cum allatis modis sciendi, & regulis ipsorum, sunt legitimum &c. concedo: ergo ideæ istæ præcisè sumptæ, sunt legitimum &c. nego.

Objic. 2. Ideæ rerum immissæ per ministerium sensuum externorum sunt semper veræ & objectis conformes: ergo dici possunt legitimum dijudicandæ & cognoscendæ veritatis instrumentum.

tum. Conseq. videtur manifesta. Prob. ant.tunc ideæ sunt veræ, & objectis conformes, quando repræsentant objecta prout sunt in se; ut patet: atqui ideæ semper repræsentant objecta prout sunt in se; quandoquidem ideæ aut species sunt objecta ipsa in esse repræsentativo; ut docent communiter Discipuli D. Thomæ: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. ideæ rerum &c. sunt semper veræ, & objectis conformes, quando ideæ illæ per allatos sciendi modos regulantur, & cum ipsis conjunguntur, concedo: quando ejusmodi ideæ ab illis sciendi modis separantur, nego. Et eodem modo distinguendum est consequens. Ad prob. ant. concessa ma. distinguo min. atqui ideæ à modis sciendi regulatæ, & cum illis conjunctæ, semper repræsentant objecta prout sunt in se, concedo: atqui ideæ à modis sciendi separatæ, semper repræsentant objecta prout sunt in se, nego.

Dum autem dicunt discipuli D. Thomæ, ideas sive species esse objecta ipsa *in esse repræsentativo*, loquuntur de objectis acceptis secundùm statum, in quo repræsentantur; adeò ut si repræsententur duntaxat secundùm statum apparentem, quem non habent in se (& ita si repræsententur alio modo, quàm in se sint) ideæ sint ipsa objecta *in esse repræsentativo*, secundùm statum apparentem tantummodò; si verò objecta repræsententur secundùm statum, quem verè habent in se, ideæ sint ipsa objecta *in esse repræsentativo*, secundùm statum, quem verè habent in se.

Instab. Objecta quandoque immittunt in sensus externos species seu ideas veras; ut certum est: ergo objecta semper sensibus externis veras ideas imprimunt. Prob. conseq. objecta semper eodem modo agunt in sensus externos: ergo si objecta interdum immittunt in sensus externos species sive ideas veras, semper similes ideas externis sensibus imprimunt. Prob. ant. quod agit

ne-

necessariò, semper eodem modo operatur: atqui objecta agunt necessariò in sensus externos: ergo &c.

Respondeo concesso ant. negando conseq. objecta siquidem eo modo ideas in sensus externos immittunt, quo ipsis sensibus externis objiciuntur; unde dum hujusmodi sensibus res objiciuntur secundùm statum, quem verè habent in se veras, aut sibi conformes, in sensus externos immittunt ideas: si autem res sensibus externis objiciantur secundùm statum apparentem, quem in se verè non habent; tunc ejusmodi sensibus ideas imprimunt omninò falsas, sive dissimiles; quibus nimirum alio modo, quàm reipsa sint in se, repræsentantur. Ad prob. ant. distinguo ant. objecta semper eodem modo, ex parte agentium, agunt in sensus externos; quatenùs objecta ex part sui semper necessariò, seu modo necessario, agunt, immittendo necessariò ideas sive species in illos sensus, concedo: objecta semper eodem modo, ex parte idearum sive specierum productarum aut immissarum, agunt in sensus externos; ita ut producant seu immittant ideas seu species, quibus eodem modo repræsententur, quæque semper sint perfectè objectis similes, nego ant. & conseq. Ad prob. ant. distinguo ma. quod agit necessariò, semper eodem modo, ex parte agentis, operatur, concedo: quod agit necessariò, semper eodem modo, ex parte rei productæ, operatur, nego. Et concessa min. distinguendum est consequens distinctione data.

Obii. 3. definitiones rerum sunt legitima dijucandæ atque cognoscendæ veritatis circa res intelligibiles instrumenta; ut patet: atqui ideæ rerum sunt ipsarum definitiones: ergo &c. Prob. minor: definitio rei est id, per quod ab aliis differt: atqui quælibet res per ideam suam differt ab aliis; sic v. g. homo per ideam suam ab omnibus aliis distinguitur: ergo &c.

Ref-

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui ideæ rerum conjunctæ cum regulis bonæ definitionis (ita ut ratione illarum repræsentent & explicent genera & differentias rerum) sunt ipsarum definitiones, concedo: atqui ideæ rerum præcisè sumptæ (prout per ministerium sensuum externorum imprimuntur) & à regulis bonæ definitionis separatæ, sunt ipsarum definitiones, nego. Ad prob. min, distinguo ma. definitio rei est id, per quod perfectè & certè ab aliis differt, concedo: definitio rei est id, per quod imperfectè, & modo falsitati obnoxio, ab aliis differt, nego; quamvis verò quælibet res per ideam suam cum regulis bonæ definitionis conjunctam, perfectè & certò ab aliis differat; attamen una res per ideam à regulis bonæ definitionis separatam, imperfectè solùm, & modo falsitati obnoxio, ab aliis distinguitur.

Objicies 4. eo ipso præcisè, quòd intellectus habet ideam *Rationalis*, & ideam *Risibilis*, potest perfectè ratiocinari, inferendo *Risibile* ex *Rationali*: ergo cùm in perfecta ratiocinatione circa res intelligibiles, veritatem dijudicemus & cognoscamus, ideæ rerum dici possunt legitimum dijudicandæ & cognoscendæ veritatis circa res intelligibiles instrumentum.

Respondeo negando ant. ut enim perfectè ratiocinando, intellectus inferat *Risibile* ex *Rationali*, non sufficit præcisè, ut intellectus *Rationalis*, & *Risibilis* habeat ideas (alioquin homo rusticus, in quo ideæ illæ reperiuntur, posset perfectè ratiocinari & argumentari; quod absurdum est) sed præterea necesse est, ut sciat regulas bonæ perfectæque argumentationis (qua perfectè ratiocinamur) quæ in sola Logica traduntur & explanantur.

§. XII.

Tertium criterium, & Canones ad ipsum pertinentes, expenduntur.

Tertium Epicuri criterium est *Passio*, seu affectio, per quam ipse intelligit affectus voluptatis & doloris. Quæritur ergo, utrum affectus illi meritò vocari possint legitimum circa res morales criterium, id est, legitimum dijudicandæ & cognoscendæ veritatis in rebus moralibus instrumentum, quo nimirum in moralibus verè dijudicare & cognoscere valeamus, quænam res sint amplectendæ, & quænam fugiendæ, ab homine moraliter operante?

Affirmat Epicurus, docetque utendum esse affectione seu passione, id est, voluptate, & molestia seu dolore; ita ut omnis res, quæ in nobis voluptatem causat, sit amplectenda; & omnis, quæ molestiam aut dolorem procreat, sit fugienda. Negant tamen communiter peripatetici; imò & omnes verè Christiani. Cùm quibus

Dicendum est 3. passionem aut affectionem non esse legitimum dijudicandæ veritatis circa res morales instrumentum.

Prob. & explicatur: per passionem vel affectionem intelligenda est voluptas, vel molestia; ut ipse Epicurus fatetur: atqui voluptas & molestia nequeunt dici legitimum dijudicandæ veritatis circa res morales instrumentum: ergo &c. Prob. min. Si voluptas & molestia essent legitimum dijudicandæ veritatis circa res morales &c. dum homo vult moraliter agere, deberet semper voluptatem & molestiam consulere, voluptatem quidem ut prosequendam, & molestiam ut fugiendam: atqui dum homo vult moraliter agere, non debet semper voluptatem & molestiam consulere: ergo &c. Maj. apud Epicuri Discipulos perspicua est, sicut & apud Epicurum ipsum.

ipsum. Prob. min. Si dum homo vult moraliter operari, deberet semper voluptatem & molestiam consulere; maximè, quia debet semper voluptatem prosequi, & molestiam fugere; ut iidem fatentur Philosophi: atqui dum homo vult moraliter operari, non debet semper voluptatem prosequi, & molestiam fugere: ergo &c. Prob. min. etenim respectu hominis libidinosi, in obscenis actionibus, voluptas quædam est; & in abstinentia ab ejusmodi actionibus molestia reperitur: & tamen, si homo ille velit moraliter operari, seu agere secundùm dictamen conscientiæ, nequaquam deber prosequi actionum obscenarum voluptatem, & abstinentiæ ab hujusmodi actionibus molestiam fugere; quandoquidem primum est dictamini conscientiæ dissonum, secundum verò eidem dictamini consonum est.

Explanatur ampliùs: cùm homo vult moraliter operari, debet ex consilio judicare, id esse prosequendum, quod est moraliter bonum; & illud esse fugiendum, quod moraliter malum est; quod enim est moraliter bonum, debet placere homini moraliter agenti; & quod moraliter malum est, debet illi displicere: atqui voluptas non est semper moraliter bona; ut patet in obscenis voluptatibus: & molestia non semper moraliter mala est; ut liquet in abstinentia ab obscenis voluptatibus ex motivo & honestate castitatis: ergo &c.

Urgetur ampliùs: quod opponitur doctrinæ primæ Veritatis incarnatæ, non debet censeri legitimum dijudicandæ & cognoscendæ veritatis instrumentum; ut constat satis: atqui illæ propositiones: *Voluptas ab homine moraliter operante semper est prosequenda: & molestia semper fugienda est*: opponuntur doctrinæ primæ Veritatis incarnatæ, seu Christi: ergo &c. Prob. min. Matth. 15. Christus sic loquitur: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & c.* Homo autem moraliter operans, sive

sive secundùm dictamen suæ conscientiæ agens, non abnegat semetipsum, neque crucem suam tollit, sensuum voluptates prosequendo; sed potiùs liberè ab illis, ob amorem Christi, & ad ipsius imitationem, abstinendo.

Eandem doctrinam tradit Apostolus tanti Præceptoris Discipulus, ad Galat. cap. 5. *Qui autem Christi sunt*, inquit, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, abstinendo videlicet ab omnibus concupiscentiis, seu desideriis carnis, quibus sensuum voluptates prosequimur. Et ad Col. 3. iterùm sic ait: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram*. Et rursus 2. ad Corint. cap. 4. *Semper* (inquit) *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris*. Mortificatio verò illa in abstinentia à voluptatibus sensuum sita est. Quæ utique doctrina manifestè opponitur allatis suprà Epicureorum propositionibus, ut consideranti patebit.

Ex dictis inferes, reiiciendos esse Canones ad tertium illud criterium pertinentes. Primus Canon est iste: *Ea voluptas, quæ nullam habet annexam molestiam, amplectenda est*. Secundus Canon est hic: *Ea molestia, quæ nullam habet annexam voluptatem, fugienda*. Tertius Canon est hujusmodi: *Ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit, fugienda*. Quartus Canon est hujusmodi: *Ea molestia, quæ aut majorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda*. Inferes, inquam, rejiciendos esse illos Canones ex eo, quòd omnes illi Canones supponant duas superiùs positas propositiones: *Voluptas semper est prosequenda: & molestia semper est fugienda*: quæ quidem propositiones falsæ sunt & rejiciendæ, ut ex dictis liquet.

Obiic. 1. Quod est bonum, est amplectendum: atqui voluptas semper bona est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod est moraliter

ter bonum, sive quod secundùm conscientiæ dictamen est bonum, est amplectendum, concedo: quod physicè solùm est bonum, sive quod præcisè est appetitui sensitivo conveniens, est amplectendum, nego: voluptas autem semper quidem bona est physicè, non tamen moraliter, & secundùm rectum conscientiæ dictamen.

Instab. quod maximè ab homine appetitur, ipsum est amplectendum: atqui voluptas maximè ab homine appetitur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod maximè ab homine appetitur, appetitu rationali, & ex recto dictamine conscientiæ, ipsum est amplectendum, concedo: quod maximè ab homine appetitur appetitu sensitivo, & ex solo passionum impetu, ipsum est amplectendum, nego: quamvis verò voluptas maximè ab homine appetatur; non appetitur tamen semper appetitu rationali, & ex recto dictamine conscientiæ; sed sæpè solo appetitu sensitivo, & ex solo passionum impetu.

Objic. 2. Illud homini semper est amplectendum, ratione cujus benè & beatè se habet: atqui homo ratione voluptatis benè & beatè se habet: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. illud homini semper est amplectendum, ratione cujus benè & beatè se habet, prout est rationalis, concedo: ratione cujus benè & beatè se habet, prout est animal, & prout cum brutis convenit, nego: quamvis verò ratione voluptatis benè & beatè se habeat homo, prout est animal, cum brutis conveniens; non tamen ut rationalis est, & prout à brutis animalibus differt.

LOGICA MAJOR.



Uoniam Logica est cæterarum scientiarum janua, eam ante omnes scientias esse tradendam liquet; qui enim domum cupit ingredi, prius ad januam perveniat necesse est. Si autem Logica major aliarū scientiarum janua meritò vocatur, Logica minor illarum clavis non immeritò dicitur: sicut enim nisi clavis januam aperiat, interiora domus penetrare non vales; ita nisi Logica minor modos & instrumenta sciendi exponat, expeditus ad scientias aditus patere non potest. Constat ergo, Logicam minorem, seu institutiones Logicas, primò nos tradere debuisse; ut apertis foribus, ad Logicam majorem, cæterasque scientias, facilis fieret ingressus.

Logicam verò majorem ita tractaturi sumus, ut præmissa quæstione præambula de Logicæ natura, reliquum opus in tres partes dividamus, quibus tres mentis operationes diriguntur. In prima parte agetur de universalibus & prædicamentis, quæ terminis simplicibus exprimuntur, quorum notitia prima mentis operatio, nimirum simplex apprehensio, regulatur. In secunda parte sermo erit de propositione, qua rectum efficitur judicium, in quo secunda mentis operatio posita est. In tertia tandem parte disseretur de argumentatione, cujus cognitio ad dirigendam tertiam mentis operationem, seu ad regulandum discursum, ordinatur.

QUÆ-

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

De Natura Logicæ.

LOgicæ Natura est id, quod primò in ipsa concipitur, quodque radix est cæterorum, quæ in ea inveniuntur: ideòque nobis de Logica disputaturis, primò de illius natura disserendum occurrit.

ARTICULUS PRIMUS.

De objecto Logicæ.

§. I.

Quædam ad intelligentiam difficultatis necessaria præmittuntur.

NAtura cujuslibet habitus maximè ab ipsius objecto pendet; quandoquidem quilibet habitus, ex communi Philosophorum doctrina, à suo objecto specificatur; id est, per ordinem ad ipsum in sua natura specifica constituitur: igitur natura Logicæ, sive habitus Logici essentia legitimè exponatur, objectum illius in primis est explicandum; quædam tamen ut certa priùs supponenda sunt, & advertenda.

Suppono, objectum potentiæ, vel habitus, aliud esse materiale, & aliud formale. Objectum materiale est res, quæ potentiæ vel habitui obficitur attingenda. Objectum verò formale est ratio illa, quam potentia vel habitus, in re primariò & per se considerat. Sic, v.g. corpus, quod potentiæ visivæ objicitur inspiciendum, est ejus materiale objectum; color verò, quem eadem potentia primariò & per se in corpore percipit, objectum illius formale vocatur. De objecto materiali Logicæ nulla est apud Philosophos controversia; certum enim est, materiale objectum Logicæ esse res om-

nes, circa quas ipsa versatur, quæcumque tand
sint. Unde de solo formali objecto Logicæ super
disceptatio; ad cujus ampliorem intelligentian

Advertendum est 1. ens (quantùm ad præs
spectat propositum) esse duplex; nimirum ens r
le, & ens rationis. Ens reale illud est, quod in
rum natura habet esse, nullo intellectu de ipso
gitante: hujusmodi sunt Angelus, Homo, &c.
rationis verò est id, quod à ratione, sive ab inte
ctu, ita formatur, ut in solo intellectu esse hab
objectivè, seu ad modum objecti ab eo cognit
efformati, quod evanescit statim, si actualis de
so cesset in intellectu cogitatio: ejusmodi sunt
meræ, quæ ab intellectu nostro efformantur.

Advertendum est 2. ens rationis iterum esse
plex: aliud quippe est ens rationis merè chim
cum, alterum est in re fundatum. Prius est, q
ab intellectu fictitiè prorsus operante format
vocaturque *Chimera*. Posterius verò est illu
quod quidem extra intellectum formaliter nõ
peritur, sed esse objectivè habet in solo intelle
attamen fit ab intellectu operante cum funda
to in ea re, circa quam versatur; hujusmodi est
tionis distinctio, quæ in homine inter gradũ *A*
malis, & gradum *Rationalis*, ab intellectu effici
hæc quippe distinctio fundatur in diversis op
tionibus, quæ ab homine, ut *Animali*, & *Rati*
li, procedunt: ut suo loco dicetur.

Nonnumquam etiam istud ens rationis est c
rationis mentis directivum, sive mentem dirigi
ipsa mens operatione sua rem sine errore perc
at: hujusmodi sunt formales rationes generis,
ciei, differentiæ, definitionis, divisionis, prop
tionis, argumentationis, &c. Hæc enim om
sunt in primis entia rationis, quoniam extr
tellectum in rerum natura nequaquam reperi
tur, sed habent esse objectivè in solo intellectu
illis cogitante; ut infrà patebit. Præterea
non sunt merè chimerica, sed fundamentum
bent in rerum naturis, quibus attribuuntur; pr

omne

omnes Peripatetici fatentur. Illa demùm sunt mentis operationum directiva. Definitio namque & divisio primam mentis operationem, videlicet simplicem apprehensionem, dirigunt; quatenus mens, earum ope, naturam rei definiendæ, vel totius dividendi partes, absque errore percipit. Insuper propositio rectâ secundam mentis operationem, scilicet judicium, dirigit; quatenus mens, ejus beneficio, rectè judicat, prædicatum convenire, vel repugnare subjecto. Rursus argumentatio tertiam mentis operationem, discursum nempe, dirigit, quatenus mens, illius notitia, consequens legitime ex antecedente discurrendo infert. Genus tandem, differentia, species, & alia similia, prout definitioni, divisioni, propositioni, & argumentationi, inserviunt, etiam mentem ad scientiam veritatis dirigunt.

Advertendum est 3. intentionem esse duplicem: una ad voluntatem pertinet, altera ad intellectum spectat. Prior est actus voluntatis finem per media obtinere volentis; & de ista hic non est sermo. Posterior est intellectus operatio, qua intellectus in objectum tendit. Apud Dialecticos autem duplex iterum est intellectus intentio: altera namque est intentio formalis, altera est objectiva. Prior est operatio intellectus in objectum tendentis. Posterior verò est ejusmodi operationis objectum.

Intentio intellectus, sive formalis, sive objectiva, dividitur à Dialecticis in primam, & secundam. Prima intentio formalis est ea intellectus operatio, quâ attingit directè objectum, prout in se est à parte rei; objectum verò ita cognitum dici solet prima intentio objectiva: sic v. gr. dum intellectus percipit hominem, prout est animal rationale, operatio intellectus hominem sic percipientis, est prima intentio formalis; homo autem ab intellectu perceptus, prima intentio objectiva dici potest. Secunda intentio formalis est illa operatio intellectus, quâ intellectus reflexè cognoscit

objectum ut importans id, quod ipsi, ut est à parte rei extra ipsum intellectum, non convenit; sed competit ei duntaxat secundùm statum, quem habet in intellectu reflexè ipsum cognoscente; objectum verò ab intellectu hoc modo cognitum appellatur secunda intentio objectiva; & quidem, si id, quod objectum importat, secundùm eum statum duntaxat, quem habet in intellectu, ad considerationem Logicæ pertineat, appellari debet secunda intentio objectiva Logicalis; operatio autem, qua intellectus objectum ita sumptum attingit, secunda intentio formalis Logicalis dici potest: sic v.g. dum intellectus meus humanam apprehendit naturam, tanquam speciem omnibus individuis humanis convenientem, natura humana hoc modo apprehensa est secunda intentio objectiva Logicalis, quoniam ratio speciei ad considerationem Logicæ spectat, & præterea convenit humanæ naturæ secundùm statum illum duntaxat, quem habet in intellectu, ipsam ut unam & pluribus individuis solo numero differentibus convenientem apprehendente: operatio autem, qua intellectus naturam humanam sic apprehendit, est secunda intentio formalis Logicalis. His omnibus præmissis.

§. II.

Referuntur sententiæ, quarum duæ apud recentiores præcipuæ, rejiciuntur; & tertia stabilitur.

PRima sententia docet, objectum formale Logicæ esse operationes intellectus ut dirigibiles per regulas definitionis, divisionis, argumentationis, &c. adeò ut entitas operationum intellectus sit ratio materialis, circa quam Logica versetur; earumdem verò operationum dirigibilitas, sit formalis ratio, sub qua operationes illæ à Logica considerentur. Hanc sententiam do-

docent Suàtes, & alii patres ejusdem Societatis communiter.

Secunda sententia asserit, objectum formale Logicæ esse naturas reales ordinatè ab intellectu definiente, dividente, & argumentante, cognitas: tali modo ut naturæ reales sint ratio quæ à Logica attingitur, & cognitio intellectus definientis, dividentis, & argumentantis, extrinsecè denominans naturas illas ordinatè cognitas, sit ratio formalis, sub qua Logica cætera considerat. Hanc sententiam defendunt plures recentiores; cui sententiæ subscribere videntur quidam Neoterici existimantes, formale objectum Logicæ esse directionem activam, id est, operationes intellectus activè secundùm præceptorum, & documentorum Logicalium directionem ordinatè definientis, dividentis, & argumentantis.

Tertia sententia affirmat, formale objectum Logicæ esse ens rationis directivum trium mentis operationum; seu esse secundas intentiones rationis, quæ in objecta definitionis, divisionis, propositionis, argumentationis, &c. ab intellectu definiente, dividente, enunciante, argumentante, &c. introducuntur, aut in ipsis efformantur; adeò ut solæ secundæ intentiones illæ, per se aut ratione sui à Logica considerentur; alia verò omnia ratione hujusmodi secundarum intentionum à Logica attingantur. Ita docent Thomistæ omnes.

Dico 1. Formale objectum Logicæ, non sunt operationes intellectus, ut dirigibiles per regulas definitionis, divisionis, argumentationis, &c. Hæc conclusio est contra 1. sententiam.

Prob. si formale objectum Logicæ, essent tres mentis operationes ut dirigibiles per regulas definitionis, divisionis, argumentationis, &c. maximè, quia Logica per se primò tendit ad dirigendas mentis operationes per regulas definitionis &c. atqui hæc ratio nulla est: ergo &c. Maj. est præcipuum Adversariorum fundamen-

tum. Prob. min. quamvis Arithmetica per se primò ordinetur ad dirigendas operationes intellectus per proprias regulas circa numeros recensendos, nihilominùs formale objectum Arithmeticæ non consistit in operationibus intellectus ut dirigibilibus per proprias Arithmeticæ regulas, sed situm est in numeris, circa quos ritè recensendos operationes illæ versantur; ut fatentur omnes: ergo pariter licèt Logica ad dirigendas mentis operationes per regulas Definitionis, Divisionis, Argumentationis, &c. per se primò tendat; in istis tamen operationibus, prout sunt per regulas illas dirigibiles, non est ponendum formale objectum Logicæ; sed constituendum est in legitimè conficiendis Definitionibus, Divisionibus, Argumentationibus, &c. objectivis.

Dico 2. formale objectum Logicæ non sunt naturæ reales ordinatè ab intellectu definiente, dividente, & argumentante, cognitæ.

Prob. & explicatur: cùm Logica tradat & exponat regulas, ipsisque utatur ad artificiosè de objecto suo disserendum; eo proportionali modo debemus formale objectum Logicæ exponere quo formalia artium objecta explicare solemus sicut ergo formale objectum Architecturæ v. g non est domus extrinsecè cognita ordinatè juxt ipsius Architecturæ regulas; sed est domus ip ut intrinsecè affecta artificiali forma secundù easdem regulas introducta, quæ constituit nat ram domus: ita formale objectum Logicæ, n sunt naturæ reales extrinsecè ab intellectu, de niente, dividente, & argumentante, cogni ordinatè juxta regulas Definitionis, Divisioni & Argumentationis; sed sunt hujusmodi natu ut affectæ intrinsecè formis Logicalibus Def tionis, Divisionis, & Argumentationis, sec dùm regulas in Logica expositas introductis, quas Definitio objectiva, Divisio objectiva, Argumentatio objectiva, intrinsecè constitu

tur

tur ; ita tamen ut naturæ reales sint tantùm ratio materialis, quæ à Logica attingitur ; formæ verò, seu secundæ intentiones Logicales, sint ratio formalis per se primò considerata à Logica, & ratione cujus cætera considerat.

§. III.

Vera sententia stabilitur.

DIco 3. formale objectum Logicæ est ens rationis, directivum trium mentis operationum ; sive sunt secundæ intentiones rationis, quæ in objecta Definitionis, Divisionis, Propositionis, Argumentationis, &c. ab intellectu definiente, dividente, enunciante, argumentante, &c. introducuntur, sive in ipsis efformantur.

Prob. 1. ex D. Th. 4. Metaph. lect. 4. ubi sic fatur: *Ens est duplex; ens naturæ* (seu ens reale) *& ens rationis. Ens rationis propriè dicitur de illis secundis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis; ut est intentio generis, differentiæ, prædicati, &c. quæ quidem non inveniuntur in rebus, sed considerationem rationis consequuntur: & ejusmodi ens rationis est propriè subjectum Logicæ.*

Ubi in primis D. Thomas loquitur de ente rationis strictè & propriè dicto, ut ex ipsis verbis S. Doctoris patet. Præterea addit, ens rationis propriè dictum posse affirmari de secundis intentionibus Logicalibus Generis, Differentiæ, Prædicati, &c. Et tandem asserit, illud ens rationis esse propriè subjectum Logicæ; ubi non loquitur de subjecto inhæsionis, cui nempè Logica inhæreat (absurdum siquidem est, Logicam inhærere enti rationis) sed sermonem habet de subjecto primariæ considerationis, quod videlicet subjicitur primariæ considerationi Logicæ; quod utique est objectum ejus formale atque primarium.

Prob. 2. ea scientia circa ens rationis dire-

ctivum mentis operationum, tanquam circa proprium objectum formale, versatur, quæ *Philosophia rationalis* specialiter nuncupatur: atqui Logica specialiter *Philosophia rationalis* ab omnibus Philosophis nuncupatur: ergo &c. Min. certa est, & experientia liquet. Prob. autem maj. nequit aliqua scientia specialiter *Philosophia rationalis* appellari ex eo, quòd per regulas rationem, seu intellectum, dirigat ad scientificè, seu certò & evidenter, in suis operationibus procedendum; hoc quippe nullius scientiæ specialiter est proprium, sed omnibus scientiis commune est; siquidem quælibet scientia quasdam regulas habet, quas exponit, ut ex earum notitia & directione intellectus circa illius scientiæ formale objectum scientificè operetur: ergo aliqua scientia, nempè Logica, specialiter *Philosophia Rationalis* non appellatur, nisi ex eo, quòd circa ens rationis directivum mentis operationum, tanquam circa proprium objectum formale, versetur.

Addi potest, definitionem, divisionem, argumentationem, & alias secundas intentiones Logicales, quarum beneficio operationes intellectus diriguntur, & quas velut suum formale objectum considerat Logica, esse entia rationis, si formaliter spectentur; ut ex objectionum solutionibus patebit satis.

§. IV.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjj. 1. D. Thomas 3. Post. docet, *Operationes mentis esse propriam Logicæ materiam*: atqui propria Logicæ materia est formale objectum Logicæ: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. D. Thomas 3. Post. docet, operationes mentis esse propriam Logicæ materiam directionis, quatenus Logica circa

circa operationes mentis, secundùm regulas bonæ Definitionis, Divisionis, & Argumentationis, &c. dirigendas, ex proprio munere occupatur, concedo: docet, operationes mentis esse propriam Logicæ materiam primariæ considerationis, adeò ut operationes illæ primariò & ratione sui à Logica considerentur, nego: formale autem objectum Logicæ debet esse propria ejus materia primariæ considerationis.

Instab. D. Thomas in procemio Ethicæ, ait, quòd *quemadmodum Philosophia moralis est scientia operationum voluntatis directiva, sic Logica, scientia est directiva operationum intellectus.* ergo sicut operationes voluntatis, ut dirigibiles per regulas morales; sunt formale objectum Philosophiæ Moralis; sic etiam intellectus operationes, ut dirigibiles per regulas Logicæ, dici debent formale objectum Logicæ.

Respondeo negando conseq. ut enim vera sit comparatio inter Philosophiam Moralem, & Logicam, facta à D. Thoma, satis est, ut sicut Philosophia Moralis, ex proprio officio, dirigit voluntatis operationes juxta regulas morum; sic etiam Logica per regulas suas, ex proprio munere, intellectus operationes dirigat: cum qua tamen doctrina verum est semper, Philosophiam Moralem se habere ad voluntatis operationes, ut directas, vel dirigibiles, per regulas morales, sicut ad formale objectum; Logicam verò se habere ad operationes intellectus ut regulatas aut regulabiles per leges Logicales, non tanquam ad objectum formale, sed duntaxat velut ad finem remotum aut ultimum.

Ratio hujus disparitatis est, quòd Philosophia Moralis per se exponit naturam operationis voluntatis prout moralis est, sive prout est per regulas morales directa, vel dirigibilis, & ejus proprietates explanat, ratione quarum est meritoria, vel demeritoria, & laude, aut vituperio digna: Logica autem per se non ordinatur ad natu-

ram operationis intellectus definiendam, & ad proprietates ejus ostendendas; sed ordinatur per se ad definiendas secundarum intentionum Logicalium naturas, & ad ipsarum proprietates declarandas; tendit tamen remotè aut ultimò, tanquam ad finem, ad constituendas intellectus operationes rectè regulatas per leges definitionis, divisionis, argumentationis, & similes leges Logicales.

Urgeb. illud est objectum formale Logicæ, circa quod per se versatur: atqui Logica circa operationes intellectus per se versatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. illud est objectum formale Logicæ, circa quod primariò exponendum & considerandum, per se versatur, concedo: circa quod solùm ut dirigendum, per se versatur, nego: quamvis verò Logica per se versetur circa operationes intellectus, tanquam circa materiam dirigibilem per regulas bonæ Definitionis, Divisionis, Argumentationis, & hujusmodi, quas ipsa explicat; non versatur tamen per se circa intellectus operationes ut primariò exponendas & considerandas: & in hoc differt Logica à Philosophia Morali, quæ circa morales voluntatis operationes ut primariò explicandas, spectandas, atque cognoscendas occupatur.

Obji. 2. objectum formale Logicæ, sunt Definitio, Divisio, Argumentatio, & similes secundæ intentiones Logicales: atqui illæ intentiones secundæ sunt operationes intellectus secundùm bonæ Definitionis, Divisionis, Argumentationis, &c. regulas, definientis, dividentis, argumentantis, &c. ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. objectum formale Logicæ, sunt Definitio, Divisio, Argumentatio, & similes secundæ intentiones Logicales objectivæ, concedo: & similes secundæ intentiones Logicales formales, nego.

Itaque duo sunt secundarum intentionum Lo-

Logicalium genera; aliæ enim sunt secundæ intentiones Logicales formales, & aliæ objectivæ. Priores sunt operationes intellectus juxta regulas bonæ definitionis, &c. definientis, &c. Posteriores verò sunt illarum operationum objecta secundùm regulas bonæ definitionis &c. artificiosè disposita. Priores sunt actus à Logica eliciti. Posteriores autem sunt formale objectum Logicæ.

Et quamvis secundæ intentiones Logicales objectivæ sint entia realia, si sumantur materialiter, id est, si sumantur ex parte naturarum realium, quæ in eis inveniuntur; sunt tamen entia rationis, si accipiantur formaliter, id est, si accipiantur ex parte formarum, seu dispositionum Logicalium, quæ ab intellectu legitimè definiente &c. hujusmodi naturis tribuuntur; modo infrà explicando.

Dices: saltem argumentatio demonstrativa, seu demonstratio, quæ est secunda intentio Logicalis, non est ens rationis: ergo non omnes secundæ intentiones Logicales sunt entia rationis. Prob. ant. causa entis realis nequit dici ens rationis; ens enim reale ab ente rationis causari nequaquam potest: atqui demonstratio est causa entis realis, nimirum scientiæ; ut communiter docent Philosophi: ergo &c.

Respodeo distinguendo ant. saltem argumentatio demonstrativa, seu demonstratio formalis, quæ est formalis secunda intentio Logicalis, non est ens rationis, concedo: saltem argumentatiò demonstrativa, seu demonstratio objectiva, quæ est secunda intentio Logicalis objectiva, non est ens rationis, nego; demonstratio quippe objectiva nihil aliud est, quàm artificiosa seu Logicalis dispositio, quæ est in objectis propositionum demonstrationem formalem componentium; hæc autem dispositio non est ens reale, cùm à parte rei extra intellectum minimè inveniatur; sed est duntaxat ens rationis ha-

habens esse objectivè in intellectu modo demonstrativo argumentante. Distinguo eadem ratione consequens: ergo non omnes secundæ intentiones Logicales formales sunt entia rationis, concedo: ergo non omnes secundæ intentiones Logicales objectivæ sunt entia rationis, nego. Ad prob. ant. concessa major. distinguo min. atqui demonstratio formalis est causa entis realis, nimirum scientiæ, concedo: atqui demonstratio objectiva est causa entis realis &c. nego min. & conseq. sub distinctione data.

Itaque scientia, quæ effectus realis est, à duobus provenit, scilicet, à demonstratione formali, (quæ sita est in operationibus intellectus demonstrativè argumentantis) & à demonstratione objectiva: à priori quidem, velut à causa efficienti producitur, & à posteriori, solùm sicut à conditione objectiva procedit, quatenus artificiosa dispositio, quæ est in objectis propositionum demonstrationem formalem componentium, est quædam conditio prævia, ad hoc ut operationes, sive assensus intellectus demonstrativè arguentis scientiam efficiant: sicuti autem accidens potest esse conditio præviè ad substantiæ productionem requisita, (qua ratione, calor in ligno receptus, ad novi ignis ex ipso ligno generationem præviè disponit) sic etiam ens rationis potest interdum esse prævia idoneaque ad entis realis effectionem conditio.

Objic. 3. finis Logicæ est ipsius formale objectum: atqui operationes intellectus per regulas bonæ Definitionis, Divisionis, Argumentationis, &c. dirigibiles, sunt finis Logicæ, ad quem nempe ex sua natura tendit: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. finis proximus Logicæ est ipsius formale objectum, concedo: finis remotus & quasi ultimus Logicæ, est ipsius formale objectum, nego; etenim Logica proximè & immediatè ex sua natura ad

sui

sui objecti formalis considerationem ordinatur; & ideo formale objectum Logicæ, ut proximè ac immediatè ab ipsa considerandum, censeri debet proximus ac immediatus ejus finis: licèt autem operationes intellectus ut dirigibiles, dici possint remotus, & veluti ultimus finis Logicæ; proximus tamen atque immediatus ejus finis, sunt Definitio, Divisio, Argumentatio, & similes secundæ intentiones objectivæ Logicales; quoniam ad has intentiones considerandas, explanandas, & cognoscendas, proximè & immediatè tendit Logica ex propria natura; illarumque considerationem, explanationem, & cognitionem, remotè & quasi ultimò ordinat ad perfectam operationum intellectus directionem.

Instabis: corpus humanum, ut sanabile, est formale objectum Medicinæ: ergo pariter mentis operationes, ut dirigibiles, sunt formale objectum Logicæ.

Respondeo negando conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd Medicina per se primò de corpore humano, ut sanabili, demonstrat conclusiones; unde ipsa corpus humanum, ut sanabile, primariò considerat; quod autem primariò ab aliqua scientia consideratur, est ipsius objectum formale atque primarium: Logica verò per se primò, non de operationibus mentis, ut dirigibilibus; sed de ente rationis illarum operationum directivo, idest, de Definitione, Divisione, Argumentatione, & hujusmodi secundis intentionibus objectivis, conclusiones demonstrat.

§. V.

§. V.

Aliæ objectiones solvuntur.

OBjicies 4. objectum formale Logicæ, sunt secundæ intentiones objectivæ; ut ex dictis patet: atqui secundæ intentiones objectivæ non sunt entia rationis, sed sunt entia realia, nimirum sunt naturæ reales extrinsecè ab intellectu cognitæ; ergo &c. Prob. min. exemplo definitionis objectivæ, (quæ utique est secunda intentio objectiva) ipsa namque nihil aliud esse videtur, quàm natura realis ab intellectu definita, sive ab intellectu definiente cognita.

Respondeo distinguendo ma. objectum formale Logicæ, sunt secundæ intentiones objectivæ formaliter acceptæ, prout nempè significant formas Logicales, quibus formaliter constituuntur, concedo: objectum formale Logicæ, sunt secundæ intentiones objectivæ materialiter sumptæ, prout nimirum exprimunt naturas reales, quibus formæ illæ Logicales tribuuntur, eo proportionali modo, quo forma tribui solet materiæ, nego: & distinguo eodem modo min. atqui secundæ intentiones objectivæ materialiter sumptæ, non sunt entia rationis, &c. concedo: atqui secundæ intentiones objectivæ formaliter acceptæ non sunt entia rationis &c. nego. Ad prob. mio. concedo quidem, definitionem objectivam materialiter sumptam nihil aliud esse, quàm naturam realem ab intellectu definitam; ae id nego de definitione objectiva formaliter accepta; ipsa namque hoc modo considerata non est natura realis ab intellectu definita, sed est artificiosa dispositio ab intellectu definiente in hujusmodi natura producta, ratione cujus in genus & differentiam dividitur, ut completè perfectèque exponatur, quæ quidem dispositio nihil est aliud, quàm ens rationis habens esse objective

ctivè in solo intellectu definiente, vel in natura definita, ut ab intellectu definiente objectivè apprehensa.

Inst. genus objectivum est natura realis extrinsecè cognita ab intellectu ipsam cognoscente: ergo etiam quævis alia secunda intentio objectiva Logicalis est natura realis extrinsecè ab intellectu cognita. Conseq. ex paritate patet. Prob. ant. eo ipso, quòd intellectus cognoscit realem naturam (v. g. *animalis*) ut convenientem pluribus specie differentibus, (v. g. homini, & bruto) est genus objectivum; ut constabit ex infrà dicendis: ergo genus objectivum nihil est aliud, quàm natura realis extrinsecè cognita ab intellectu ipsam cognoscente.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distinguo ant. eo ipso, quòd intellectus cognoscit realem naturam ut convenientem pluribus specie differentibus, est effectivè genus objectivum, quatenus illa intellectus cognitio efficit in hujusmodi natura relationem rationis ad plura specie differentia, in qua consistit formalis ratio generis objectivi, concedo: est formaliter genus objectivum, adeò ut formalis ratio generis objectivi consistat in denominatione extrinseca sumpta ab illa intellectus cognitione, nego.

Instab. iterum: tunc realis natura dici debet genus objectivum, quando est objectum operationis intellectus genericè ipsam cognoscentis: atqui realis natura ab intellectu cognita ut conveniens pluribus specie differentibus, est objectum operationis intellectus genericò ipsum cognoscentis: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tunc realis natura dici debet genus objectivum, quando est objectum reflexæ operationis intellectus genericè ipsam cognoscentis, concedo: quando est objectum directæ operationis intellectus genericè ipsam cognoscentis, nego. Itaque quando intellectus

gene-

genericè aliquam naturam cognoscit, duplex occurrit ipsius intellectus cognoscentis operatio: una quidem directa, qua naturam illam secundum prædicata realia pecipit, quibus ipsa in se à parte rei constituitur; cujusmodi sunt *vivens* & *sensibile* respectu naturæ animalis: alia reflexa, qua intellectus reflectendo se supra eandem naturam, directè jam à se perceptam, abstrahit eam à pluribus inferioribus specie differentibus, ipsamque concipit ut illis communem, seu convenientem: natura generica prout est objectum prioris operationis, solam denominationem extrinsecam *cognitæ* ab intellectu accipit, unde materialiter solùm & impropriè est genus objectivum; eadem verò natura, prout est objectum posterioris operationis, accipit ab intellectu relationem rationis ad plura inferiora specie differentia, per quam genus objectivum formaliter & propriè constituitur; unde sic sumpta est genus objectivum formaliter ac propriè dictum.

Insta. rursus: subjectum vel prædicatum objectivum nihil est aliud, quàm natura realis extrinsecè ab intellectu cognita & denominata: ergo idem dicendum est de qualibet alia secunda intentione objectiva Logicali. Conseq. ex dictis liquet. Prob. ant. eo ipso, quòd intellectus sua cognitione subjicit hominem, & de eo prædicat animal, in hac propositione: *Homo est animal:* realis natura hominis denominatur subjectum, & realis natura animalis prædicatum objectivum: ergo subjectum vel prædicatum objectivum nihil aliud est, quàm natura realis extrinsecè ab intellectu subjiciente vel prædicante cognita & denominata.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distinguo ant. eo ipso, quòd intellectus sua cognitione subjicit hominem, & de eo prædicat animal in hac propositione: *Homo est animal*: realis natura hominis efficienter denominatur subjectum, & realis natura animalis prædicatum objectivum,

con-

concedo: realis natura hominis formaliter denominatur subjectum, & realis natura animalis prædicatum objectivum, nego. Itaque cognitio intellectus hominem subjicientis efficit in eo rationis relationem, quæ dicitur relatio subjicibilitatis vel subjectionis ad animal, qua formaliter constituitur in ratione subjecti Logicalis objectivi. Similiter cognitio intellectus animal de homine prædicantis, efficit aut producit in illo rationis relationem, quæ vocari potest relatio prædicabilitatis aut prædicationis ad hominem, qua formaliter constituitur in ratione prædicati Logicalis objectivi; unde formaliter, homo non denominatur subjectum Logicale objectivum, aut animal prædicatum Logicale objectivum, à cognitione intellectus hominem subjicientis, vel animal prædicantis, sed à relatione subjicibilitatis, aut à relatione prædicabilitatis, ab illa cognitione efficienter proveniente.

Objic. 5. formale objectum scientiæ debet ratione sui ab ea considerari; ut certum est: atqui ens rationis, quod in modis sciendi reperitur, ratione sui à Logica non consideratur, sed ab ipsa spectatur ratione operationum intellectus ad veritatem dirigibilium: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. quamvis enim ens rationis, quod in modis sciendi invenitur, spectetur à Logica ratione operationum intellectus, tanquam ratione materiæ dirigibilis; non tamen tanquam ratione objecti primariæ considerationis.

Instab. objectum formale Logicæ debet esse operationum mentis directivum; ut ex dictis liquet: atqui ens rationis, quod in modis sciendi reperitur, non est operationum mentis directivum: ergo &c. Prob. min. quod supponit operationes mentis jam directas & regulatas, eas non dirigit, & ita non est earum directivum seu regulativum: atqui ens rationis &c. supponit operationes mentis jam directas & regulatas:

ergo

ergo &c. Prob. min. exemplo entis rationis, quod in definitione invenitur; nimirum exemplo artificiosæ dispositionis secundùm genus & differentiam, ordinatæ ad naturam rei definiendæ explicandam; hæc quippe artificiosa dispositio nonnisi ab operatione mentis directa & regulata provenire potest.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui ens rationis, quod in modis sciendi reperitur, non est operationum mentis directivum: si ens illud accipiatur, ut productum in actu exercito, concedo; sub hac enim acceptione supponit operationes mentis directas aut regulatas; unde non est formale objectum Logicæ, sed est ipsius effectus: si ens illud sumatur, ut speculativè cognitum secundùm essentiam & proprietates, nego. Adprob. min. concessa ma. distinguo min. distinctione data. Ad prob. min. dico ex solutione tradita, dispositionem artificiosam secundùm genus & differentiam ordinatam &c. acceptam ut productam in actu exercito, supponere quidem mentis operationem directam & regulatam; sed dicendum censeo, illam dispositionem, ut speculativè cognitam, secundùm essentiam & proprietates, propriè dirigere & regulare primam mentis operationem, scilicet simplicem apprehensionem, ad hoc ut possit intellectus verè, clarè, & distinctè naturam rei definiendæ apprehendere.

Instab. iterum: ens rationis Logicale non consideratur à Logica nisi per speciem entis realis: ergo ipsum non considerat Logica primariò & ratione sui, sed solùm secundariò & ratione entis realis; & consequenter non est objectum ipsius formale, quod debet formaliter, primariò, & ratione sui, à Logica considerari.

Respondeo negando ant. Logica enim non considerat ens rationis in ratione entis, sed in ratione scibilis; quamvis autem ens rationis Logicale in ratione entis non repræsentetur nec co-

cognoſcatur per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem entis realis, quia eſt ens ſolùm ſecundùm quid, & veluti umbra entis realis; attamen in ratione objecti ſcibilis, per propriam ſpeciem repræſentatur atque cognoſcitur ab intellectu Logica informato, quoniam eſt objectum propriè & ſimpliciter ſcibile, utpote habens propriè & ſimpliciter proprietates de ſe demonſtrabiles, in quo conſiſtit ratio objecti propriè & ſimpliciter ſcibilis. Itaque intellectus Logica informatus, ex ſpecie entis realis (qua primariò ens reale, & ſecundariò ens rationis, repræſentatur) educit vel producit aliam ſpeciem intelligibilem entis rationis Logicalis, ut ſcibilis, primariò repræſentativam, qua utitur intellectus Logica informatus dum varias de ente rationis Logicali demonſtrat proprietates & concluſiones.

Inſt. rurſus: objectum formale Logicæ debet intellectum ad veritatis cognitionem dirigere; ut certum eſt: atqui ens rationis intellectum ad cognitionem veritatis dirigere nequit: ergo &c. Prob. min. tunc ſolùm intellectus ad veritatis cognitionem dirigitur, quando percipit objectum prout eſt in ſe à parte rei: atqui ens rationis præſtare nequit, ut intellectus percipiat objectum prout eſt in ſe à parte rei; quandoquidem ens rationis, etiam Logicale, ſeu ſecunda intentio Logicalis, non convenit objecto, prout in ſe eſt à parte rei, ſed duntaxat ſecundùm ſtatum, quem in intellectu obtinet; adeò ut competat objecto aliter ac in ſe eſt à parte rei: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. ad cujus prob. conceſſa ma. diſtinguo min. atqui ens rationis merè chimericum præſtare nequit, ut intellectus percipiat objectum prout in ſe eſt à parte rei, concedo; atqui ens rationis Logicale, & à parte rei fundarum, præſtare nequit, &c. ſubdiſtinguo: præſtare nequit per modum

pri-

prædicati objecto à parte rei convenientis, ut intellectus percipiat &c. concedo: præstare nequit per modum conditionis præsuppositæ, ut intellectus percipiat objectum prout in se est à parte rei, nego; siquidem artificiosa definitionis dispositio, secundùm quam objectum definiendum acceptum quantùm ad naturam, quam obtinet à parte rei, distribuitur in genus & differentiam, est propriè conditio præsupposita, vel necessariò prærequisita, ad hoc ut intellectus distinctè & clarè percipiat objectum prout in se, aut in sua natura, est à parte rei; & tamen illa dispositio artificiosa est secunda intentio Logicalis, seu ens rationis Logicale, ut ex dictis patet. Dum autem dicunt adversarii, ens rationis Logicale non convenire objecto, prout in se est à parte rei; sive competere ipsi aliter ac est in se à parte rei: hoc verum est in sensu formali, non tamen in sensu fundamentali; cùm enim ens rationis Logicale non sit chimericum, sed fundamentum obtineat à parte rei, ut ex dictis liquet; verè propriè que competit objecto à parte rei fundamentaliter, quamvis formaliter illi conveniat secundùm eum statum duntaxat, quem in intellectu habet; ut patebit ex infrà dicendis.

§. VI.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 6. formale objectum scientiæ, est perfectionis ejus mensura; ut communiter docent Philosophi: atqui ens rationis dici nequit perfectionis Logicæ mensura; quandoquidem Logica cum perfectione sua realis est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. formale objectum scientiæ, est perfectionis ejus mensura extrinseca & objectiva, concedo; est perfectionis

ejus mensura intrinseca, nego: quamvis verò ens rationis Logicale dici nequeat intrinseca perfectionis Logicæ mensura (cum enim Logica sit scientia intrinsecè realis; quod est ipsi intrinsecum, reale sit necesse est) rectè tamen dicitur extrinseca & objectiva illius mensura; nam quantumvis Logica sit scientia intrinsecè realis, quia tamen est Philosophia rationalis, debet per ordinem ad ens rationis logicale definiri, tanquam per ordinem ad objectum primariæ considerationis; & ita ejus perfectio debet per habitudinem seu respectum ad idem ens rationis considerari & mensurari.

Instab. primarium & formale objectum Logicæ non est aliquid fictum; atqui ens rationis est aliquid fictum: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. primarium & formale objectum Logicæ non est aliqoid purè fictum, concedo: non est aliquid fictum cum fundamento in re, cui ab intellectu seu à ratione fingente seu formante, tribuitur, nego: & distinguo etiam min. atqui ens rationis purè chimericum est aliquid fictum, concedo: atqui ens rationis logicale est aliquid fictum, subdistinguo: est aliquid fictum cum fundamento in re, cui à ratione formante attribuitur, concedo: est aliquid purè fictum, & absque ullo fundamento ab intellectu efformatum, nego.

Instab. prætereà: cùm Logica ordinetur ad impediendos intellectus errores, id non debet formale objectum Logicæ censeri, in quo errat intellectus: atqui intellectus in ente rationis, sive in ejus formatione, errat, concipiendo objectum aliter ac est in se: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui intellectus in ente rationis purè chimerico, sive in ejus formatione, errat, esto: atqui intellectus in ente rationis Logicali, sive in ejus formatione, errat, nego. Neque refert, quòd intellectus in entis rationis Logicalis productione,

ne, concipiat objectum aliter ac est in se ex parte modi concipiendi; per suum concipiendi modum dando objecto statum, quem non habet in se à parte rei, & tribuendo objecto in eodem statu secundam intentionem Logicalem, quæ in ipso à parte rei formaliter non reperitur, sed fundamentaliter tantùm.

Non refert, inquam; quoniam tunc intellectus non concipit objectum aliter ac est in se ex parte rei conceptæ, attribuendo objecto in se à parte rei considerato, seu rei conceptæ, secundùm statum, quem obtinet in se à parte rei, aliquid quod in se à parte rei non habeat.

Objic. 7. Formale objectum Logicæ debet esse simpliciter scibile, sicut & ipsa est scientia simpliciter dicta: atqui ens rationis non est simpliciter scibile: ergo &c. Prob. min. quod est simpliciter scibile, debet esse ens simpliciter; scibilitas quippe in entitate fundatur: atqui ens rationis non est ens simpliciter, sed est ens secundùm quid tantùm & impropriè; ut certum est: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad prob. ejus distinguo ma. quod est simpliciter scibile, debet esse ens simpliciter entitate demonstrabili, concedo. debet esse ens simpliciter entitate transcendentali, nego; scibilitas namque in entitate demonstrabili fundatur, nō verò in entitate præcisè transcendentali: licèt autem ens rationis Logicale, quod est formale objectum Logicæ, non sit simpliciter ens entitate transcedentali, eò quòd non habeat esse simpliciter & à parte rei; est tamen ens simpliciter entitate demonstrabili, quatenus habet entitatem essentialem, seu essentiam, ex qua proprietates emanant, quæ propriè & simpliciter cum ipsa connectuntur, de qua proinde sunt propriè & simpliciter demonstrabiles.

Instab. Illud duntaxat est simpliciter scibile, quod est simpliciter cognoscibile; scibilitas enim sim-

simpliciter dicta supponit cognoscibilitatem simpliciter dictam: atqui quod non est ens simpliciter entitate transcendentali, non est simpliciter cognoscibile; quandoquidem ens transcendens, & ens cognoscibile, convertuntur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. illud duntaxat est simpliciter scibile, quod est simpliciter cognoscibile, cognoscibilitate fundata in entitate demonstrabili, concedo: quod est cognoscibile simpliciter, cognoscibilitate fundata in entitate transcendentali, nego. Nec refert, quòd scibilitas simpliciter dicta supponat cognoscibilitatem in entitate transcendentali fundatam; non enim eam supponit ut genus, sed ut rationem transcendentalem, cui commensurari non debet. Et distinguo etiam min. atqui quod non est ens simpliciter entitate transcendentali, non est simpliciter cognoscibile, cognoscibilitate fundata in entitate transcendentali, concedo; ens quippe transcendens, & ens cognoscibile illa cognoscibilitate, convertuntur: atqui quod non est ens simpliciter entitate transcendentali, non est simpliciter cognoscibile, cognoscibilitate fundata in entitate demonstrabili, nego.

Instab. iterum: scibilitas est proprietas entis: ergo quod non est ens simpliciter, non est simpliciter scibile.

Respondeo distinguendo ant. scibilitas est proprietas entis demonstrabilis, concedo: scibilitas est proprietas entis transcendentalis, nego; & distinguo etiam consequens: ergo quod non est ens entitate demonstrabili simpliciter, non est simpliciter scibile, concedo conseq. ergo quod non est ens entitate transcendentali simpliciter, non est simpliciter scibile, nego conseq.

Instab. præterea: illud objectum duntaxat est simpliciter scibile, quod habet proprietates de se demonstrabiles; ut ex dictis liquet: atqui ens rationis non habet proprietates de se demonstrabiles: ergo &c. Prob. min. illæ proprietates es-

ſent proprietates entis rationis, & non eſſent: atqui hoc contradictionem implicat: ergo &c. Prob. ma. & quidem illæ proprietates eſſent entis rationis proprietates, ut ſupponitur; quòd autem non forent proprietates entis rationis, ex eo declaratur, quòd haberent naturam entis rationis: ergo non eſſent entis rationis proprietates. Conſeq. patet: proprietates quippe alicujus rei non debent naturam ejus obtinere; ſed debent ex illa tanquam neceſſaria accidentia reſultare. Prob. verò antecedens: natura entis rationis conſiſtit in eo, quòd habet tantùm eſſe objectivè in intellectu; proprietates verò illæ haberent ſolùm eſſe objectivè in intellectu, eo proportionali modo, quo ens rationis, cujus forent proprietates, haberet eſſe.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. atqui ens rationis purè chimericum non habet proprietates de ſe demonſtrabiles, concedo: atqui ens rationale Logicale habens fundamentum à parte rei, non habet proprietates, &c. nego. Ad prob. minor nego ma. quantùm ad 1. p. Ad prob. ejus nego ant. falſum enim eſt, proprietates entis rationis habere propriè naturam entis rationis; ſiquidem, ut aliquid propriè obtineat naturam entis rationis, requiritur, ut ita habeat eſſe objectivè in ſolo intellectu, ut importet id, quod in habente eſſe objectivè in intellectu primò concipitur (natura enim ſeu eſſentia apud Philoſophos, eſt id, quod in conceptu rei primò importatur:) hoc autem modo non ſe habent entis rationis Logicalis proprietates, quæ ex modo noſtro concipiendi, ſequuntur id, quod in conceptu entis obtinentis eſſe objectivè in intellectu primò reperitur.

Objic. ultimò: formale objectum Logicæ eſt ipſius ſpecificativum; ex communi enim Philoſophorum doctrina, unaquæque ſcientia à ſuo formali objecto ſpecificatur: atqui ens rationis nequaquam eſt Logicæ ſpecificativum: ergo &c.

&c. Prob.min. ſpecificativum ſcientiæ realis debet eſſe reale; ut inter ſcientiam realem, & ejus ſpecificativum ſufficiens ſit proportio: atqui Logica eſt ſcientia realis. ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo major. formale objectum Logicæ eſt ipſius ſpecificativum extrinſecum & objectivum, concedo: eſt ipſius ſpecificativum intrinſecum & immediatè conſtitutivum, nego. Et diſtinguo ſimiliter min. atqui ens rationis (ſcilicet Logicale) nequaquam eſt Logicæ ſpecificativum intrinſecum & immediatè conſtitutivum, concedo; eo enim ipſo, quòd Logica intrinſecè & in ſua eſſentia eſt realis, ſpecificativum ejus intrinſecum, quo in ſua eſſentia immediatè conſtituitur, modo quodam ſpecifico, nempè cum differentia & diſtinctione ſpecifica ab aliis ſcientiis, ſit reale neceſſe eſt: atqui ens rationis (videlicet Logicale) nequaquam eſt Logicæ ſpecificativum extrinſecum & objectivum, nego: cùm etenim Logica ſit Philoſophia rationalis, debet ſpecificè definiri & explicari per ordinem ad ens rationis Logicale, ſicut ad objectum primarium; (ut ex dictis conſtat) quod fieri nequit, niſi ens illud dicatur ſpecificativum extrinſecum & objectivum Logicæ. Ad prob. minor. diſtinguo ma. intrinſecum ſpecificativum ſcientiæ realis debet eſſe reale, concedo: extrinſecum ſpecificativum, nego; maximè ſi ſcientia illa realis ſit Philoſophia rationalis, qualis eſt Logica. Et quamvis in eſſe entis nulla ſit inter Logicam & ens rationis Logicale proportio; eſt tamen ibi proportio in eſſe ſcientiæ, & objecti ſcibilis; ſicut enim Logica eſt ſcientia ſeu cognitio demonſtrativa, ita ens rationis Logicale eſt ens demonſtrabile, ſive eſt ens habens proprietates de ſe demonſtrabiles; ut ex dictis patet.

Inſta. quod tribuit differentiam realem, debet eſſe aliquid reale: atqui ſpecificativum ſcientiæ realis tribuit ipſi differentiam realem, nempè differentiam ſpecificam. ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod per modum principii intrinseci tribuit differentiam realem, debet esse aliquid reale, concedo: quod per modum principii extrinseci & objectivi tribuit differentiam realem, debet esse aliquid reale, nego: licèt autem specificativum intrinsecum scientiæ realis, per modum principii intrinseci tribuat ipsi differentiam realem, seu differentiam specificam; specificativum tamen extrinsecum & objectivum scientiæ realis, per modum principii duntaxat extrinseci & objectivi illam præbet differentiam.

Instab. iterum: quælibet scientia realis debet realem importare ordinem ad suum specificativum extrinsecum & objectivum: atqui scientia realis non potest realem importare ord nem ad ens rationis; ordo quippe realis realem & realiter existentem exigit terminum: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quælibet scientia realis debet realem importare ordinem transcendentalem ad suum specificativum extrinsecum & objectivum, concedo ma. debet realem importare ordinem prædicamentalem ad suum specificativum, &c. nego: ut autem infrà constabit, hoc discrimen inter relationem, sive ordinem prædicamentalem, & relationem transcendentalem intercedit, quòd prior relatio est purus respectus realis ad terminum, qui realiter existere nequit, nisi terminus realiter existat: at realis relatio transcendentalis non est purus respectus, sed est entitas absoluta connotans aliquid extrinsecum, sive realiter existat, sive non; ideòque ad ens rationis realiter non existens terminari potest.

Instab. tandem: scientia realis essentialiter, ac proinde realiter, à suo specificativo dependet: atqui scientia realis nequit realiter ab ente rationis dependere: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. scientia realis essentialiter, ac proinde realiter, à suo specificativo (extrinseco & objectivo) tanquam à causa formali

li extrinseca & objectiva dependet, concedo: tanquam à principio intrinseco & immediatè constitutivo dependet, nego: & eodem modo distinguo min. atqui scientia realis nequit realiter ab ente rationis velut à principio intrinseco immediatè constitutivo dependere, concedo: velut à causa formali extrinseca, nego; reipsa enim scientia realis, quæ est Philosophia rationalis (nimirum Logica) definitur essentialiter per ordinem ad ens rationis, tanquam per ordinem ad objectum primariæ considerationis (ut ex dictis liquet) quod non fit, nisi quia dependet essentialiter (subindèque & realiter) ab ente rationis, tanquam à specificativo extrinseco objectivoque.

Articulus Secundus.

Utrum Logica sit propriè scientia, vel ars?

SCientia propriè dicta, apud Philosophos, est certa & evidens rerum cognitio, per demonstrationem acquisita. Duplex autem est scientia, actualis una, habitualis altera. Scientia actualis, *est actualis cognitio certa & evidens rei, per demonstrationem comparata*; sive est assensus actualis certus & evidens intellectus circa conclusionem demonstrationis, seu syllogismi demonstrativi, elicitus, quo nempè intellectus actu certò & evidenter illam conclusionem percipit, ipsique adhæret. Scientia verò habitualis *est habitualis cognitio certa &c.* sive, est habitus & inclinatio quædam ex assensibus actualibus certis & evidentibus circa conclusiones demonstrationum sæpius iteratis relicta in intellectu, ad similes assensus promptè & facilè eliciendos ordinata. Hinc cum Philosophis communiter definiri solet scientia habitualis: *Habitus certus & evidens, per demonstrationem acquisitus, & ad demonstrationem inclinans.* Hoc præmisso.

Dico, habitus Logicæ est verè & propriè scientia habitualis. Hanc conclusionem docent D. Thomas 4. metaph. lect 4. item. 1. 2. q. 57. a. 6. ad 3. & q. 51. art. 4. ad 2. & pluribus aliis in locis; & Philosophi communiter.

Prob. 1. ille habitus est verè & propriè scientia habitualis, seu est verè ac propriè habitus scientificus & demonstrativus, à quo fiunt verè ac propriè dictæ demonstrationes, quæ circa proprium & formale ejus objectum exercentur, & quibus sæpiùs iteratis, tandem acquiritur: atqui ab habitu Logicæ fiunt verè & propriè dictæ demonstrationes circa proprium & formale ipsius objectum, quibus frequenter iteratis, ipse acquiritur: ergo &c. Ma. est manifesta. Prob. min. & primò quidem, quòd ab habitu Logicæ fiant verè & propriè dictæ demonstrationes circa proprium & formale ipsius objectum, liquet ex istis demonstrationibus: *Quod in propositione pro suo significata accipitur, verè & propriè pro illo supponit; atqui termini Logicales in propositione pro suis significatis accipiuntur: ergo &c. Quod negat id, quod una propositio affirmat, verè & propriè illi opponitur; atqui interdum una propositio negat id, quod affirmat altera; ergo &c. Quod inest multis inferioribus, est de multis inferioribus prædicabile; atqui universale inest multis inferioribus: ergo &c.*

Illæ demonstrationes sunt in primis cica proprium & formale objectum Logicæ; sunt enim circa terminum Logicalem, propositionem, & universale, quæ sunt secundæ intentiones Logicales, ad proprium & formale objectum Logicæ pertinentes. Ex quo infertur, illas demonstrationes fieri sive produci ab habitu Logicæ; debent etenim demonstrationes ab eo habitu effici, circa cujus objectum formale & proprium occupantur; hujusmodi autem demonstrationibus, & similibus ad Logicam pertinentibus, sæpiùs iteratis, relinquitur tandem in intellectu ha-

habilitas ad demonstrationes ejusdem rationis promptè & facilè eliciendas inclinans, quæ quidem habilitas est ipse habitus Logicæ.

Prob. 2. & amplius explicatur præcedens ratio: ille habitus est verè & propriè scientificus atque demonstrativus, qui de objecto suo verè propriéque demonstrat proprietates, ut evidens est: atqui habitus Logicæ de objecto suo verè propriéque demonstrat proprietates: ergo &c. Prob. min. ille habitus verè ac propriè de objecto suo demonstrat proprietates, cujus objectum habet proprietates de se verè & propriè demonstrabiles; neque enim objectum alicujus habitus sibi proprietates verè propriéque demonstrabiles vendicat, nisi ut habitus eas verè ac propriè de objecto demonstret: atqui objectum habitus Logicæ habet proprietates verè propriéque de se demonstrabiles: ergo &c. Prob. minor. formale objectum Logicæ, sunt secundæ intentiones Logicales; ut ex dictis constat: atqui secundæ intentiones Logicales habent proprietates verè ac propriè demonstrabiles; ut patet ex dictis in institutionibus Logicis, ubi attul mus & exposuimus proprietates termini, propositionis, & Syllogismi; ut patebit etiam amplius ex infra dicendis, quando afferemus & exponemus universalium proprietates: ergo &c.

§. UNICUS.

Præcipua adversariorum objectiones solvuntur.

OBjic. 1. Aristoteles 1. Rhet. cap. 2. expressè negat, dialecticam esse scientiam. Item 4. Metaph. cap. 2. asserit, dialecticam nullum habere objectum determinatum, sed eam vagari per omnes disciplinas: omnis autem scientia propriè dicta debet determinatum attingere objectum. Denique in Topicis ait, Philosophiam agere de iis, quæ ad veritatem spectant, &

dialecticam de iis, quæ ad opinionem pertinent: sicque censet Aristoteles, dialecticam non ad scientiam, sed opinionem esse revocandam.

Respondeo, Aristotelem locis citatis non accipere dialecticam pro habitu regulas definitionis, divisionis, argumentationis, &c. modo scientifico nobis exhibente, atque per iteratas demonstrationes comparato, sicuti nunc usurpatur, & nomine Logicæ intelligitur: sed dico, Philosophum iis in locis dialecticam accipere pro dexteritate seu facilitate quadam, de quacumque re probabiliter disputandi; fateor verò, hanc dexteritatem nullum habere objectum determinatum, sed vagari per omnes disciplinas; neque ad scientiam, sed ad opinionem pertinere: at aliter dicendum est de dialectica primo modo usurpata.

Instab. modus sciendi non est scientia propriè dicta: atqui Logica est modus sciendi: ergo &c. Ma. manifesta est. Prob. min. ex Aristotele, qui 2. Metap. cap. 3. agens de comparatione Logicæ ad alias scientias, ipsam vocat modum sciendi, his verbis: *Absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi.*

Respondeo distinguendo ma. modus sciendi subjectivè acceptus non est scientia propriè dicta, concedo: modus sciendi objectivè sumptus non est scientia propriè dicta, nego: quamvis verò Logica sit modus sciendi objectivè, quatenus versatur circa modos sciendi tanquam circa proprium & formale objectum suum, cujus naturam exponit, & proprietates demonstrat; non est tamen modus sciendi subjectivè, id est, non est ratio, cui tanquam subjecto insit ratio modi sciendi. Quando verò Aristoteles ait, absurdum esse, simul quærere scientiam, & modum sciendi, vult tantùm, nos non debere simul quærere atque acquirere alias scientias, & Logicam de modis sciendi velut de proprio

obje-

objecto differentem; sed debere nos priùs Logicam comparare, quoniam explicat modos sciendi, sine quorum notitia alias scientias obtinere non valemus.

Inst. iterum: Philosophus 6 Metaph cap.1. & lib.11. cap.3. & 6. afferens divisionem scientiarum, nullam Logicæ facit mentionem: ergo censet, Logicam esse minimè scientiam.

Respondeo tripliciter: dico enim in primis, Aristotelem ibi absolutè non afferre divisionem scientiarum; sed adducere duntaxat divisionem scientiarum objectivè realium, quarum nempè objecta sunt realia; qualis non est Logica, ut ex dictis patet.

Dico 2. Aristotelem ibidem enumerare duntaxat scientias principales, quæ propter se quæruntur; ideòque non enumerat Logicam, quæ est scientia ministerialis tantùm, quoniam propter se non quæritur, sed propter alias scientias comparandas. Dico 3. Aristotelem aliis in locis Logicæ mentionem facere. Etenim 2. de generat. animal. cap.6. scientiam dividit in Physicam, Ethicam, & Logicam. Item. 1. Prio. cap. 10. loquens de Logica, ipsam absolutè & simpliciter appellat scientiam demonstrativam. Idem sæpè alibi repetit.

Objic.2. *S*cientia propriè dicta debet esse de necessariis & perpetuis; ut docent communiter Philosophi: atqui Logica non est de necessariis & perpetuis. sed de contingentibus & temporalibus; nempè de entibus rationis, quæ contingentia sunt & temporalia: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. scientia propriè dicta debet esse de necessariis & perpetuis, quoad essentialia prædicata, & connexionem proprietatum cum essentia, ex qua emanant, concedo: debet esse de necessariis & perpetuis quoad existētiam, nego: & distinguo similiter min. atqui Logica non est de necessariis & perpetuis &c. quoad existentiam, concedo: non est de necessariis &

 per-

perpetuis, quoad essentialia prædicata, & connexionem proprietatum cum essentia, nego; quamvis etenim entia rationis Logicalia temporaliter & contingenter existant, id est, determinato tempore, & modo contingenti, ita ut possint existere, & non existere; attamen quoad prædicata essentialia, & connexionem proprietatum cum essentia, non minus sunt necessaria & perpetua, quàm entia realia; ita ut, quemadmodùm entia realia quoad prædicata essentialia & connexionem proprietatum cum essentia, non possunt non esse, & sunt æternæ veritatis; ita pariter entia rationis Logicalia quoad prædicata essentialia, & connexionem proprietatum cum essentia, non possint non esse, & æternæ sint veritatis, modo infrà explicando.

Obji. 3. Logica plures syllogismos probabiles, imò & sophisticos exercet; ut patebit, quando de Locis Topicis & sophisticis differetur: ergo cùm syllogismi probabiles opinioni, & syllogismi sophistici errori, tribuantur, proindèque ex scientia minimè oriantur; Logica præfatos exercens syllogismos, non est scientia propriè dicta.

Respondeo distinguendo ant. Logica plures syllogismos probabiles, imò & sophisticos, exercet: si in hujusmodi syllogismis scientifica formæ syllogisticæ ad materiam probabilem & sophisticam applicatio consideretur, concedo: si in ejusmodi syllogismis assensus probabiles, seu opinativi; & assensus sophistici, seu erronei, spectentur; qui conclusionibus ipsorum exhibentur, nego; isti enim assensus à Logica artificiali (de qua hìc est sermo) nequaquam eliciuntur; sed, vel à solo intellectu per media probabilia aut sophistica conclusionibus assentiente, vel ab habitibus probabilibus & sophisticis per similes actus seu assensus generatis, procedunt.

Objic. 4. Scientia propriè dicta est cognitio rei per causam propriè dictam: atqui Logica cir-

ca

ea ens rationis occupata non est cognitio per causam propriè dictam; quandoquidem ens rationis habet solùm causam fingentem & impropriè dictam: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. scientia propriè dicta est cognitio rei per causam propriè dictam illationis conclusionis inferendæ, concedo: scientia propriè dicta est cognitio rei per causam propriè dictam existentiæ rei cognoscendæ, nego; ut enim cognitio rei sit propriè scientifica (sive scientia propriè dicta) sufficit planè, ut res cognoscenda ex alio, tanquam ex causa propriè inferatur; licèt res cognoscenda existentiam ab illa causa per actionem sive causalitatem propriè dictam non accipiat: hinc cognitio proprietatum entis realis per earum illationem ex essentia hujusmodi entis, est scientifica cognitio, (ut fatentur omnes) & tamen proprietates illæ accipiunt existentiam ab essentia entis realis per causalitatem duntaxat impropriè dictam, nimirum per simplicem resultantiam, ut communiter docent Philosophi. Quamvis autem ens rationis Logicale existentiam obtineat per causalitatem impropriam, videlicet per cognitionem fingentem: attamen ejus proprietates ex ipsius essentia tanquam ex virtuali causa, propriè à Logica inferuntur; ut ex dictis liquet, atque ampliùs patebit ex infrà dicendis.

Quæres, utrum Logica sit ars?

Respondeo Logicam non esse artem mechanicam, sed liberalem. Quòd in primis Logica non sit ars mechanica, ex eo colligitur, quòd ars ista per se primò ordinetur ad regulanda opera externa & servilia: Logica verò ad hujusmodi opera regulanda per se primò non ordinari, certum est.

Quòd verò Logica sit ars liberalis, ex eo hauritur, quòd per se primò tendat ad dirigenda opera liberalia, sive interna & intellectualia; nempè ad dirigendam definitionem, divisionem, propositionem, argumentationem &c.

Hinc colliges, quid velit D. Thomas, dum, 1. 2. q. 57. a. 3. ad 2. docet, scientiam, quæ syllogismum construit, seu Logicam, esse artem tantummodò per quandam similitudinem: vult enim duntaxat, Logicam non esse artem mechanicam, quæ sola est ars simpliciter; sed esse duntaxat artem liberalem, quæ est ars solùm secundùm quid, & secundùm quandam similitudinem cum arte mechanica; quæ similitudo in hoc consistit, quòd sicut ars mechanica regulat opera externa ab artifice conficienda, ita similiter ars liberalis dirigit opera interna ab intellectu construenda. Neque Logica in quantum ars liberalis procedit modo purè compositivo, quin potiùs enim procedit modo simpliciter resolutorio; quamvis etenim Logica componat sive conjungat regulas suas cum materia dirigenda; id tamen ita præstat, ut simul doceat modum resolvendi conclusiones in prima principia.

Articulus Tertius.

Vtrum Logica sit scientia speculativa?

Scientia dividi solet in speculativam, & practicam. Prior est, quæ ad solam veritatis speculationem tendit; hincque *Speculativa* nuncupatur. Posterior verò illa est, quæ ordinatur ad praxim, id est, ad opus à speculatione distinctum: hinc etiam *Practica* nominatur.

Quæritur ergo, an Logica debeat speculativa, vel practica, appellari? Circa quod tres sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, Logicam esse simul speculativam, & practicam; speculativam quidem, quatenus naturam & proprietates modi sciendi explicat & considerat; practicam verò, prout sciendi modos artificialiter efficit, juxta certas determinatasque regulas: hanc sententiam tuentur Suarez, Vasquez, & alii multi recentiores.

Se-

Secunda affirmat, Logicam esse purè practicam: istam sententiã defendunt Ocham, & Nominales, quos Aureolus, Fonseca, Aver 2,& alii sequuntur.

Tertia censet, Logicam esse totam speculativam simpliciter, & practicam secundùm quid: ita sentiunt omnes Thomistæ; quibus subscribunt communiter Scotistæ, & alii plurimi. Cum quibus

Dico: Tota Logica est simpliciter speculativa, & secundùm quid solùm practica.

Quòd in primis Logica sit simpliciter speculativa, colligitur ex D. Thoma variis in locis: etenim 2.2. qu.51.ar.2. ad 3. sic ait: *In speculativis,alia rationalis scientia est dialectica &c.* Quibus verbis expressè asserit, rationalem scientiam, seu dialecticam, esse speculativam; scientia verò rationalis seu dialectica, est ipsa Logica.

Et qu.47.ar.2.ad 3.docet, dari artem speculativam ordinatam ad compositionem propositionis & syllogismi; ars autem ordinata ad compositionem propositionis & syllogismi, est logica ipsa. Idem docet alibi sæpè.

Prob. etiam ratione fundamentali: ea scientia secundùm se totam est simpliciter speculativa, quæ per se primò ad speculationem veritatis ordinatur tota; ut patet satis: atqui Logica per se primò ad speculationem veritatis tota ordinatur: ergo &c. Prob. min. tunc in intellectu reperitur veritatis speculatio, quando ipse intellectus cognoscit & considerat rem, verè ut est in se: atqui Logica per se primò tota ordinatur ab hoc ut intellectus cognoscat & consideret res ut sunt in se; ad hoc quippe definitiones, divisiones, propositiones, argumentationes, &c. tradit, exponit, ordinatque: ergo &c.

Prob. amplius, destruendo adversariorum fundamentum. Itaque, idcircò censent, Logicam esse simpliciter practicam, non verò speculativam, quia tendit ad constructionem quorundam artefactorum; nempè definitionis, divisionis, propositionis, argumentationis, &c. juxta deter-

minatas regulas: atqui hoc fundamentum nullum est: ergo &c. Prob. min. ut aliqua scientia dici possit simpliciter practica, requiritur, ut tendat ad construenda opera, quorum constructio sit propriè & simpliciter praxis: atqui constructio definitionis, divisionis, propositionis, argumentionis, &c. non est propriè & simpliciter praxis: ergo &c. Ma. est perspicua. Prob. min. constructio operis ad veritatis speculationem ordinati non est propriè & simpliciter praxis, ut liquet satis: atqui definitio, divisio, propositio, argumentatio, &c. ad veritatis speculationem ordinantur; ergo &c. Prob. min. speculatio veritatis nihil est aliud, quàm cognitio vel consideratio rei, verè prout est in se: atqui definitio, divisio, propositio, argumentatio, &c. ordinantur ad cognitionem, vel considerationem rei, verè prout est in se: ergo &c. Min. constat: etenim definitio ordinatur ad cognoscendam rem secundùm naturam, quam explicat, quamque res verè habet, prout est in se: divisio ad verè eam cognoscendam secundùm partes, quas enumerat, quæque verè competunt rei prout est in se: propositio ad verè ipsam cognoscendam secundùm prædicata ei in se convenientia, quæ affirmat: & argumentatio ad verè illam cognoscendam secundùm proprietates ex ipsius natura emanantes, quas probat, quæque verè ei conveniunt, prout est in se.

Respondent adversarii, constructiones definitionis, divisionis, propositionis, argumentationis &c. esse praxes; non præcisè prout ordinantur ad speculationem aut cognitionem veritatis, sed prout sunt opera quædam artificialia, juxta determinatas regulas exercita, in ordine ad quæ Logica denominatur practica.

Sed contra sic argumentor: constructiones definitionis, divisionis, propositionis, argumentationis, &c. prout certò ad speculationem vel cognitionem veritatis ordinantur, non sunt praxes, ut

ut evidens est: atqui constructiones definitionis, divisionis &c. prout exercentur secundùm determinatas Logicæ regulas, certò ad speculationem aut cognitionem veritatis ordinantur; licèt enim constructiones illæ ex se præcisè sint falsitati & errori obnoxiæ; attamen prout subsunt certis Logicæ regulis, certò & infallibiliter ad veritatem tendunt; ut etiam ipsi adversarii fatentur: ergo &c.

Ex dictis inferes, nullam intellectus operationem esse ex se praxim, sed potiùs omnem intellectus operationem ex se esse veritatis speculationem; omnis quippe intellectus operatio est ex se speculatio, cognitio, & consideratio formalis objecti intellectus, quod quidem objectum est ipsa veritas. Hinc

Inferes rursus, praxim propriè dictam esse actum alterius potentiæ ab intellectu; quandoquidem omnis actus seu omnis operatio intellectus est veritatis speculatio, ut ex dictis liquet.

Hinc communiter Philosophi cum D. Thoma, qu. 14. de verit. art 4. docent, intellectum fieri per extensionem practicum, quatenus operatio intellectus nequit fieri practica, nisi extendatur ad dirigendum actum alicujus potentiæ ab intellectu distinctæ, qui actus sit propriè & simpliciter praxis. Et ipse S. Doctor 1. 2. qu. 57. art. 1. ad 1. expressè affirmat, duplex esse opus, nimirum exterius, quod ab aliis potentiis provenit, & interius, quod ab intellectu procedit, additque denominationem *practici à speculativo* distincti sumi duntaxat ab opere exteriori; quod proinde tantummodò est propriè & simpliciter praxis.

Quòd autem Logica sit practica secundùm quid, facilè ex eo suadetur, quod ipsa Logica ordinatur ad praxim, sive ad opus secundùm quid, cujusmodi est constructio syllogismi, vel propositionis, aut divisionis, &c. Hinc Angelicus Præceptor 1. 2. qu. 57. art. 3. ad 3. hæc scribit: *In*

ipsis

ipsis speculabilibus est aliquid per modum cujusdam operis; nimirum constructio syllogismi, aut opus numerandi, vel mensurandi; *& ideo habitus speculativi* (videlicet habitus Logicæ, quo syllogismos construimus; habitus Arithmeticæ, quo numeramus; & habitus Geometriæ, quo mensuramus) *qui ad hujusmodi opera ordinantur, dicuntur artes liberales* (& ita practici secundum quid) *ad differentiam illarum artium, quæ ordinantur ad opera externa per corpus exercita, quæ sunt artes serviles* (simpliciter practicæ.)

§. Unicus.

Satisfit Adversariorum objectis.

Objic. 1. Logica ordinatur ad omnes & singulas scientias in statu perfecto comparandas; ut infrà patebit: ergo cùm inter scientias quædam sint speculativæ, & quædam practicæ, debet Logica esse simul speculativa, & practica.

Respondeo negando conseq. quamvis enim Logica ordinetur ad acquirendas scientias practicas; non tamen ut sint practicæ; sed prout sunt scientiæ utentes definitione, divisione, argumentatione, & aliis instrumentis Logicalibus, quorum naturam & proprietates Logica exponit.

Inst. scientia speculativa est, quæ modo resolutorio procedit resolvendo conclusiones in sua principia; scientia verò practica est, quæ procedit modo compositivo, componendo & conficiendo artefacta, juxta determinatas regulas: atqui utroque modo procedit Logica: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. scientia speculativa est &c. scientia verò practica est, quæ procedit modo compositivo, componendo & conficiendo extra intellectum artefacta, juxta &c. concedo: scientia verò practica est, quæ procedit modo compositivo, componendo & conficiendo intra intellectum artefacta, juxta &c. nego: cum enim

enim intellectus ex se sit duntaxat veritatis cognoscitivus, ex se solùm est speculativus; ideoque compositio, quæ fit intra solum intellectum, est simpliciter speculatio; neque sufficit, ut scientia ad ipsam ordinata, propriè & simpliciter dicatur practica: Logica autem componit artefacta intra solum intellectum.

Objic. 2. ex Arist. 1. Metaph. lect. 3. scientia speculativa est, quæ propter se quæritur: arqui Logica non quæritur propter se, sed propter alias scientias obtinendas; ut docet D. Thomas ibidem, & farentur communiter Philosophi: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ex Arist. scientia speculativa principalis est, quæ propter se quæritur, concedo: scientia speculativa minùs principalis, & quasi instrumentalis, est, quæ propter se quæritur, nego: Logica verò licet sit speculativa, est tamen scientia minùs principalis, & veluti aliarum scientiarum instrumentalis, inquantùm eis tribuit instrumenta sciendi.

Inst. 1. Arist. 6. Metaph. cap. 1. & ibidem D. Thomas lect. 2. & 11. Metap. lect. 12. speculativas scientias recensentes, nullam Logicæ mentionem faciunt; sed scientiam speculativam in Physicam, Metaphysicam, & Ethicam, adæquatè dividunt: ergo ex eorum mente, Logica inter scientias speculativas non est numeranda.

Respondeo, Aristotelem & D. Thomam locis citatis, divisionem scientiæ speculativæ principalis, & objectivè realis, duntaxat afferre; unde quia Logica non est scientia principalis, sed instrumentalis; nec est objectivè realis (quandoquidem ejus objectum non est ens reale, sed ens rationis, ut probatum est supra) ab Arist. & D. Thoma locis citatis in numerum scientiarum speculativarum (principalium & objectivè realium) adscribenda non fuit: attamen Aristoteles, teste Laertio, scientiā contemplativam (quæ utiq; specula-

tiva

tiva est, in Physicam, & Logicam, ipse divisit.

Inst. 2. omnis scientia speculativa continetur sub scientia speculativa in communi, sicut species sub genere: atqui Logica non continetur sub scientia speculativa in communi, sicut species sub genere; ut docet D. Thomas opusc. 70. super Boetium de Trin. qu. de divisione scientiæ speculativæ, ad 2. ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad authoritatem D. Thomæ dico, ipsum velle tantùm, Logicam non contineri sub scientia speculativa in communi, tamquam speciem principalem.

Objic. 3. ex Arist. lib. 2. Metap. text. 3. scientia practica est, cujus finis est operis confectio; atqui finis Logicæ est confectio operis, v. g. definitionis, & hujusmodi: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. scientia practica est ea, cujus finis est operis extra intellectum confectio, concedo; est operis intra intellectum confectio, nego: confectio autem definitionis, & ejusmodi, est intra intellectum.

Inst. 1. ea scientia est practica, cujus finis est praxis: atqui finis Logicæ est praxis: ergo &c. Ma. manifesta est. Prob. min. praxis apud Philosophos, nihil est aliud, quàm executio regularum, & applicatio illarum ad usum: atqui finis Logicæ est executio regularum, nempè Logicalium, & illarum ad usum applicatio: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. distinguo ma. praxis (simpliciter dicta) apud Philosophos, nihil est aliud, quàm executio regularum extra intellectum, & applicatio illarum ad usum, etiam extra intellectum, concedo: nihil est aliud, quàm executio regularum, & applicatio illarum ad usum intra intellectum speculantem (qualis est executio regularum Logicalium, & applicatio illarum ad usum) nego.

Inst. 2. actus prudentiæ est praxis simpliciter dicta, & tamen fit intra intellectum; actus quippe prudentiæ est intellectualis, sicut & ejus habitus: ergo

ergo necesse non est, ut praxis simpliciter dicta extra intellectum fiat.

Respondeo negando ant. licet enim actus prudentiæ sit practicus, non est tamen propriè & simpliciter praxis, sed est ejus regula, quatenus regulat voluntatis operationes, quæ propriè & simpliciter sunt praxes.

Hinc differunt actus prudentiæ, & actus Logicæ, in hoc, quòd actus prudentiæ dirigit praxim, & ideò practicus est; actus verò Logicæ regulat speculationem, quas res in se ipsis secundùm naturam, prædicata, proprietates, &c. cognoscuntur, & idcircò sit speculativus necesse est.

Inst. 3. constructio definitionis à voluntate provenit; nemo enim definitionem construit, nisi velit: ergo constructio illa, ad quam velut ad finem Logica ordinatur, est propriè & simpliciter praxis, utpotè proveniens à potentia ab intellectu distincta.

Respondeo distinguendo ant. constructio definitionis à voluntate intellectum ad definiendum applicante provenit, concedo: constructio definitionis à voluntate eliciente seu immediatè producente definitionis actum provenit, nego ant. & conseq. Praxis etenim propriè & simpliciter dicta debet à potentia ab intellectu distincta elici aut immediatè produci.

Inst. 4. Logica ordinatur, non tantùm ad definitionem mentalem exercendam, sed etiam ad definitionem vocalem construendam: atqui definitionis vocalis constructio, est propriè & simpliciter praxis, utpotè à potentia externa elicita vel immediatè producta: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. Logica ordinatur &c. sed etiam ad definitionem vocalem construendam: si vocalis definitio spectetur, prout reducitur ad mentalem tanquam signum ipsam manifestans, concedo: si vocalis definitio consideretur formaliter & præcisè, ut est actio externa à potentia externa elicita, nego. Et di-

stinguo pariter min. atqui definitionis vocalis constructio est proprie & simpliciter praxis: si constructio illa consideretur formaliter & præcisè ut est actio externa à potentia externa elicita, esto; si hujusmodi constructio spectetur prout reducitur ad constructionem definitionis mentalis & internæ, nego. Dici etiam potest, constructionem definitionis vocalis elici à Logica vel ab habitu Logicæ sicut à causa principali, & à potentia externa sicut ab instrumento duntaxat.

Inst. 5. actualis confectio definitionis non est ipsius speculatio: ergo est praxis

Respondeo distinguendo ant. actualis confectio definitionis non est speculatio ipsius signata seu aptitudinalis duntaxat, concedo; hæc enim speculatio consistit cognitione definitionis secundùm legitimas regulas factibilis: actualis confectio definitionis non est ipsius speculatio exercita, & ad actum secundum redacta, nego; neque etenim Logica actualiter definitionem secundùm legitimas regulas conficit, nisi ut definitionis naturam ampliùs speculetur, & cognoscat exercitè ac in actu secundo. Sicut autem actualis confectio definitionis secundùm legitimas Logicæ regulas est immediata ejus speculatio exercita, sic etiam est mediata illarum regularum speculatio, sive cognitio exercita; cùm Logica definitionem juxta legitimas regulas non conficiat, nisi ut illarum regularum bonitatem exercitè percipiat.

Obiic. 4. D. Thomas in prologo Post. comparat Logicam cum arte ædificatoria, cum arte fabrili, & cum similibus artibus practicis, prout practicæ sunt: ergo sentit, Logicam esse practicam.

Respondeo distinguendo ant. D. Thomas in prol. Post. comparat Logicam comparatione proportionalitatis cum arte ædificatoria, &c. concedo; sicut enim artes illæ tendunt ad opus, ita proportionaliter Logica suo modo ordinatur ad aliquod opus: comparat comparatione æqualitatis,

ita

ita ut Logica æquè sit practica, & æquè ordinetur ad opus, ac illæ artes sunt practicæ, & tendunt ad opus, nego: illæ etenim artes sunt simpliciter practicæ, & simpliciter tendunt ad opus; Logica verò est practica, & ad opus ordinatur secundùm quid tantùm; ut expressè asserit S. Doctor 1.2.qu.57.ar.3. ad 3.

Inst. 1. ea scientia est practica, cujus objectum est practicum, cùm scientia specificetur & denominetur ab objecto: atqui Logicæ objectum est practicum: ergo &c. Prob.min. objectum practicum. ex Arist. est aliquid contingens, operabile à nobis: atqui objectum Logicæ, nimirum ens rationis, est aliquid contingens, à nobis operabile: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. distinguo ma. objectum practicum, ex Arist. est aliquid contingens, à nobis extra intellectum operabile, concedo: est aliquid contingens, à nobis intra intellectum speculantem operabile, quale est objectum Logicæ, scilicet ens rationis Logicale, nego.

Inst. 2. scientia speculativa debet intra sui objecti speculationem sistere; ut communiter docent Philosophi: atqui Logica intra sui objecti, v.gr. definitionis, speculationem non sistit sed ad ipsius productionem tendit: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. nam, ut suprà dictum est, actualis productio sive constructio definitionis est exercita ejus speculatio.

Inst. 3. Logica tendit ad directionem operationum mentis, sicut & ad aliarum scientiarum acquisitionem in statu perfecto: ergo Logica in sola objecti sui contemplatione non sistit.

Respondeo negando conseq. Logica quippe tendit ad directionem operationum mentis, & ad aliarum scientiarum acquisitionem in statu perfecto, contemplando objectum suum; nempè definitionem, divisionem, propositionem, argumentationem, & similes secundas intentiones logica-

les, ipſarum naturam & proprietates exponendo, hancque doctrinam hominibus alias ſcientias acquirere volentibus exhibendo.

Reſponderi etiam poteſt, Logicam ſiſtere in contemplatione ſui objecti, ſicut in fine proximo; tendere verò ad operationum mentis directionem, vel ad aliarum ſcientiarum acquiſitionem in ſtatu perfecto, tanquam ad finem remotum.

Objic. 5. cùm finis ſcientiæ practicæ ſit praxis, finis ſcientiæ ſpeculativæ ſit ſpeculatio, quæ nobilior eſt praxi; ſcientia ſpeculativa præſtantior eſt practica: & ideò ſi Logica foret ſcientia ſpeculativa, eſſet omnibus ſcientiis practicis excellentior: atqui hoc non videtur dicendum; cùm Logica ſit omnium ſcientiarum miniſtra & veluti ancilla: ergo &c.

Reſpondeo negando, Logicam eſſe ſcientiis practicis excellentiorem; dum enim dicitur, ſcientiam ſpeculativam eſſe practica præſtantiorem; hoc verum eſt, quando ſcientia ſpeculativa, & ſcientia practica, ſunt ſcientiæ principales; id autem eſt falſum, ſi ſcientia practica ſit principalis, & ſcientia ſpeculativa ſit inſtrumentalis, miniſtra, & quaſi ancilla, cujuſmodi eſt Logica.

Dices: Philoſophia moralis eſt practica: ergo & Logica.

Reſpondeo negando paritatem; diſparitas eſt, quòd Philoſophia moralis per ſe primò ordinatur ad regulandas operationes voluntatis, quæ propriè & ſimpliciter ſunt praxes: logica verò per ſe primò tendit ad dirigendas operationes intellectus, quæ propriè & ſimpliciter ſunt ſpeculationes.

A R-

ARTICULUS QUARTUS.

Quomodo Logica sit docens, & utens?

§. I.

Quædam præmittuntur, & difficultates explanantur.

LOgica in docentem, & utentem, dividi solet. Prior est, quæ tegulas bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. docet atque exponit; hincque *Docens* nuncupatur. Posterior autem est, quæ hujusmodi regulis utitur, rectè definiendo, dividendo, argumentando, &c. hinc *Utens* nominatur.

Partes verò Logicæ tres assignantur: nimirum pars demonstrativa, pars topica, & pars sophistica. Logica est in parte demonstrativa, dum procedit demonstrativè, id est, certò & evidenter. Est autem in parte topica, cùm topicè, sive probabiliter & verisimiliter operatur. Denique est in parte sophistica, quando sophisticè seu fallaciter agit, ita ut processus ejus sit quidem apparenter verus, sed tamen reipsa falsus sit, proindeque fallax.

Duplex etiam distingui debet Logicæ materia, propria nimirum, & aliena. Logica est in propria materia, dum circa ea, quæ ad proprium ejus spectant objectum, discurrit. Est autem in materia aliena, cùm ad objecta aliena, id est ad aliarum scientiarum objecta, se extendit. Difficultas igitur est, utrum Logica sit propriè docens, & utens, in parte demonstrativa, topica, atque sophistica; nec non in materia propria, & aliena.

Certum autem est, Logicam esse propriè docentem in parte demonstrativa, topica, & sophistica; nec non in materia propria & aliena. Siquidem Logica pro ea parte & materia, propriè do-

censeft, pro qua propriè docet regulas benè definiendi, dividendi, argumentandi, &c. atqui certum est, Logicam propriè docere regulas benè definiendi, dividendi, argumentandi, &c pro parte demonstrativa, topica, & sophistica, nec non pro materia propria, & aliena: ergo &c.

Certum est etiam, Logicam esse propriè utentem in parte topica & sophistica, propria, vel aliena, si usus regularum benè argumentandi, & usus mediorum topicorum, atque sophisticorum ab ipsa Logica explicatorum, consideretur. Et primò quidem usus regularum benè argumentandi in parte topica & sophistica, propria, aut aliena, est propriè à sola Logica; quoniam propriè uti regulis Logicalibus (quales sunt illæ regulæ) in quacumque tandem parte vel materia, propria vel aliena reperiatur, proprium est Logicæ, ipsique soli competit.

Præterea, quòd usus mediorum topicorum & sophisticorum à Logica infrà explicandorum, in parte topica & sophistica, propria vel aliena, propriè fit à solo habitu Logicæ, ex eo suadetur, quòd statim ac Logica explicuit illa media, nulla remanet difficultas circa usum mediorum illorum; ex communi autem axiomate, ubi nova non occurrit difficultas, novus non requiritur habitus. His omnibus præmissis.

Dico 1. Logica in propria materia, in parte demonstrativa, propriè utens est. Ita docent Joannes à S. Thoma, Masius, Soto, & alii plures Thomistæ, quos sequuntur subtilis Doctoris Discipuli, & multi recentiores; contra Complurenses, Mailhat, Fonsecam, Conimbricenses & alios.

Prob. ratione fundamentali: sicut tunc Logica propriè docens est, quando regulas benè definiendi, dividendi, argumentandi, &c. propriè docet: ita ipsa propriè utens est, cùm illis regulis propriè utitur, ut patet satis: atqui Logica in propria materia, in parte demonstrativa, propriè utitur regulis benè definiendi, dividendi argumentandi, &c. ergo &c.

&c. Prob. min. tunc Logica proprie utitur regulis benè definiendi, dividendi, argumentandi &c. quando propriè definit, dividit, argumentatur, &c. juxta regulas bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. atqui Logica in propria materia, in parte demonstrativa, propriè definit, dividit, argumentatur, &c. juxta regulas bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. ut infra patebit, & fatentur ipsi adversarii: ergo &c.

Respondent adversarii, usum proprie dictum debere esse à doctrina distinctum: usus autem Logicæ, inquiunt, in propria materia, in parte demonstrativa, non est à doctrina distinctus; sed utendo docet: quandoquidem Logica non utitur regulis bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. nisi ut regulas illas amplius doceat & manifestet. Hoc est præcipuum & ferè unicum adversariorum fundamentum.

Sed contra ipsum sic argui potest primò. Non sunt idem, usus propriè dictus, & usus purus; ad primum enim sufficit, ut sit propriè dicta applicatio regularum bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. ad secundum verò insuper requiritur, ut sit à doctrina distinctus; unde esto, Logica in propria materia, in parte demonstrativa, non utatur regulis bonæ definitionis, &c. usu puto; nihil tamen impedit, ne illis regulis utatur usu propriè dicto. Deinde, esto, dum Logica regulas bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. docuit & tradidit, statim in exempla doctrinæ traditæ, bonas definitiones, divisiones & argumentationes &c. conficit, utendo illis regulis; usus ille à doctrina non distinguatur, sed potiùs major regularum doctrina dici debeat: attamen quando Logica intra propriæ materiæ, seu proprii objecti, limites, de universalibus & prædicamentis demonstrativè disserens, varias definitiones, divisiones, argumentationes &c. facit, utendo regulis bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. usus ille, sive actualis

confectio definitionis, divisionis, argumentationis, &c. est verè aliquid à doctrina distinctum, ita ut propriè regularum doctrina dici non debeat; quandoquidem directè & proximè ad docendas & declarandas illas regulas non tendit, sed directè ac proximè ad manifestandas naturas, partes, & proprietates universalium & prædicamentorum ordinatur.

Dico 2. Logica in parte demonstrativa aliarum scientiarum propriè etiam utens est. Hanc conclusionem defendunt omnes authores, qui præcedentem profitentur; contra Complutenses, Mailhar. Fonsecam, Conimbricenses, & alios plures. Eandem conclusionem satis expressè insinuat Angelicus Doctor opusc. 70. qu. 5. art. 1. ubi asserit: *Logicam ministrare aliis scientiis instrumenta sciendi; cujusmodi est demonstratio.* Nequit autem affirmari, Logicam ministrare demonstrationes aliis scientiis, nisi dicatur, illam, ut aliarum ministram, efficere demonstrationes in earum parte demonstrativa, utendo regulis bonæ argumentationis; & ita nisi dicatur, Logicam esse propriè utentem in parte demonstrativa aliarum scientiarum.

Prob. etiam ratione: ibi Logica propriè utens est, ubi regulis bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. propriè utitur; ut satis evidens est: atqui Logica propriè utitur regulis bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. in parte demonstrativa aliarum scientiarum; cùm enim sint propriæ regulæ Logicæ, ipsa sola illis propriè uti potest, in quacumque tandem parte fiat illarum regularum usus; sicut ars Architectonica suis regulis sola utitur cuicumque tandem materiæ, sive lignis, sive lapidibus, &c. applicentur: ergo &c.

Prob. rursus: ea facultas est propriè in parte demonstrativa aliarum scientiarum utens, quæ earum demonstrationes propriè efficit, bonæ argumentationis regulis utendo: atqui Logica propriè

priè aliarum ſcientiarum demonſtrationes efficit, bonæ argumentationis regulis utendo: ergo &c. Maj. eſt manifeſta. Prob. min. cùm quodlibet compoſitum per ſuam formam conſtituatur, ſive ſit compoſitum naturale, ſive ſit compoſitum artificiale, ut communiter docent Philoſophi (quam ob cauſam, domus, quæ eſt compoſitum artificiale, per ſuam formam conſtituitur) illud agens propriè efficit compoſitum, quod propriè ejus formam introducit; hinc artifex introducens formam domus, eſt propriè ejus efficiens cauſa: atqui Logica propriè introducit formas demonſtrationum aliarum ſcientiarum; ſicut enim, quia forma domus pertinet ad formale objectum artis Architectonicæ, ſola ars Architectonica poteſt formam domus introducere, cuicumque tandem materiæ forma illa communicetur; ſic pariter, quoniam demonſtrationis forma ſpectat ad formale objectum Logicæ (ut comuniter docent Philoſophi, præſertim Diſcipuli D. Thomæ) ſola Logica poteſt introducere demonſtrationum formas, cuicumque tandem materiæ, etiam aliarum ſcientiarum, tribuatur: ergo &c.

Ad majorem verò intelligentiam, objectionum ſolutionem, & fortè oppoſitarum ſententiarum concordiam, diligenter advertendum eſt, in demonſtrationibus aliarum ſcientiarum duo potiſſimùm reperiri: ſcilicèt formam ſyllogiſticam, & aſſenſum ſcientificum concluſionibus earum exhibitum. Itaque ſi aliarum ſcientiarum demonſtrationes quantùm ad formam ſyllogiſticam accipiantur, à Logica regulis bonæ argumentationis utente efficienter proveniunt. ſi autem hujuſmodi demonſtrationes conſiderentur quantùm ad aſſenſum ſcientificum concluſionibus earum exhibitum, ab aliis ſcientiis eliciuntur; æquum etenim eſt, ut ſingulæ ſcientiæ ex mediis demonſtrativis circa proprias concluſiones ſcientificos aſſenſus exerceant.

tem sophisticam Logicæ, circa materiam aliarum scientiarum, quòd Logica subministret aliis scientiis media topica & sophistica (quæ explicat, dum de locis topicis & sophisticis disserit) ex quibus conclusiones in syllogismis topicis & sophisticis inferuntur; non suppeditet tamen aliis scientiis principia demonstrativa id est, certa & evidentia, ex quibus nempè conclusiones in syllogismis demonstrativis certò & evidenter consequuntur.

Objic. 2. usus propriè dictus debet à doctrina distingui: atqui usus logicæ in propria materia, in parte demonstrativa, non distinguitur à doctrina; quandoquidem Logica in propria materia, in parte demonstrativa, dum regulis bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. utitur, regulas illas ampliùs docet ac manifestat: ergo &c.

Respondeo ex dictis dupliciter, 1. negando maj. licèt enim usus purus debeat à doctrina distingui: ad usum tamen propriè dictum, sufficit omninò ut sit propriè dicta regularum bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. applicatio.

Respondeo 2. data maj. distinguendo min. atqui usus Logicæ in propria materia, in parte demonstrativa, non distinguitur à doctrina: si loquantur adversarii de usu, qui contineat definitiones, divisiones, argumentationes, &c. in exempla traditæ doctrinæ, concedo; talis quippe usus directè & proximè ad traditarum regularum majorem declarationem, & ita ad ampliorem doctrinam tendit: si adversarii loquantur de usu continente definitiones, divisiones, argumentationes &c. quæ directè atque proximè ordinantur ad manifestandas naturas, partes & proprietates universalium & prædicamentorum, & aliarum rerum, de quibus in Logica disseritur, nego; hæc solutio patet ex dictis.

Objic. 3. contra 2. concl. si Logica foret propriè & activè utens in parte demonstrativa aliarū scien-

tiarum, deberet Logica activè aliarum scientiarum demonstrationes efficere; ut liquet satis: atqui Logica activè aliarum scientiarum demonstrationes activè non efficit; alioquin sola Logica esset habitus demonstrativus, & ita sola foret scientia; quod planè absurdum est: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si Logica foret &c. deberet Logica activè aliarum scientiarum demonstrationes efficere, quantùm ad formæ syllogisticæ constructionem, concedo: deberet Logica activè aliarum scientiarum demonstrationes efficere, quantùm ad assensus certò & evidenter conclusionibus illarum demonstrationum exhibendos, sive quantùm ad assensus scientificos illis conclusionibus adhibendos, nego: ut autem sola Logica non sit habitus demonstrativus, & scientia, sed aliæ scientiæ sint verè habitus demonstrativi, & verè ac propriè scientiæ, sufficit omninò, ut demonstrationum suarum conclusionibus assensus scientificos seu certos & evidentes adhibeant.

Inst. formam syllogisticam conficere est, conclusionem per principia in modum syllogismi disposita cognoscere: atqui quælibet scientia conclusiones per principia in modum syllogismi disposita cognoscit: ergo quælibet scientia formam syllogisticam conficit; ideòque hæc forma nequaquam à Logica efficitur.

Respondeo distinguendo maj. formam syllogisticam conficere, est conclusionem per principia in modum syllogismi disposita cognoscere, efficiendo dispositionem artificiosam syllogismi, secundùm quam major, minor, & conclusio logicaliter in syllogismo ordinantur; concedo: non efficiendo dispositionem illam, nego: quamvis verò quælibet scientia cognoscat conclusiones per principia in modum syllogismi disposita; artificiosam tamen syllogismi dispositionem non efficit, sed connotat Logicam cooperantem & hujusmodi dispositionem efficientem.

Inst. causa, quæ efficienter ponit actum, ad

quem

quem sequitur effectus, censetur effectum producere: atqui aliæ scientiæ à Logica distinctæ efficienter ponunt actus, ad quos syllogistica forma sequitur; videlicet efficienter ponunt assensus circa majorem, minorem, & conclusionem, exercitos: ergo &c. Respondeo concessa maj. negando min. etenim intellectus duplicem circa majorem, duplicem circa minorem, & duplicem circa conclusionem, assensum exercet. Inprimis enim intellectus præbet assensum majori ut ordinatæ seu dispositæ, sive ordinando & disponendo eam cum minori. Præbet etiam assensum minori ut ordinatæ & dispositæ, seu ordinando ac disponendo ipsam cum majori ad conclusionem inferendam. Præbet tandem assensum conclusioni ut ordinatæ vel dispositæ, sive ordinando & disponendo illam cum majori & minori ipsam inferentibus. Præterea intellectus exhibet assensum majori, exhibet assensum minori, & adhibet assensum conclusioni, supponendo hujusmodi propositiones modo dicto ordinatas atque dispositas. Tres priores assensus à Logica proveniunt, tres verò alii assensus procedunt à qualibet alia scientia intra propriam materiam. Ad tres priores assensus sequitur forma syllogistica, sed tres posteriores assensus formam syllogisticam jam factam supponunt.

Objic. 4. quamvis prudentia virtutes morales dirigat, in earum tamen actibus formam non efficit: ergo pariter licèt Logica reguler alias scientias, non tamen propterea in ipsarum actibus demonstrativis formam syllogisticam producit.

Respondeo negando paritatem; disparitas est, quòd forma in actu cujuslibet virtutis moralis nō pertinet ad formale objectum prudentiæ, sed est ordo hujusmodi actus ad formale ac primarium virtutis moralis objectum, qui ordo producitur à solo virtutis moralis habitu: forma verò syllogistica, quæ in actibus demonstrativis scientiarum à Logica distinctarum reperitur, spectat ad formale ac proprium Logicæ objectum,

unde ab illa sola attingi & produci potest.

Inst. tametsi forma artificiosa imaginis pertineat ad formale objectum artis pingendi, ab ipsa tamen effectivè non procedit, sed efficitur à sola potentia executiva, quæ existit in manu immediatè attingente materiam, in quam forma illa à pictore introducitur: ergo pariter licèt forma syllogistica spectet ad formale objectum Logicæ, non propterea efficienter à Logica provenit, sed efficitur à scientiis actus demonstrativos producentibus, quibus forma illa tribuitur.

Respondeo negando ant. artificiosa quippe imaginis forma effectivè procedit ab arte pingendi, sicut à causa principali, & ab executiva manus potentia, solùm sicut ab instrumento. Nec obstat quod dicunt adversarii asserentes, artem pingendi non existere in potentia executiva manus; quamvis enim non existat in eo formaliter, id est, secundùm formalem & propriam entitatem suam; revera tamen existit in illa virtualiter, sicut dicitur causa principalis existere in instrumento, ratione virtutis elevatoris, quam ad ipsum diffundit.

Objic. 5. tametsi ars frænofactiva subministret arti equestri instrumentum equitandi, nempè frænum; nihilominùs ars frænofactiva nullum habet influxum effectivum in actus artis equestris: ergo pariter licèt Logica suppeditet aliis scientiis instrumenta speculandi, cujusmodi sunt syllogismi, propterea tamen Logica non debet efficienter in actus demonstrativos aliarom scientiarum influere, producendo formam syllogisticam, quæ in illis reperitur.

Respondeo negando paritatem; disparitas est, quòd confectio instrumenti equitandi, seu confectio fræni, ab arte frænofactiva subministrati arti equestri, non ingreditur actum artis equestris: at confectio instrumenti speculandi, sive confectio syllogismi, à Logica aliis scientiis suppeditati, seu confectio formæ syllogisticæ, quam Logica aliis scientiis suppeditat, verè ingreditur

actus

actus demonstrativos aliarum scientiarum, cùm omnis actus demonstrativus debeat in formam syllogismi disponi; & ideò dum Logica efficit formam syllogisticam in actibus demonstrativis aliarum scientiarum, in hos actus efficienter influere meritò censetur.

ARTICULUS QUINTUS.

Quomodo Logica docens, & Logica utens, distinguantur?

§. I.

Opiniones referuntur, & vera sententia stabilitur.

PRima opinio affirmat, Logicam docentem, & Logicam utentem, esse duos habitus realiter distinctos. Hanc opinionem tuentur Tartaretus q.1. Log.dub.1. Caberus tract.1.disp.2.dub.1. & aliqui alii recentiores. Secunda opinio seu sententia asserit econtra, Logicam docentem, & utentem, esse realiter unum eundemque habitum; asserit tamen, inter Logicam docentem, & utentem, dari distinctionem virtualem, sive distinctionem rationis ratiocinatæ, ant à parte rei fundatam. Istam sententiam propugnant omnes Thomistæ, quos sequuntur Scotistæ & alii Philosophi communiter, cum quibus

DICO I. Logica docens non est habitus realiter ab utente distinctus.

Prob. ratione, quam insinuat Angelicus Doctor 4. Metaph. lect.4. commune est Philosophorum axioma, ibi tantùm distinctos realiter habitus esse ponendos, ubi diversæ occurrunt difficultates superandæ; hinc ex communi Theologorum assensu, ad amorem Dei & proximi, unus realiter sufficit habitus, quoniam amor proximi novam supra amorem Dei difficultatem non addit: atqui in doctrina & usu Logicæ diversæ non occurrunt difficultates superandæ: ergo

H 5 ad

ad doctrinam & usum Logicæ distincti realiter habitus non sunt ponendi; proindeque Logica docens non est habitus realiter ab utente distinctus. Min. experientia patet; constat enim quotidiè, eos, qui doctrinam Logicæ, id est, regulas definitionis, divisionis, argumentationis, &c. perfectè noverunt, facilè omninò hujusmodi præceptis uti, facilèque definire, dividere, atque argumentari, &c.

Dices: experimur, etiam viros doctos pati difficultatem in actuali argumentationis usu: ergo usus Logicæ novam addit difficultatem supra ipsius doctrinam. Sed contra sic argumentor: cùm usus Logicæ consistat in applicatione præceptorum definitionis, divisionis, argumentationis &c. in quibus præceptis sita est Logicæ doctrina; ut usus Logicæ novam supra doctrinam adderet difficultatem, necesse foret, ut dum ille, qui præcepta bonæ argumentationis perfectè novit, difficultatem patitur argumentando, eam pateretur ex parte applicationis præceptorum bonæ argumentationis: atqui dum aliquis præcepta bonæ argumentationis perfectè novit, & argumentando difficultatem patitur; hæc difficultas non est ex parte applicationis præceptorum bonæ argumentationis, sed est duntaxat ex penuria medii ad probandum & concludendum intentum idonei, quod tunc memoriæ argumentantis vix occurrit; ut quotidie experientia patet; ergo &c.

Dico 2. Logica docens, & Logica utens, distinguuntur dictione virtuali, seu distinctione rationis ratiocinatæ. Hæc conclusio ex eo facilè suadetur, quòd inter ea reperitur distinctio virtualis, seu distinctio rationis ratiocinatæ, quæ ratio sive intellectus distinguit cum fundamento à parte rei; ut communiter docent Philosophi: atqui intellectus distinguit Logicam docentem, & Logicam utentem cum fundamento à parte rei; cùm enim Logica docens & Logica utens habeant à parte rei diversa munera, scilicet docere & uti,

uti, cum sufficienti fundamento à parte rei intellectus distinguit Logicam docentem ab utente: ergo &c.

§. II.

Adversariorum argumenta diluuntur.

OBjic. 1. contra 1. conclus. illi habitus realiter distinguuntur, qui diversos habent fines: atqui Logica docens, & Logica utens, diversos habent fines; finis quippe Logicæ docentis, est docere regulas bonæ definitionis, &c. finis verò Logicæ utentis, est illis regulis uti: ergo &c.

Respondeo dist. maj. illi habitus realiter distinguuntur, qui diversos habent fines totales, & non subordinatos, concedo: qui diversos habent fines partiales & subordinatos, quorum nempe unus subordinatur alteri, nego: docere verò regulas bonæ definitionis, &c. & illis regulis uti, sunt fines dumtaxat partiales habitus Logicæ, quorum posterior (scilicet usus regularum bonæ definitionis, &c.) subordinatur priori (nimirum doctrinæ earumdem regularum.)

Objic. 2. illi habitus realiter distinguuntur, qui diversas habent naturas: atqui Logica docens, & Logica utens diversas habent naturas: ergo &c. Maj. videtur clara. Prob. min. cùm definitio sit oratio explicans naturam rei; quæ diversas obtinent definitiones, diversas habent naturas: atqui Logica docens, & Logica utens, diversas obtinent definitiones; definitur quippe Logica docens: *Facultas docens regulas bonæ definitionis &c.* definitur verò debet Logica utens: *Facultas utens regulis bonæ definitionis &c.* Ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. distinguo maj. Quæ diversas obtinent definitiones totales & adæquatas, diversas habent naturas, concedo; definitio quippe totalis & adæquata explicat naturam rei: quæ diversas obtinent

definitiones partiales duntaxat & inadæquatas, habent diversas naturas, nego; diversæ siquidem definitiones partiales solùm & inadæquatæ non explicant diversas naturas, sed exponunt tantùm diversa ejusdem naturæ munera partialia & inadæquata: diversæ autem Logicæ docentis, & Logicæ utentis definitiones allatæ, non sunt totales & adæquatæ, sed sunt tantummodò partiales & inadequatæ, declarantes duo munera partialia & inadæquata ejusdem habitus Logicæ unicam naturam obtinentis.

Objic.3. instrumentum distinguitur realiter à re, cujus est instrumentum, ita ut idem neque at esse sui ipsius instrumentum: atqui Logica utens est docentis instrumentum, quod ipsi inservit ad regulas bonæ definitionis, divisionis, &c. exercendas & executioni mandandas; ergo &c.

Resp. distinguendo maj. instrumentum formale seu reale distinguitur realiter &c. concedo: instrumentum virtuale, quod nimirum est tale duntaxat secundùm intellectum, unum virtualiter distinguentem ab altero, realiter distinguitur &c. nego: Logica autem utens non est formale vel reale instrumentum Logicæ docentis, sed est instrumentum duntaxat illius virtuale, quatenus intellectus distinguens virtualiter Logicam docentem ab utente, concipit istam ad modum instrumenti inservientis alteri suas regulas exequenti.

Objic.4. habitus scientificus, & habitus non scientificus, realiter distinguuntur; ut patet satis: atqui ex D. Thoma, 4. Metaph. lect. 4. Logica docens est habitus scientificus, Logica verò utens non est habitus scientificus: ergo &c.

Resp. concessâ maj. negando min ad cujus prob. dico, Logicam utentem dupliciter accipi posse. In primis enim sumi potest pro habitu utente mediis probabilibus ad conficiendos syllogismos probabiles, & eliciendos assensus probabiles & opinativos circa materiam cujuscumque scientiæ. Deinde potest accipi pro habitu modo scientifico uten-

utente regulis bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. circa materiam Logicæ, vel etiam circa materias aliarum scientiarum. Logica utens priori modo usurpata, est habitus opinativus, & non scientificus, atque ab habitu Logicæ docentis realiter distinctus. Logica verò utens posteriori modo accepta, est habitus scientificus ab habitu Logicæ docentis realiter indistinctus. Et quamvis usus opinativus mediorum Topicorum nequeat competere habitui scientifico, in ordine ad assensum opinativum eliciendum; ipsi tamen convenire potest usus scientificus regularum bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. Quòd si Logica utens interdum appelletur *Ars*; dicendum est, eam appellari artem, non mechanicam, sed liberalem, cujus ratio non repugnat habitui scientifico.

Objic. 5. illi habitus realiter distinguuntur, qui distinctos habent actus; habitus quippe per ordinem ad diversos actus distinguuntur: atqui Logica docens, & Logica utens, distinctos habent actus, scilicet docere & uti: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. illi habitus realiter distinguuntur, qui distinctos specie habent actus, concedo; habitus quippe per ordinem ad distinctos specie actus realiter distinguuntur: illi habitus realiter distinguuntur, qui distinctos solo numero habent actus, nego; habitus quippe per ordinem ad diversos solo numero actus realiter minimè distinguuntur; potest enim idem realiter habitus plures numero diversos actus elicere: licèt autem Logica docens, & Logica utens, distinctos numero obtineant actus, non habent tamen actus specie diversos; quin potiùs eteniam actus Logicæ docentis & Logicæ utentis sunt ejusdem speciei; tum quia habent idem objectum formale, videlicet ens rationis Logicale; tum quia ex iisdem principiis proveniunt, ut ex dictis liquet.

Objic.

Objc. 6. actus Logicæ utentis novam addit difficultatem supra actum Logicæ docentis: ergo Logica utens est novus habitus realiter ab habitu Logicæ docentis distinctus. Conseq. ex eo constat, quòd secundùm Philosophos, ibi novus requiratur habitus, ubi nova occurrit difficultas superanda. Prob. ant. constructio actualis syllogismi est actus Logicæ utentis, doctrina verò de syllogismo construendo est actus Logicæ docentis; actualis autem constructio syllogismi novam addit difficultatem supra doctrinam de syllogismo construendo; sicut actualis ædificatio domus specialem superaddit difficultatem doctrinæ de domo ædificanda.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. nego paritatem, disparitas est, quòd actualis ædificatio domus est actus alterius potentiæ distinctæ ab illa, in qua est doctrina de domo ædificanda. Hæc quippe doctrina est actus intellectus, actualis verò domus ædificatio est actus potentiæ executivæ exterioris, in qua novus labor occurrit vincendus, proindeque nova & specialis difficultas superanda: at doctrina de syllogismo construendo, & actualis constructio syllogismi, sunt actus ejusdem potentiæ intellectivæ, seu ejusdem intellectus.

Objic. ultimò: ea realiter distinguuntur, de quibus verè affirmantur duo prædicata contradictoria; nequeunt enim duo prædicata contradictoriè opposita verè de una & eadem re affirmari: atqui de habitu Logicæ docentis, & de habitu Logicæ utentis, verè affirmantur duo prædicata contradictoria. ergo &c. Prob. min. de habitu Logicæ docentis verè dicitur, quòd doceat, & non utatur; de habitu autem Logicæ utentis verè affirmatur, quòd utatur, & non doceat: ergo cùm docere, & non docere, uti, & non uti, sint prædicata contradictoria; de habitu Logicæ docentis, & de habitu Logicæ utentis, verè affirmantur prædicata contradictoriè opposita.

Ref-

Respondeo 1. data ma. negando min. ut enim suprà diximus, habitus Logicæ docentis docendo præcepta bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. definit, dividit, argumentatur, &c. & ita præceptis illis verè propriéque utitur.

Respondeo 2. distinguendo ma. ea realiter distinguuntur, de quibus verè affirmantur absolutè duo prædicata contradictoria, esto: de quibus verè affirmantur, sub aliqua reduplicatione solùm, duo prædicata contradictoria, nego; sufficit quippe ut illa distinguantur per diversam intellectus considerationem cum fundamento à parte rei; etenim de uno & eodem realiter lineæ extremo, per diversam considerationem intellectus, cum fundamento à parte rei, sub aliqua reduplicatione, verè asseritur, quòd incipiat, & non incipiat, finiat, & non finiat lineam, quæ sunt prædicata contradictoria; nam illud extremum sub reduplicatione initii, incipit lineam, & eam non finit; sub reduplicatione verò finis, finit lineam, & ipsam non incipit. Unde ex eo, quòd de habitu Logicæ docentis, reduplicativè ut tali, verè dicatur, quòd doceat, & non utatur; de habitu autem Logicæ utentis, reduplicativè ut tali, verè asseratur, quòd utatur, & non doceat; non sequitur, quòd distinguantur realiter; sed sequitur solùm, illos distingui secundùm diversam intellectus considerationem, cum fundamento à parte rei.

Articulus Sextus.

Quomodo Logica sit ad alias scientias comparandas necessaria?

§. I.

Quædam prænotantur, & difficultas explanatur.

Notandum est 1. ex dictis suprà n. 1. Logicam esse duplicem; unam naturalem, artificialem alteram. Logica naturalis est intellectus noster, prout vi sibi naturaliter insita, utcumque definire, dividere, & argumentari, potest; imperfectè saltem, & circa res faciles. Logica verò artificialis, seu Logica acquisita, est facultas tradens regulas artificiosè & sine errore definiendi, dividendi, argumentandi, &c. nostris actibus acquisita. Certum autem est, Logicam naturalem, seu potentiam intellectivam, esse ad scientias comparandas simpliciter necessariam; unde solùm super est difficultas de Logica artificiali & acquisita.

Notandum est 2. aliquid posse esse ad finem aliquem consequendum dupliciter necessarium; scilicet, vel simpliciter, vel secundùm quid. Illud dicitur ad consequendum finem simpliciter necessarium, sine quo absolutè finis obtineri nequit: hoc modo pes homini necessarius est ad ambulandum. Id verò censetur ad finem acquirendum secundùm quid necessarium, sine quo finis absolutè obtineri potest, non tamen commodè; isto modo equus est itineri conficiendo necessarius.

Certum est verò, Logicam artificialem esse secundùm quid ad alias scientias acquirendas necessariam, id est, ad illas adipiscendas admodùm utilem; quandoquidem artificialis Logica tra-

tradit & exponit ipsos sciendi modos; unde tantùm controversia est, an Logica artificialis sit ad alias scientias habendas simpliciter necessaria? Ad cujus ampliorem intelligentiam

Notandum est 3. scientiam aliquam posse haberi in duplici statu; nempè in statu perfecto, vel in statu imperfecto. Tunc homo scientiam in statu perfecto obtinet, quando exactè omnes ejus conclusiones, sive faciles, sive difficiles, certò & evidenter cognoscit; potestque solvere objectiones, quæ contra illas ab adversariis fieri possunt; sicut & definitiones, divisiones, propositiones, demonstrationes, &c. assignare, quæ ad scientiam pertinent, ab eaque exiguntur. Tunc verò scientia in statu imperfecto duntaxat obtinetur, quando una vel altera ejus conclusio facilis, scientificè, seu certò & evidenter, percipitur; difficiliores tamen conclusiones ignorantur, vel saltem exactè non cognoscuntur; neque definitiones, divisiones, demonstrationes, aliaque omnia ad scientiam pertinentia, legitimè assignantur; nec homo habens scientiam eo in statu, adversariorum argumenta solvere potest, conclusiones, quas scit, defendendo. His prænotatis

Prima sententia asserit, Logicam artificialem esse simpliciter necessariam ad acquirendas alias scientias, etiam in statu imperfecto. Hanc sententiam tuentur Dominicus de Soto q.3. proœmiali, Navarrete 1. p. controv. 1. Aravio lib. 2. Metap. q. 3. a. 3. Cosmas de Lerma lib. 1. Log. q. 2. & novissimè P. Hyacinthus à Parra tract. 1. Log. disp. 1. dub. 9.

Secunda sententia è contra affirmat, Logicam artificialem non esse simpliciter necessariam ad alias scientias comparandas, etiam in statu perfecto; sed docet, Logicam ad hunc finem esse tantùm utilem. Istam sententiam defendunt Javellus tract. 1. Log. Conimbricenses

quæst.

quæst. 10. art. 2. & plures alii recentiores.

Tertia tandem sententia media graditur via. Unde secundùm ipsam, Logica artificialis non est quidem simpliciter necessaria ad alias scientias in statu imperfecto obtinendas; docet tamen, Logicam artificialem esse ad alias scientias in statu perfecto assequendas simpliciter necessariam. Hanc sententiam propugnant Masius sect. 2. proœmial q. 3. Sanchez lib. 1. Log qu. 2. Complutenses hic quæst. 7. Ioannes à S. Thoma q. 1. art. 1. imò & Philosophi communiter, cum quibus

Dico 1. Logica artificialis non est ad alias scientias in statu imperfecto assequendas simpliciter necessaria.

Probat. ratione fundamentali: fine eo finis haberi nequit, quod est ad consequendum finem simpliciter necessarium: atqui fine Logica artificiali possunt aliæ scientiæ in statu imperfecto haberi; ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. min. ut aliqua scientia in statu imperfecto habeatur, sufficit, ut quædam ejus conclusiones faciliores scientificè cognoscantur; ut ex dictis patet: atqui fine Logica artificiali possunt quædam conclusiones faciliores cujuslibet scientiæ cognosci scientificè: ergo &c. Prob. minor. cognoscere scientificè quasdam conclusiones faciliores cujuslibet scientiæ, est exercere actum ejus imperfectum; sicut cognoscere scientificè difficiliores cujuslibet scientiæ conclusiones, est perfectum ipsius actum elicere: atqui fine Logica artificiali potest actus imperfectus cujuslibet scientiæ exerceri: ergo &c. Prob. min. non minùs dependet actus imperfectus cujuslibet scientiæ ab habitu cujuslibet scientiæ, quàm dependeat à Logica artificiali; ut satis patet; proindeque si actus imperfectus cujuslibet scientiæ elici possit fine habitu cujuslibet scientiæ, potest & absque Logica artificiali exerceri: atqui actus imperfectus cujuslibet scientiæ elici potest fine habitu

cujuslibet scientiæ: ergo potest etiam absque artificiali Logica exerceri. Prob. min. ex Aristotele & D. Thoma 9. Metap. lect. 7. ubi hanc veritatem expressè docent, dum dicunt, quòd *addiscens artem, operatur opera artis sine arte; & quod homo potest aliqualiter exire in scientiæ & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ & virtutis, quo adepto, perfectè operatur.* Sanè, plures homines quotidiè videmus in Astronomia, Geometria, Arithmetica, & aliis similibus scientiis, non parùm versatos; qui tamen ne à lumine quidem Logicam artificialem salutarunt. Dicere autem, illos excellentes viros omni prorsus scientia Astronomiæ, Geometriæ, Aritmeticæ, &c. esse destitutos, & hujusmodi scientias nec etiam in statu imperfecto possidere, verisimile non est.

Deinde, ut experientia constat, in qualibet scientia quædam sunt conclusiones, quæ simul cum demonstrationibus sui ita sunt faciles, ut solo lumine naturali intellectus percipiantur: ergo ad illas conclusiones & demonstrationes percipiendas non est simpliciter necessaria artificialis Logica, a naturali lumine intellectus distincta; unde cùm in scientiis percipere conclusiones & demonstrationes faciles, sit illas scientias in statu imperfecto possidere; evidens est, Logicam artificialem non esse ad illas scientias in statu imperfecto possidendas simpliciter necessariam.

Tum & maximè, quia Logica artificialis, in quantum talis, non est necessaria ad cognoscendas conclusiones & demonstrationes scientiarum, nisi modo artificioso: ergo illæ conclusiones & demonstrationes possunt sine Logica artificiali, modo purè naturali, non artificioso, & imperfecto, cognosci; cognoscendo à priori effectus ex causis, vel à posteriori causas ex effectibus, absque omni demonstrationis artificio, quod in Logica artificiali edocetur.

Dico

Dico 2. Logica artificialis est ad alias scientias in statu perfecto adipiscendas simpliciter necessaria. Hanc conclusionem docuerunt antiqui Philosophi. Hinc Parmenides, apud Platonem, sic Socratem ad Logicæ studium hortatur: *Collige, inquit, teipsum, & dum juvenis es, diligentius exerce te in ea disciplina, quæ videtur multis garrulitas; alioquin enim veritas fugiet te.* Et Plato ipse de Logica sic loquitur: *Sine ea verum perfectè attingi non potest*: unde cùm per scientias in statu perfecto comparatas, perfectè verum attingatur, aliæ scientiæ sine Logica in statu perfecto comparari nequeunt.

Præterea Aristoteles, primos Græciæ Philosophos, quamvis acutissimo ingenio præditos, in pluribus errasse, defectu Logicæ, expresse restatur. Unde Angelicus Doctor 1. Post. lect. 1. hæc scribit: *Ars quædam necessaria est, per quam homo in ipso actu rationis sine errore procedat*; ubi S. Doctor loquitur de arte seu de Philosophia rationali, quæ est ipsa Logica: si autem homo Logica artificiali destitutus, ex mente Aristotelis, & D. Thomæ, nequit in actibus rationis sine errore procedere, non potest alias scientias consequi in statu perfecto; quandoquidem in illis, eo in statu acquisitis, debet homo in actibus rationis sine errore procedere. Unde D. Augustinus lib. 2. de ord. cap. 13. de Logica meritò sic ait: *Disciplina disciplinarum, quam dialecticam vocant, sola scientes facere potest.*

Prob. etiam ratione fundamentali: ut homo alias scientias in statu perfecto consequatur, requiritur, ut possit perfectè assignare omnes definitiones, divisiones, demonstrationes, &c. quæ ad illas pertinent; si enim homo aliquis nequeat perfectè definire corpus physicum, dividere elementum, proprietates materiæ primæ demonstrare, perfectèque assignare alia omnia ad physicam pertinentia, non dicetur physicam in statu perfecto possidere: atqui non

po-

potest homo sine Logica perfectè assignare omnes definitiones, divisiones, demonstrationes, &c. ad illas pertinentia: ergo &c. Prob. min. sicut non potest aliquis opera artis Architectonicæ perfectè conficere, nisi cognoscat regulas hujusmodi operum conficiendorum, quæ in illa arte explicantur: ita nequit aliquis omnes definitiones, divisiones, demonstrationes, & alia omnia ad alias scientias pertinentia, perfectè assignare, nisi sciat regulas bonæ definitionis, divisionis, demonstrationis, & aliorum similium operum ad alias scientias spectantium: atqui aliquis nequit illas scire regulas sine logica, quandoquidem regulæ illæ in sola Logica explanantur; ut docent omnes Philosophi: ergo &c. Sanè, absque modis sciendi, vel abque cognitione modorum sciendi, aliæ scientiæ in statu perfecto acquiri nequaquam possunt; ut perspicuum est: atqui si aliæ scientiæ sine Logica compararentur in statu perfecto, ipsæ in eo statu acquirerentur absque modorum sciendi cognitione; quandoquidem sola Logica modos sciendi exponit: ergo &c.

§. II.

Objectiones solvuntur.

Objic. 1. contra 1. concl. ex D. Augustino citato: sola Logica scientes facere potest: ergo homo sine Logica non est sciens, proindéque non habet scientias, etiam præcisè in statu imperfecto. Hinc B. Albertus Magnus cap. 3. ait, hominem Logica orbatum, censendum esse nescientem. Præterea D. Thomas etiam citatus docet, quòd homo Logica destitutus nequit in actibus rationis, sine errore procedere: ergo nequit etiam scientias in statu imperfecto comparare, quandoquidem homo per scientias in statu imperfecto comparatas debet sine errore

in actibus rationis procedere Addi poſſet dictum Parmenidis aſſerentis, veritatem fugere eum, qui Logica caret.

Reſpondeo ad D. Auguſtinum, ſolam Logicam perfectè ſcientes facere poſſe; cæterùm imperfectè ſcientes ſine illa fieri poſſunt. Hinc homo Logica orbatus, eſt cenſendus neſciens, quantùm ad ſtatum ſcientiæ, quia caret ſtatu perfectæ ſcientiæ; at non eſt cenſendus neſciens, quantùm ad ſubſtantiam ſcientiæ, ita ut careat ſubſtantia ſive natura veræ ac propriè dictæ ſcientiæ. Ad D. Thomam, dico, hominem Logica deſtitutum non poſſe quidem in actibus rationis ſine errore procedere circa omnes concluſiones alicujus ſcientiæ, ſive faciles ſint, ſive difficiles: nihil tamen impedit, ne homo Logica deſtitutus, ſine errore procedat circa concluſiones faciles; quod ſufficit ad ſcientiam in ſtatu imperfecto obtinendam. Ad dictum Parmenidis, reſpondeo ſimiliter, veritatem circa concluſiones difficiles fugere hominem Logica carentem, at non item circa concluſiones faciles.

Objic. 2. cùm ſcientia, etiam in ſtatu imperfecto, ſit habitus per demonſtrationem acquiſitus, nequit homo alias ſcientias etiam in ſtatu imperfecto, comparare, niſi ſciat, quid ſit demonſtratio: atqui homo ſine Logica nequit ſcire, quid ſit demonſtratio cùm ſola Logica definiat demonſtrationem, & quid ſit, exponat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo duplicem demonſtrationem, unam naturalem, artificialem alteram. Naturalis demonſtratio eſt ratiocinatio formata ſolo lumine naturali, in qua ex principio certo & evidenti colligitur aliquid, quod cum illo naturaliter neceſſarióque connectitur: artificialis autem demonſtratio eſt ſyllogiſmus artificialiter in majorem, minorem, & concluſionem diſpoſitus, in quo ex præmiſſis certis & evidentibus infertur certò & evidenter concluſio,

quæ

quæ artificiosam cum præmissis habet connexionem. Quid sit prior demonstratio, solo lumine naturali innotescit, independenter à Logica. Quid verò sit posterior demonstratio, solius Logicæ artificialis expositione percipitur. Scientia in statu imperfecto sumpta, est habitus per demonstrationem naturalem acquisitus. Scientia verò in statu perfecto accepta, est habitus per demonstrationem artificialem comparatus. Ideòque scientia in statu imperfecto sine Logica artificiali potest haberi, quamvis in statu perfecto sine illa nequeat comparari.

Inst. scientia propriè dicta, etiam in statu imperfecto, debet esse cognitio certa; ut omnes fatentur; atqui sine Logica nequit haberi cognitio certa: ergo &c. Prob. min. cognitio certa formidine omni caret; alioquin formidolosa & vacillans foret; quod cognitioni certæ & firmæ repugnat: atqui absque Logica cognitio carere nequit omni formidine: ergo &c. Prob. min. si homini Logicam non habenti, & alicui conclusioni assentienti, proponatur sophisma, seu captiosa argumentatio, ut à dato assensu revocetur, statim vacillans & dubius efficitur: ergo signum est, hominem illum in suo assensu firmum non fuisse, & omni formidine non caruisse.

Respondeo concessa major. negando min. ad cujus prob. concessa iterum maj. negando min. ad prob. ejus concesso ant. nego conseq. quòd etenim homo tunc vacillans & du. ius efficiatur, non provenit ex eo, quòd in suo assensu firmus certusque non fuerit antea; sed ex eo, quòd ob imperfectionem scientiæ suæ, non calleret regulas ad discernendum legitimum syllogismum à sophistico seu captioso necessarias.

Objic. 3. si aliæ scientiæ absque Logica in statu imperfecto haberi possent, possent actus hujusmodi scientiarum in materia facili sine Logica exerceri; ut ex dictis patet: atqui actus aliarum scientiarum in materia facili nequeunt sine

Lo-

§. III.

Aliæ objectiones contra secundam conclusionem diluuntur.

Contra 2. conclus. objic. 1. Hippocrates Medicinam in statu perfecto obtinuit; & tamen Logica in eo non extitit, utpotè quæ solùm posteà ab Aristotele inventa est. Idem fieri potest argumentum de Ægyptiis, qui sibi Mathematicam; & de antiquis Hebræis atque Caldæis, qui sibi scientias ferè omnes absque Logica conciliarunt: ergo Logica ad alias scientias in statu perfecto acquirendas necessaria simpliciter non est.

Respondeo cum distinctione; concedo namque, Hippocratem, Ægyptios, Hebræos, Caldæos, & alios similes antiquos Philosophos, in statu perfecto latè sumpto quasdam scientias obtinuisse, absque perfectæ Logicæ artificialis auxilio, accipiendo nempè scientiam in statu perfecto latè pro ampla rerum cognitione; revera namque antiqui Philosophi illi de variis rebus disseruerunt, & amplas de hujusmodi rebus notitias consecuti sunt: sed nego, Philosophos illos fuisse scientias in statu perfecto strictè assecutos, accipiendo scientiam in statu perfecto pro ea scientia, quæ perfectè definit, dividit, argumentatur &c. juxta legitimas bonæ definitionis, divisionis, argumentationis, &c. regulas; cùm etenim sola artificialis Logica præfatas regulas tradat & exponat, non potuerunt antiqui Philosophi absque artificiali Logica perfectè definire, dividere, argumentari, &c. secundùm legitimas bonæ definitionis, divisionis, argumentationis &c. regulas.

Inst. multi ex SS. Patribus in Logicam acriter invehuntur: ergo ad perfectam scientiarum acquisitionem non est simpliciter necessaria. Respondeo

SS. Patres necessitatem perfectumque Logicæ usum non damnare, sed abusum; solent quippe hæretici præceptis Logicæ abutentes, cavillis & captiosis Sophistarum argumentis veritatem fidei impugnare; & hunc abusum duntaxat damnant SS. Patres.

Objic. 2. tunc scientiæ sunt in statu perfecto, quando suas conclusiones perfectè demonstrant; ut evidens est: atqui saltem Mathematicæ scientiæ sine Logica artificiali possunt perfectè suas conclusiones demonstrare; pleræque etenim illarum demonstrationes ita sunt faciles, dum debitè proponuntur & explicantur, ut solo lumine naturali percipiantur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tunc scientiæ sunt in statu perfecto, quando suas conclusiones perfectè simpliciter demonstrant, concedo: quando suas conclusiones perfectè secundùm quid demonstrant, nego. Et distinguo etiam min. atqui saltem Mathematicæ scientiæ sine Logica artificiali possunt perfectè secundùm quid suas conclusiones demonstrare, quatenus possunt afferre & proponere clarè principia, ex quibus conclusiones certò & evidenter sequuntur, esto: atqui saltem Mathematicæ scientiæ, sine Logica artificiali, possunt perfectè simpliciter suas conclusiones demonstrare, nego; ut enim Mathematicæ scientiæ, & quævis aliæ, perfectè simpliciter demonstrent suas conclusiones, necesse est, ut secundùm regulas perfectæ demonstrationis illas demonstrent; quod præstare nequeunt sine Logica artificiali; quandoquidem hujusmodi regulæ in illa sola explicantur.

Inst. Mathematici, etiam excellentes, non sunt multùm solliciti de Logicæ regulis, ut experientia liquet; ergo regulæ illæ non sunt simpliciter necessariæ ad scientias Mathematicas perfectè comparandas.

Respondeo, Mathematicos illos esse excellen-

tes

tes solùm quoad vulgus, & homines à scholis alienos, non autem quoad doctos, quoniam earent perfecta modorum sciendi notitia, quæ à Logica & ipsius regulis simpliciter dependet.

Objic. 3. si aliæ scientiæ in statu perfecto absque Logica haberi non possent, aliæ scientiæ à Logica dependerent, quæ proinde foret illis nobilior: atqui hoc dici nequit: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si aliæ scientiæ in statu perfecto absque Logica haberi non possent, aliæ scientiæ à Logica, tanquam à scientia instrumentali, ipsis instrumenta & modos sciendi subministrante, dependerent, concedo: aliæ scientiæ à Logica, sicut à scientia principali, dependerent, nego. Ut autem Logica foret cæteris scientiis nobilior, deberent cæteræ scientiæ à Logica, velut à scientia principali, dependere.

Objic. 4. si ad perfectam scientiarum acquisitionem, priùs comparanda est Logica; sequitu, ut quia pariter ipsa est scientia, ad perfectam Logicæ acquisitionem, priùs Logica sit acquitenda: atqui hoc manifestè repugnat; ergo &c.

Respondeo distinguendo major. si ad perfectam scientiarum acquisitionem, priùs comparanda est Logica; sequitur, ut, quia pariter ipsa est scientia, ad perfectam Logicæ acquisitionem, priùs Logica inadæquatè sumpta sit acquitenda; ita ut Logica minor, Logicæ majori, & una quæstio alteri sequenti debeat anteponi, & ita deinceps, concedo: sequitur, ut, quia pariter ipsa est scientia, ad perfectam Logicæ acquisitionem, priùs Logica adæquatè & secundùm se totam accepta, sit acquirenda, nego. Et pariter distincta min. nego con eq. sub distinctione data.

Objic. 5. si Logica foret simpliciter necessaria ad alias scientias in statu perfecto consequendas, esset simpliciter necessaria ad perfectè in aliis scientiis operandum, ut evidens est:

atqui hoc dici nequaquam potest: ergo &c. Prob. min. ex communi Philosophorum doctrina, habitus non est simpliciter necessarius ad operandum, sed duntaxat ad faciliùs agendum: ergo cùm Logica sit habitus, non potest dici ad perfectè in aliis scientiis operandum simpliciter necessaria.


Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo ant. ex communi Philosophorum doctrina, habitus non est simpliciter necessarius ad operandum, sed duntaxat ad faciliùs agendum: si operatio seu actio consideretur quantùm ad substantiam, sive naturam, esto: si operatio aut actio spectetur quantùm ad modum perfectionis, nego; quilibet enim habitus scientificus non tantùm requiritur ad faciliùs operandum scientificè, sed etiam ad perfectè operandum scientificè in materia propria simpliciter necessarius est: ideòque quamvis Logica, eò quòd sit habitus, non sit simpliciter necessaria ad absolutè in aliis scientiis operandum, spectando operationem, præcisè quantùm ad substantiam; simpliciter tamen necessaria est ad perfectè in aliis scientiis operandum, considerando nempè modum perfectionis in operatione, secundùm quem perfectionis modum, operatio scientifica in statu perfecto esse censetur.

Objic. 6. tunc quælibet scientia existit in intellectu in statu perfecto, quando intellectus potest omnes & singulas ejus conclusiones, etiam difficillimas, cognoscere demonstrativè: atqui intellectus sine Logica artificiali potest omnes & singulas cujuslibet scientiæ conclusiones, etiam difficillimas, demonstrativè cognoscere: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. intellectus absque Logica artificiali potest faciles cujuslibet scientiæ conclusiones percipere; ut dictum est suprà: ergo potest omnes & singulas illius conclusiones, etiam difficillimas, cognoscere; intellectus quippe elicita cognitione scientifica unius conclusio-
nis

nis facilis, redditur fortior & promptior ad cæteras conclusiones cognoscendas; ut colligitur ex doctrina, quam habet D. Thomas 2. 2. q. 24. a. 7. in fine corp. & ad 2.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. concesso ant. nego conseq. dum etenim dicitur, intellectum, elicita cognitione scientifica unius conclusionis facilis, reddi fortiorem & promptiorem ad cæteras conclusiones cognoscendas: hoc explicari debet de cæteris conclusionibus similibus & facilibus, non verò de cæteris longè difficilioribus, vel etiam difficillimis. Potest 2. responderi distinguendo maj. tunc quælibet scientia existit in intellectu in statu perfecto, quando intellectus potest omnes & singulas ejus conclusiones, etiam difficillimas, cognoscere demonstrativè: accipiendo demonstrationem in statu perfecto, id est secundùm regulas perfectæ demonstrationis, concedo: accipiendo demonstrationem in statu imperfecto, id est, præcisè quantùm ad substantiam vel naturam ratiocinationis certæ & evidentis, nego: esto autem præstantissimus intellectus possit absque Logica artificiali difficillimas alicujus scientiæ conclusiones cognoscere atque penetrare demonstrativè posteriori modo, non tamen priori modo.





LOGICÆ MAJORIS

PARS PRIMA.



HÆsimus hactenus in vestibulis Logicæ, deinceps interiora quæstionum penetranda sunt. Et primò quidem de universalibus agendum occurrit; cùm etenim, ut sæpè dictum est suprà, artificialis Logica ad trium mentis operationum directionē ordinetur, æquum est, ut in prima illius parte de his disseratur, quorum notitia prima mentis operatio, simplex nimirum apprehensio, dirigitur; & hujusmodi sunt universalia; etenim terminorum simplicium cognitione apprehensio simplex regulatur; universalia verò sunt termini simplices, sive terminis simplibus exprimuntur; ut enim infrà patebit, quinque solùm dantur universalia, nimirum genus, differentia, species, proprium, & accidens; qui quidem termini sunt simplices & incomplexi.

QUÆSTIO PRIMA.

De Universalibus in communi.

TRactatus universalium author fuit Porphyrius, qui ante Malchus dicebatur, natione Phænix, ex Christiano factus Apostata, & Christianæ religionis hostis infensus. Plotini Platonicorum Principis fuit auditor, cujus libros in ordinem digessit. Circa Aureliani & Diocletiani tempora floruit, ac Romæ Philosophiam docuit Platonicam.

In-

Inſcribitur verò ille tractatus: *Iſagoge Porphyrii*: quoniam cùm liber Prædicamentorum ab Ariſtotele conſcriptus ſuboſcurus videretur, ut faciliùs intelligi poſſet, Porphyrius hunc tractatum edidit, ad modum iſagoges ſeu introductionis ad prædicamenta Ariſtotelis mente comprehendenda.

Nobis autem de univerſalibus tractaturis ordo iſte ſervandus incumbit, ut primò de univerſalibus in communi, deinde de ipſis in particulari, & tandem de proprietatibus eorum, diſſeramus; utita de univerſalibus dicamus ſatis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum in rebus admittendæ ſint naturæ univerſales?

UNiverſalis nomine id intelligendum venit, quod plura reſpicit. Triplex verò eſt univerſale; nempe in cauſando, in repræſentando, vel ſignificando, & in eſſendo atque prædicando. Primum univerſale, nimirum in cauſando, eſt cauſa univerſalis, quæ una manens, plures producit & reſpicit effectus; & iſto modo Deus dici poteſt univerſalis. Alterum univerſale, nimirum univerſale in repræſentando aut ſignificando, eſt illud, quod plura repræſentat vel ſignificat; ſic idea plures repræſentans domos ab artifice conſtruendas, univerſalis eſt in repræſentando; & hæc vox communis, *Homo*, prout plura ſignificat, univerſalis in ſignificando rectè dicitur. Demùm univerſale in eſſendo & prædicando eſt natura communis, quæ una permanens, eſt in multis inferioribus, de quibus verè prædicatur ſeu affirmatur; ejuſmodi eſt humana natura, quæ multis ineſt individuis humanis, de quibus verè & eſſentialiter aſſeritur.

§. I.

Quid de universali Platonicorum dicendum sit?

SI Aristoteli lib. 1. Metaph. cap. 6. & lib. 3. cap. 2. & alibi, fidem tribuamus, Plato eas admisit ideas, quæ essent exemplares formæ, à rebus singularibus separatæ, extra Deum, per se subsistentes, æternæ, & incorruptibiles, quæ causæ forent & essentiæ eorum omnium, quæ sensibus nostris subjiciuntur: v. g. docuit, præter singulos homines, esse quemdam alium hominem ab eis separatum, extra Deum, per se subsistentem, æternum, & incorruptibilem, qui singulorum hominum causa sit & essentia, sive natura; singulos verò homines esse quasi totidem ejus participationes, simulacra & imagines; ad eum similem modum, quo effigies à sigillo tabulis cereis impressæ, nihil aliud sunt revera, quàm participationes quædam sigilli, ejus simulacra, & imagines. Præter autem hujusmodi ideas, nulla alia universalia Plato admisit; unde cum idea sit duntaxat repræsentatio quædam rei ideatæ, & ipsius exemplaris causa, perspicuum est, Platonem admisisse tantùm universalia in repræsentando & in causando. Incredibile autem est, quidquid dictitent aliqui recentiores, Aristotelem aut Platoni tam aperte imposuisse, aut illius mentem assecutum non fuisse, cùm ipsum per viginti annos audierit; aut summum virum de se benè meritum calumniis traducere voluisse.

Attamen D. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei cap. 28. & lib. 22. cap. 26. Fustrarius 1. Ethic. cap. 6. Alcinous, Marsilius Ficinus, & alii, tum veteres, tum recentiores, Platonem benignè interpretantur, asseruntque, ipsum ideas Deo externas nunquam admisisse, sed potiùs ideas à

Pla-

Platone admiſſas revera nihil aliud extitiſſe, quàm æterna & incorruptibilia: erum omnium creandarum exemplaria, in divina mente exiſtentia: ſicut enim priùs quàm artifex domum extruat, ejus ideam aut exemplar format in mente, ad cujus inſtar illam poſteà conſtruit; ita divinus ac ſupremus artifex in tempore res producturus, ipſarum ideas ſeu exemplaria im mente ſua ab æterno concepit. Ideòque dum Ariſtoteles variis in locis ideas Platonis refellit, eas in ſenſu Platonis confutare non intendit, ſed in eo ſenſu ſolo, in quo Zenocrates Philoſophus illas Platoni affinxit. Quidquid tamen ſit de Platonis mente.

Dicendum eſt, non eſſe admittendas ideas, quæ ſint exemplares formæ, à rebus ſingularibus ſeparatæ, extra Deum per ſe ſubſiſtentes, æternæ, & incorruptibiles, quæque cauſæ ſint & eſſentiæ eorum omnium, quæ ſenſibus noſtris ſubjiciuntur.

Ratio ſatis eſt facilis. Et primò quidem non ſunt admittendæ ideæ, quæ reſpectu Dei ſint exemplares formæ, extra Deum ipſum per ſe ſubſiſtentes: ſiquidem exemplares formæ extra Deum per ſe ſubſiſtentes, ſunt exemplaria externa rerum à Deo producendarum; ut patet: atqui non ſunt admittenda exemplaria externa rerum à Deo producendarum: ergo &c. Prob. min. quòd artifex indigeat exemplari externo ad arteſactum efficiendum, hoc ex ipſius impotentia & imperfectione provenit; ut experientia conſtat: ergo quia in Deo nulla impotentia, nullaque imperfectio ponenda eſt; dicendum ſequitur, Deum nequaquam indigere exemplaribus externis ad res producendas.

Inſuper, quòd non ſint admittendæ ideæ æternæ & incorruptibiles per ſe extra Deum ſubſiſtentes; ex eo in primis ſuadetur, quòd ſolus Deus eſt æternus, quidquid verò extra Deum eſt creatum, illud omne in tempore productum eſt;

juxta illam ex Genes. 1. desumptam propositionem: *In principio* (scilicet temporis) *creavit Deus cœlum & terram*. Deinde, vel ideæ illæ forent à Deo productæ, vel improductæ? Et quidem secundum dici nequit, cùm solus Deus sit ens à se, & improductum. Primum etiam dici non potest; etenim omnis actio productiva ad effectum singularem terminatur immediatè, non verò ad naturas universales, quales sunt, apud Platonicos, illæ ideæ.

Denique omninò repugnat, dari ideas realiter à rebus singularibus separatas, quæ tamen sint ipsarum essentiæ ac naturæ; siquidem nihil est tam intrinsecum rebus, quàm illarum essentiæ aut naturæ; quod autem realiter est à rebus separatum, non est eis intrinsecum, sed potiùs est aliquid illis planè extrinsecum.

Et sanè, ex ipsis Platonicis, illæ ideæ sunt rerum singularium efficientes & exemplares causæ: ergo non sunt ipsis intrinsecæ; etenim ex omnium Philosophorũ doctrina, causa efficiens, & causa exemplaris, sunt causæ extrinsecæ.

Objic. 1. cum Platonicis: docent communiter Philosophi, de rebus singularibus non dari scientiam: ergo admittendæ sunt ideæ realiter à rebus singularibus separatæ, quæ sint scientiarum objecta.

Respondeo concesso antec. negando conseq. quamvis enim scientia de singularibus dari nequaquam possit, attamen de naturis communibus per intellectum à singularibus abstractis dari possunt scientiæ; neque necesse est, ut naturæ illæ sint à singularibus realiter separatæ.

Inst. de his, quæ cum singularibus realiter identificantur, dari non potest scientia: atqui naturæ communes per intellectum à singularibus abstractæ, realiter cum illis identificantur; ut infrà constabit: ergo &c. Prob. maj. ex communi Peripateticorum doctrina, dari nequit scientia, nisi de necessariis, incorruptibilibus, & immuta-

tabi-

rabilibus: atqui quæ cum singularibus realiter identificantur, non sunt necessaria, incorruptibilia, & immutabilia; sed potiùs sunt contingentia, corruptibilia, & mutationi obnoxia, sicut & singularia: ergo &c.

Respondeo negando maj. ad cujus prob. distinguo maj. ex communi Peripateticorum doctrina, dari nequit scientia, nisi de necessariis, incorruptibilibus, & immutabilibus; quantùm ad prædicata essentialia, & connexionem proprietatum cum essentia, de qua possunt in scientia demonstrari, concedo: dari nequit scientia, nisi de necessariis, incorruptibilibus, & immutabilibus, quoad existentiam, nego. Et distinguo similiter min. atqui quæ cum singularibus realiter identificantur, non sunt necessaria, incorruptibilia, & immutabilia; quoad existentiam, concedo: quoad prædicata essentialia, & connexionem proprietatum cum essentia, nego minor. & conseq. sub distinctione data.

Inst. rursus: secundùm Peripateticos, non datur scientia, nisi de perpetuis: atqui quæ cum singularibus realiter identificantur, non sunt perpetua, sed temporalia, sicut & singularia: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. secundùm peripateticos, non datur scientia, nisi de perpetuis, quoad existentiam, nego: non datur scientia, nisi de perpetuis, quoad prædicata essentialia, & connexionem proprietatum cum essentia, subdistinguo: nisi de perpetuis negativè, quæ nempè abstrahant ab omni tempore, præsenti, præterito, & futuro, concedo: nisi de perpetuis positivè, quæ nimirum entitatem realem & positivam sibi ab æterno vendicent, nego. Et similiter distinguo min. atqui quæ cum singularibus realiter identificantur, non sunt quoad existentiam perpetua, sed temporalia, concedo: non sunt quoad prædicata essentialia, & connexionem proprietatum cum essentia perpetuæ, subdistinguo:

non sunt perpetua positivè, concedo: non sunt perpetua negativè, ita ut non abstrahant ab omni tempore, nego.

Objic. 2. & ampliùs inst. proprium & proportionatum intellectus nostri objectum debet esse realiter à singularibus, præsertim corporeis & materialibus, separatum, non verò aliquid realiter cum eis identificatum: atqui naturæ communes & universales sunt proprium & proportionatum nostri intellectus objectum, ut docent Peripatetici: ergo &c. Prob. maj. cùm intellectus noster sit potentia incorporea & immaterialis, proprium & proportionatum nostri intellectus objectum debet esse incorporeum & immateriale: atqui quod realiter identificatur cum singularibus corporeis & materialibus, non est incorporeum & immateriale, sed potiùs est corporeum & materiale; sicut & individua seu singularia sunt corporea & materialia: ergo &c.

Respondeo negando maj. ad cujus prob. distinguo maj. cùm intellectus noster sit potentia incorporea & immaterialis, proprium & proportionatum nostri intellectus objectum debet esse incorporeum & immateriale in esse intelligibili, concedo: debet esse incorporeum & immateriale in esse entitativo, nego: licèt autem naturæ communes & universales realiter cum singularibus corporeis & materialibus identificatæ, sint corporeæ & materiales in esse entitativo, id est, secundùm entitatem, quam habent extra intellectum in singularibus; sunt tamen incorporeæ & immateriales in esse intelligibili, quatenus intellectui nostro repræsentantur per species intelligibiles, quæ sunt incorporeæ ac immateriales.

Inst. ex D. Augustino in 2. Soliloq. Res corporeæ ab intellectu comprehendi non possunt; videlicet tanquam objectum proportionatum: ergo neque naturæ communes realiter

cum singularibus corporeis identificatæ.

Respondeo explicando & distinguendo propositionem D. Augustini; concedo quippe, res corporeas ab intellectu comprehendi seu cognosci non posse quidem per species corporeas & sensibiles, benè tamen per species incorporeas & intelligibiles, per quas etiam naturæ communes realiter cum singularibus corporeis identificatæ possunt ab intellectu percipi.

Objic. 3. dum ranæ ex putrescente materia generantur, ab aliqua causa univoca producuntur, quæ proinde causa debet admitti: atqui illa causa univoca nulla alia esse potest, præter ranam in communi, ad modum ideæ realiter separatæ: ergo &c.

Respondeo negando maj. satis siquidem est, ut tunc ranæ, aliaque hujusmodi animalia, à causis æquivocis sive universalibus, nimirum à Deo, Sole, &c. ultimas dispositiones in materiam introducentibus, & vices atque influxum causæ particularis univocæ supplentibus, generentur.

§. II.

Universale Stoicorum & Nominalium refellitur; & Peripateticorum sententia stabilitur.

Notandum est 1. conceptum intellectus esse duplicem; nempè formalem, & objectivum. Formalis conceptus intellectus est ipsius operatio, qua concipit: conceptus autem objectivus est objectum illius operationis.

Notandum est 2. conceptum, sive formalem, sive objectivum, esse iterum duplicem; scilicet communem, vel singularem. Conceptus formalis singularis est operatio intellectus singulare seu individuum alicujus naturæ concipientis: conceptus verò singularis objectivus, est ejusmodi singulare seu individuum ab intellectu conceptum.

Con-

Conceptus autem formalis communis est operatio, qua intellectus naturam multis individuis sive singularibus communem (qualis est humana natura) percipit: conceptus verò communis objectivus, est illa communis natura ab intellectu percepta.

Notandum est 3. Stoicos & Nominales distinguere duo nominum genera: alia namque apud ipsos sunt interna, & alia externa. Nomina interna sunt conceptus formales intellectus. Nomina verò externa sunt externæ voces ore corporis prolatæ. His prænotatis

Stoici olim existimarunt, alia universalia non esse ponenda, præter conceptus formales intellectus, quibus plura singularia ut inter se similia repræsentantur. Hanc opinionem diu sopitam & à scholis exulantem excitarunt Nominales, dum alia universalia præter nomina interna & externa communia non admiserunt. Hinc *Nominales* dicti sunt, quoniam omnia nominibus concedebant.

Ex dictis colliges, Stoicos & Nominales admisisse universalia in repræsentando & significando duntaxat; formales enim conceptus communes sunt universales solùm in repræsentando, quia nimirum plura repræsentant; nomina verò interna, quæ multa repræsentant, sunt etiam universalia tantùm in repræsentando; nomina autem externa, quæ significant plura, sunt tantummodò universalia in significando.

Peripatetici autem cum Aristotele, præter formales conceptus communes, communiaque nomina, tum interna, tum externa; naturas universales per conceptus communes, & nomina communia designatas, atque in singularibus existentes, agnoverunt; hinc juxta peripateticos, non solùm communis est conceptus formalis, quo hominem mente concipio, non tantùm commune est hoc nomen homo; verùm etiam communis est & universalis humana natura, per ejusmodi

con-

conceptum & nomen significata, atque in Petro, Paulo aliisque singularibus humanis existens. Unde soli Peripatetici universale in essendo & prædicando noverunt, id est, naturam universalem in multis singularibus existentem, & de illis prædicabilem. Cum Peripateticis contra Stoicos & Nominales.

Dico: præter formales conceptus communes, nominaque communia, dantur naturæ universales seu communes in singularibus existentes, & de ipsis prædicabiles.

Prob. secundùm Stoicos, dantur formales conceptus communes; & secundùm Nominales dantur nomina communia: ergo dantur & naturæ singularibus communes, eis inexistentes, atque de ipsis prædicabiles; quæ per formales conceptus communes repræsententur, & per nomina communia significentur. Prob. conseq. ex eo, quòd inter conceptum formalem communem, & singularem, item inter nomen commune, & singulare, hoc potissimùm videtur discrimen, quòd formalis conceptus communis repræsentet naturam communem, singularis verò conceptus singularem naturam repræsentent; item quòd nomen commune significet communem naturam, singulare autem nomen singularem naturam significet.

Respondent adversarii, nomen commune in hoc à singulari discrepare, quòd nomen singulare, v. g. Petrus, unum duntaxar individuum significet; nomen verò commune, v. g. homo, plura designet individua sive singularia, v. g. humana, collectivè aut confusè concepta, ut inter se similia vel convenientia.

Sed contra sic argumentor: dum dico: *Petrus est homo*: de Petro prædicatur seu affirmatur significatum illius nominis, *Homo*, ut patet: si igitur hujusmodi nomen significaret plura individua humana collectivè seu confusè sumpta, sensus allatæ propositionis foret iste: Petrus est plu-

ra

ra individua humana collectivè seu confusè accepta: quod sanè & falsum, & absurdum est.

§. III.

Objectiones solvuntur.

Objic. 1. omnis natura, quæ in singularibus existit, est singularis: ergo non est universalis.

Respondeo distinguendo ant. omnis natura, quæ in singularibus existit, est singularis: si consideretur ut contracta per differentiam individualem & singularem, concedo: si consideretur secundùm sua prædicata essentialia, quæ in omnibus singularibus sunt similis rationis, nego; sic enim accepta, non est purè singularis, sed est fundamentaliter universalis, ita ut præbeat intellectui nostro universalitatis fundamentum, ut infrà constabit.

Objic. 2. quod productum est atque existens, est singulare, non verò universale; productio enim immediatè ad hunc effectum singularem terminatur, cui etiam soli competit existentia, quæ per productionem tribuitur: atqui natura, quæ est in singularibus, est producta atque existens: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod immediatè productum est atque existens, est singulare, non verò universale, concedo; productio enim immediatè ad hunc effectum singularem terminatur, cui etiam soli immediatè competit existentia, quæ per productionem immediatè illi tribuitur: quod mediatè duntaxat productum est atque existens, est singulare &c. nego: natura verò communis, quæ est in singularibus, non est producta atque existens immediatè, sed mediatè tantùm, videlicet mediantibus individuis seu singularibus immediatè productis & existentibus, cum quibus realiter identificatur.

Objic.

Objic.3. universale est, quod de multis prædicatur: atqui hoc nomen commune, *Homo*, de multis, scilicet de Petro, Paulo, &c. prædicatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. universale est, quod ex parte sui de multis prædicatur, concedo: universale est, quod ex parte sui significati tantùm de multis prædicatur, nego. Et distinguo pariter min. atqui hoc nomen commune, *Homo*, ex parte sui significati, id est, ex parte naturæ humanæ, quam significat, de multis, scilicet de Petro, Paulo, &c. prædicatur, concedo: atqui hoc nomen commune, *Homo*, ex parte sui, prout est sonus ex ore procedens, ad humanam naturam significandam ordinatus, de multis &c. prædicatur, nego min. & conseq.

Ex quo intelliges, quomodo sit exponendus Porphyrius, dum hunc tractatum inscribit: *De quinque vocibus*: non enim loquitur de quinque vocibus ex parte sui, sed ex parte significatorum, seu ex parte quinque naturarum communium, quæ per quinque illas voces significantur; unde præfata inscriptio eadem est ac sita: *De quinque naturis communibus*.

Inst. nequit natura communis de singularibus prædicari: ergo necesse non est, ut admittantur naturæ communes de individuis seu singularibus prædicabiles. Conseq. patet. prob. ant. si natura communis sive universalis de aliquo singulari prædicaretur, universale de singulari affirmaretur; & ita singulare foret universale: atqui hoc dici nequit: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. nequit natura communis, quoad universalitatis statum, de singularibus prædicari, concedo; revera enim status universalitatis attribui alicui singulari, & de illo prædicari, nequit: nequit natura communis, quoad rationem aut essentiam suam, de singularibus prædicari, nego, ant. & conseq. Ad prob. ant. distinguo maj. si natura communis sive univer-

salis,

falis, quoad universalitatis statum, de aliquo singulari prædicaretur, universale de singulari affirmaretur; & ita singulare foret universale, concedo: si natura communis sive universalis quoad rationem aut essentiam suam, de aliquo singulari prædicaretur, universale de singulari affirmaretur; subdistinguo: universale quoad rationem vel essentiam naturæ communis, de singulari affirmaretur, & ita singulare foret universale quoad participationem rationis seu essentiæ naturæ communis, concedo: universale de singulari absolutè affirmaretur, & ita singulare absolutè foret universale, nego: quamvis verò dici nequeat, singulare esse universale absolutè loquendo; nequaquam tamen repugnat, dicere, singulare esse universale quoad participationem rationis seu essentiæ naturæ communis.

Objic. 4. Si in omnibus individuis aut singularibus humanis daretur communis natura, hæc natura deberet esse una: atqui in omnibus individuis vel singularibus humanis non datur natura una: ergo &c. Maj. est certa, & infrà constabit. prob. autem min. si in omnibus singularibus humanis daretur natura una, omnia singularia humana forent eadem inter se: atqui hoc omninò falsum est: ergo &c. Prob. maj. aut sequela maj. ex communi axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: atqui omnia singularia humana essent eadem uni tertio, nempè uni naturæ communi: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si in omnibus individuis aut singularibus humanis daretur communis natura, hæc natura deberet esse fundamentaliter una, dando intellectui nostro fundamentum concipiendi vel apprehendendi naturam unam, per ipsius abstractionem à differentiis singularibus, quibus à parte rei multiplicatur, concedo: hæc natura deberet esse formaliter una, adeò ut communis natura, prout existens in humanis singularibus à parte rei, habere deberet uni-

tatem

tatem formalem, nego. Et distinguo similiter min. atqui in omnibus individuis vel singularibus humanis non datur natura formaliter una, concedo: non datur natura fundamentaliter una, nego. Ad prob. min. distinguo maj. si in omnibus singularibus humanis daretur natura formaliter una, omnia singularia humana forent eadem inter se, esto: si in omnibus singularibus humanis daretur natura fundamentaliter una, omnia singularia humana forent eadem inter se, nego min. & conseq. sub distinctione data. Ad prob. sequelæ maj. distinguo allatum axioma: *Quæ sunt &c.* si illud tertium sit unum formaliter, esto: si illud tertium sit unum duntaxat fundamentaliter, nego; & distinguo pari modo min. atqui omnia singularia humana essent eadem uni tertio &c. essent eadem uni tertio, quod sit unum duntaxat fundamentaliter, concedo; quod sit unum formaliter, nego min. & conseq.

Inst. proprium est divinæ naturæ, ob infinitatem ipsius, ut sit una in tribus personis divinis: ergo una natura creata, & finita nequit in pluribus singularibus reperiri.

Respondeo ex doctrina & distinctione data: proprium est divinæ naturæ, ob infinitatem ipsius, ut sit una formaliter in tribus personis divinis, concedo: ut sit una duntaxat fundamentaliter in tribus personis divinis, nego; & distinguo pariter consequens: ergo una natura creata & finita nequit &c. quæ in pluribus singularibus à parte rei sit una formaliter, concedo: quæ sit una tantùm fundamentaliter, nego.

Objic. 5. Si admittenda forent communes naturæ, maximè, quia eas significant nomina communia; ut patet ex dictis in conclusionis probatione: atqui nomina communia non significant communes naturas: ergo &c. Prob. min. nomen commune in hoc à nomine singulari discrepare videtur, quòd nomen singulare unum duntaxat significet; nomen verò commune significet plu-

ra: ergo nomina communia naturas communes non significant, sed plura singularia collectivè & confusè apprehensa ut inter se similia.

Respondeo concessâ maj. negando min. ad cujus prob. nego ant. revera etenim nomen commune in hoc à nomine singulari discrepat, quòd nomen singulare significet unum tantùm, nomen verò commune significet naturam cõmunem; ob hanc quippe causam, *Nomen commune* nũcupatur. Significare autem plura collectivè, non est proprium nominis communis, sed nominis eu termini collectivi; ut liquet ex dictis in institutionibus Logicis.

Objic. 6. universale à parte rei non datur, sed per intellectum, ut infrà constabit: ergo naturæ universales in singularibus à parte rei admitti non debent.

Respondeo distinguendo ant. universale formaliter, id est, importans actu formalem universalitatem, à parte rei non datur, sed per intellectum, concedo: universale materialiter, id est, natura, cui ab intellectu attribuitur formalis universalitas, à parte rei non datur, &c. nego; & distinguo etiam consequens: ergo naturæ formaliter universales in singularibus à parte rei admitti non debent, concedo: ergo naturæ materialiter universales &c. nego.

Objic. ultimò: ex communi peripateticorum doctrina, universale est quoddam totum potentiale, cujus partes sunt singularia sub ipso contenta: ergo quia totum nihil aliud est, quàm partes collectivè & simul sumptæ (ut suo loco patebit) universale nihil aliud esse debet, quàm singularia collectivè & simul accepta, prout nempè sunt inter se similia.

Respondeo concesso ant. negando conseq. licet enim totum actuale revera nihil aliud sit, quàm partes collectivè & simul sumptæ, de toto tamen potentiali non ita dicendum est: siquidem totum actuale reipsa nihil est aliud, quàm ens completum,

tum, ex pluribus partibus actu compositum; partes autem actuales collectivè & simul sumptæ, sive partium actualium collectio, est revera ens completum, ex pluribus partibus actu compositum: totum verò potentiale est id, quod ex partibus potentialibus componitur, sive quod in potentia tantùm continet partes; totum autem potentiale non dicitur in potentia continere partes (juxta communem Philosophorum explicationem) nisi quatenus est natura superior contrahibilis per inferiora, vel per inferiorum differentias, quæ ipsius partes potentiales nuncupantur; singularia verò collectivè & simul sumpta non sunt natura superior per inferiora vel inferiorum differentias contrahibilis, sed id de sola natura pluribus inferioribus vel singularibus communi potest dici.

Articulus Secundus.

Quomodo naturæ communes, seu universales, ab inferioribus, vel singularibus, distinguantur.

§. I.

Quædam præmittuntur, & sententiæ referuntur.

Notandum est 1. distinctionem esse duplicem, nempè unam realem, & rationis alteram. Prior distinctio est inter ea, quæ ante omnem intellectus operationem non sunt idem: hoc modo Angelus, & Homo, distinguuntur. Posterior autem distinctio est illa, quam ratio seu intellectus efformat inter ea, quæ à parte rei, seu ante intellectus operationem, idem sunt: hac ratione, essentia, & proprietates seu attributa Dei (ex communi Theologorum doctrina) possunt distingui.

Notandum est 2. triplicem esse distinctionem rea-

realem. Prima est distinctio realis major, quæ & distinctio realis entitativa nonnumquam appellatur. Reperitur autem ista distinctio inter duas res, sive inter duas entitates, ante omnem operationem intellectus: v.g. inter Petrum, & Paulum; inter animam, & corpus, &c. estque omnibus aliis distinctionibus major. Secunda est distinctio realis minor, quæ & modalis quandoque nuncupatur. Invenitur autem hæc distinctio inter rem & modum: v. g. inter Petrum sedentem, & ejus sessionem.

Quòd si quæras, quid sit res, & quid modus? Respondeo, rem esse entitatem simpliciter & propriè dictam; cujusmodi est Petrus, vel anima, aut corpus: modum verò esse tenuissimam quandam entitatulam, quæ ob exiguitatem suam, simpliciter & propriè res vocari non potest, ejusmodi est sessio Petri sedentis. Tertia tandem distinctio realis, rectè minima aut merè modalis appellari potest; estque inter duos modos, v. g. inter sessionem Petri, & ipsius cubationem.

Præterea, distinctio realis alia est adæquata, & alia inadæquata. Prior distinctio est inter ea, quæ à parte rei, vel ante operationem intellectus, adæquatè distinguuntur; tali modo nempè, ut unum in alio non includatur hinc *distinctio excludentis ab excluso* appellari solet: ejusmodi distinctio inter Petrum, & Paulum; Leonem, & Equum, &c. reperitur. Posterior verò distinctio est inter illa, quæ à parte rei sic distincta reperiuntur, ut unum in alio includatur; hanc ob caussam *distinctio includentis ab incluso* nuncupatur: hoc modo totus homo ab anima, vel à corpore distinguitur.

Notandum est 3. tres etiam esse rationis distinctiones. Prima est distinctio rationis major, adæquata, & excludentis ab excluso; quæ nimirum reperitur inter ea, quæ per rationem seu intellectum adæquatè distinguuntur, adeò ut unum per mentem in alio minimè actu includatur; hoc modo

do genus & differentia distinguuntur; ut enim infra ostendetur, neque genus in differentia, neque differentia in genere, actu includitur. Secunda est distinctio rationis minor, inadæquata & includentis ab incluso, quæ nimirum invenitur inter illa, quæ quidem distinguuntur per rationem, ita tamen ut unum in alio, etiam secundùm eandem rationem, actu implicitè includatur, adeò ut quamvis unum aliud non explicet, seu distinctè non exprimat, actu tamen confusè contineat ipsum; hinc appellatur *distinctio explicati ab implicito*: hoc modo essentia Dei ab ejus attributis sive proprietatibus, apud Theologos distinguitur; summa etenim Dei actualitas exigit, ut ipsius essentia non sit in potentia ad attributa, neque attributa sint in potentia ad essentiam, etiam secundùm rationem; sed sese semper actu mutuò includant aut contineant, tametsi unum in suo conceptu aliud non explicet.

Ubi advertendum est, duplicem allatam rationis distinctionem formari ab intellectu cum fundamento in ipsa re, cui ab intellectu attribuitur; hinc *distinctio rationis ratiocinatæ* appellatur, quoniam formatur à ratione ratiocinata, id est, à ratione cum fundamento à parte rei ratiocinante seu operante. Hinc etiam *distinctio fundamentalis*, dici potest. Vocatur quoque *distinctio virtualis*, quoniam ea, inter quæ occurrit, licèt à parte rei formaliter seu actualiter unum & idem sint, virtualiter seu æquivalenter tamen sunt multa, multisque æquivalent, adeò ut eosdem præstent effectus, quos præberent, si à parte rei formaliter forent plura; hoc modo *Animal* & *Rationale* in Petro distinguuntur, ut statim dicetur: est etiam distinctio rationis ratiocinatæ seu fundamentalis & virtualis inter justitiam, & misericordiam Dei; quamvis enim duo illa Dei attributa sint à parte rei unica & simplex entitas formaliter (ut communiter docent Theologi) nihilominùs virtualiter & æquivalenter sunt mul-

tæ

tæ entitates aut perfectiones, inquantùm virtualiter vel eminenter æquivalent justitiæ & misericordiæ creaturarum, quæ sunt multæ entitates aut perfectiones; quæ quidem æquivalentia eminens est fundamentum distinctionis, quam format ratio inter justitiam, & misericordiam Dei; siquidem ex eo, quòd justitia, & misericordia, quæ in Deo sunt, eminenter æquivaleant justitiæ, & misericordiæ, realiter in creaturis distinctis, sumit ratio fundamentum distinguendi justitiam, & misericordiam Dei, sive accipit fundamentum eas in distinctos conceptus dividendi.

Tertia demùm rationis distinctio est minima, quæ ab intellectu absque ullo in re fundamento effingitur; v. g. dum intellectus distinguit vestimentum ab indumento: vocatur autem communiter *distinctio rationis ratiocinantis*, id est, rationis absque omni prorsus fundamento operantis. Ad hanc distinctionem reducenda est illa, quam intellectus efficit, quamvis nullum sit in re fundamentum, per solum ad varia connotata extrinseca respectum; hinc hujus distinctionis defensores docent, gradum *Animalis* v. g. & gradum *Rationalis*, intantùm in Petro distingui, inquantùm connotant operationes realiter distinctas, nimirum operationem sensitivam, & operationem rationalem.

Notandum est 4. Scotum in 1. dist. 2. qu. 7. n. 41. & alibi sæpè, præter distinctiones allatas, aliam admittere, quæ apud ipsum, propriè nec realis est, nec rationis, sed inter utramque media est; quæque minor est distinctione reali; sed distinctione rationis est major. Scotistæ verò hanc distinctionem communiter vocant *formalem ex natura rei*. Primò eam appellant *formalem*, quoniam, inquiunt, distinctio illa non est inter duas res, sed est duntaxat inter duas ejusdem rei formalitates. Vocant verò illam *formalem ex natura* rei, quia ea, inter quæ reperitur, ita distinguuntur, ut unum ex sua natura, quidditate,

ессu-

essentia, definitione, & conceptu formali, actualiter non sit aliud, etiam independenter ab omni operatione intellectus.

Notandum est 5. simul & advertendum, ad difficultatis intelligentiam, in quolibet individuo quosdam superiores & inferiores inveniri gradus, quorum superiores de inferioribus prædicantur: sicv. g. in Petro considerare licet gradus *substantiæ*, *corporis*, *viventis*, *animalis*, *hominis*, & *Petri*; eo ordine, ut gradus *substantiæ* de *corpore*, gradus *corporis* de *vivente*, gradus *viventis* de *animali*, gradus *animalis* de *homine*, & gradus *hominis* de Petro rectè prædicetur. Isti autem gradus *Metaphysici* nuncupari solent: *Gradus* quidem quoniam à superiori ad inferiorem fit descensus, sicut & ab inferiori ad superiorem ascensus: *Metaphysici* verò appellantur, quia superior gradus est per intellectum ab inferiori abstractus; mos verò invaluit, ut res abstractæ nuncupentur Metaphysicæ. Quæritur ergo, utrum & quomodo gradus Metaphysici superiores (qui utique sunt naturæ communes sive universales) ab inferioribus, vel à singularibus distinguantur.

Prima sententia docet, inter gradus Metaphysicos admittendam esse distinctionem formalem ex natura rei: hanc sententiam tuentur Scotistæ cum Scoto præceptore suo.

Secunda sententia asserit, inter præfatos gradus ponendam esse duntaxat distinctionem rationis ratiocinatæ, sive distinctionem virtualem & fundamentalem. Istam sententiam defendunt omnes Thomistæ; quos sequuntur Durandus, Henricus, Alensis, Suarez, Vazquez, Aversa, Hurtadus, Atriaga, Conimbricenses, &c.

§. II.

Confutatur Scotistarum sententia, & communis doctrina stabilitur.

DIco 1. inter distinctionem realem, & distinctionem rationis, nulla admittenda est media.

Probat. unitas & distinctio sunt proprietates entis, adeò ut omne ens vel sit unum, vel distinctum & multiplex; unde cum proprietas latiùs patere non debeat, quàm id cujus est proprietas; latiùs patere non debet distinctio, quàm ens; ideòque si ens adæquatè dividatur in ens reale, & in ens rationis, ita ut nullum detur ens medium; debet etiam distinctio adæquatè in distinctionem realem, & in distinctionem rationis distribui, adeò ut media distinctio nulla sit: atqui ens adæquatè dividitur in ens reale, & in ens rationis, ita ut nullum detur ens medium: ergo &c. Min. est doctrina omnium Peripateticorum, apud quos, ens medium inter ens reale, & ens rationis, omninò inauditum est. Hinc Arist. 4. Metaph. in principio asserit; *Omne ens, vel esse in re, vel esse in sola apprehensione*. Unde cum ens, quod in re est, sit ens reale, & ens, quod est in sola apprehensione intellectus, sit ens rationis; censet Philosophus, omne ens, vel esse reale, vel rationis, ita ut ens adæquatè in ens reale, & in ens rationis, dividatur.

Instatur magis: idcireò omne ens, vel est reale, vel rationis, quia, vel habet esse à parte rei, vel in sola apprehensione intellectus: atqui omnis distinctio, vel habet esse à parte rei, vel in sola intellectus apprehensione; cùm alibi habere esse nequaquam possit: ergo omnis distinctio, vel realis est, vel rationis; proindèque non datur distinctio inter utramque media.

Respondent Scotistæ, inter ens reale, & ens ratio-

rationis, non dari quidem ens medium, quod sit res; volunt tamen dari ens medium, quod sit formalitas rei: unde inter distinctionem realem, & distinctionem rationis, non datur quidem distinctio media, quæ sit realis, datur tamen distinctio formalis.

Sed contrà sic argumentor: illud ens medium inter ens reale, & ens rationis, quod ab adversariis ponitur, quodque formalitas rei ab ipsis appellatur, vel habet esse à parte rei, vel habet esse objectivè in solo intellectu, sive in sola intellectus apprehensione: si primum dicant adversarii; illud ens medium, propriè non erit medium inter ens reale, & ens rationis, sed verè erit ens reale; ut enim patet ex verbis Aristotelis suprà allatis, & ex communi omnium Philosophorum loquendi modo, ens reale verè & propriè dictum est id, quod habet esse in re, seu à parte rei. Si autem adversarii dicant secundum; illud ens medium non erit etiam medium inter ens reale, & ens rationis, sed propriè erit ens rationis: quandoquidem ens rationis propriè sumptum definitur vel describitur communiter: *Quod habet esse objectivè in solo intellectu.*

Respondent etiam Scotistæ, inter distinctionem realem, & distinctionem rationis, non dari mediam, si distinctio realis accipiatur pro ea distinctione, quæ quovis modo est independens ab operatione mentis: at id negant, si distinctio realis sumatur pro ea distinctione, quæ inter duas res intercedit; unde fatentur, distinctionem formalem ex natura rei esse realem primo modo; volunt quippe, distinctionem illam esse ab operatione mentis independentem: sed nolunt, illam esse realem secundo modo; quoniam (inquiunt) non est inter duas res, sed inter duas formalitates; adduntque consequenter, distinctionem formalem ex natura rei esse mediam inter distinctionem realem secundo modo usurpatam, & distinctionem rationis.

Quòd si à Scotistis quæras quid ipsi nominibus *res* & *formalitatis* intelligant? Respondent, *rem* esse ens reale complerum, existens in se, ab omni alio separatum vel separabile: ut sunt Petrus, & Paulus, &c. Dicunt verò, formalitatem esse quidem ens, quod ab omni operatione intellectus independens est; sed volunt, illud ens esse incomplerum, non existens in se, sed in alio, cujus est formalitas, à quo non est separatum, imò à quo divinitùs est inseparabile; hujusmodi sunt *Animalitas*, & *Rationalitas* in Petro, ex ipsorum Scotistarum mente.

Sed contra hanc responsionem sic argumentor: duæ formalitates, prout à Scotistis explicantur, sunt propriè duæ res: ergo distinctio, quæ inter illas intercedir, est propriè realis, etiam secundo modo. Prob. ant. si duæ formalitates non essent propriè duæ res, maximè, quia sunt duæ entitates incompletæ in alio existentes; ut ex dictis patet: atqui hoc non impedit: ergo &c. Prob. min. materia, & forma seu anima Petri, sunt verè duæ entitates incompletæ, utpote partiales in alio, nimirum in Petro, existentes; & tamen materia, & forma sive anima Petri, sunt vere & propriè duæ res realiter ab invicem distinctæ distinctione reali propriè & simpliciter dicta: ergo quòd duæ formalitates sint duæ entitates incompletæ in alio existentes, non impedit, quin sint propriè duæ res realiter à se mutuò distinctæ distinctione reali propriè & simpliciter accepta.

Nec valet, si dicant Scotistæ, materiam & formam Petri esse res distinctas distinctione reali propriè & simpliciter sumpta, quòniam sunt realiter ab invicem separabiles quales non sunt formalitates, quæ potiùs sunt etiam divinitùs inseparabiles. Non valet, inquam, quoniam ut aliqua distinguantur distinctione reali propriè & simpliciter nuncupata, necesse non est, ut sint à se mutuò realiter separabilia; sed quandoque unum ab

alio

alio realiter propriè & simpliciter distinguitur, quamvis sit etiam divinitùs ab eo inseparabile: in primis enim communis est Philosophorum doctrina, rem, & modum, propriè distingui realiter, saltem distinctione reali minori; & tamen modus, ob imperfectionem & exiguitatem suæ entitatis, nequit, etiam divinitùs, à re modificata separari, & sine illa conservari: item calefactio realiter propriè à calore distinguitur, quandoquidem transacta realiter calefactione, seu actione calefactiva, permanet calor in subjecto; & nihilominùs calefactio divinitùs à calore separari non potest, imò calefactio sine calore concipi nequit: potest ergo una formalitas realiter propriè ab alia distingui, licèt ab ea divinitùs separari nequeat.

Dico 2. distinctio formalis ex natura rei inter gradus Metaphysicos admittenda non est; sed sola distinctio rationis ratiocinatæ, seu virtualis & fundamentalis inter illos est constituenda.

Quòd in primis distinctio formalis ex natura rei inter gradus Metaphysicos admittenda non sit, colligitur ex dictis in præcedenti conclusione, in qua distinctio illa fuit confutata.

Deinde, cùm gradus Metaphysici pertineant ad constitutionem individui in quo sunt (qua ratione gradus *substantiæ*, gradus *corporis*, gradus *viventis*, gradus *animalis*, gradus *hominis* & gradus *Petri*, verè ad ipsius Petri constitutionem spectant) sunt revera formales effectus formæ ipsius individui constitutivæ; unde, quia formalis effectus formæ non distinguitur realiter à forma, cujus est formalis effectus (formalis enim effectus formæ reipsa nihil aliud est, quàm forma ut subjecto communicata; sic album, quod est formalis effectus albedinis, nihil aliud est, quàm albedo ut communicata parieti, v. g.) gradus Metaphysici realiter à forma substantiali constitutiva individui nequaquam distinguuntur, sed sunt idem realiter cum illa, ideo-

que eodem modo, quo gradus Metaphyſici in individuo multiplicantur, multiplicatur & ſubſtantialis forma; & idcircò, ſi in uno & eodem individuo forent multi gradus Metaphyſici formaliter ex natura rei diſtincti, eſſent quoque in illo multæ ſubſtantiales formæ formaliter ex natura rei diſtinctæ; totque ſubſtantiales formæ, quot gradus Metaphyſici: quod etiam apud Scoti diſcipulos inauditum eſt.

Itaque gradus Metaphyſici ejuſdem individui ante omnem mentis operationem formaliter ſeù actualiter ex natura rei non diſtinguuntur; ſed inter eos eſt duntaxat virtualis diſtinctio, adeò ut ſubſtantialis forma, quæ ante operationem intellectus formaliter ſeu actualiter una vel unica eſt, & virtualiter aut æquivalenter multiplex, illos omnes gradus tribuat. Hinc una & eadem formaliter anima rationalis Petri, prout virtualiter vel eminenter æquivalet formæ ſubſtantiali corporeæ, gradus *Subſtantiæ* & *Corporis* dat Petro; quatenus verò animæ vegetativæ plantæ, & animæ ſenſitivæ animalis, aut Bruti, æquivalens eſt, gradus *Viventis* & *Animalis* largitur Petro; prout autem rationalis eſt, impertit gradum *Hominis*, qui per *Rationale*, ſicut per differentiam ſpecificam, conſtituitur. Denique anima illa, inquantùm eſt hæc numero individua & ſingularis, confert eidem Petro gradum individualem, ſecundùm quem Petrus eſt hoc individuum humanum, ſeu hic & ſingularis homo.

Neque nova videatur doctrina noſtra, qua diximus, aliquid ante omnem mentis operationem, ſeu à parte rei, poſſe eſſe unum formaliter, & virtualiter multiplex, ita ut multis realiter æquivaleat: nam in primis in uno & eodem homine una & eadem formaliter anima rationalis eſt virtualiter aut eminenter multiplex, quatenus virtualiter vel eminenter æquivalet animæ vegetativæ plantarum, & animæ ſenſitivæ brutorum, quæ realiter diſtinguuntur. Deinde, ut exemplo utar fa-

familiari, valor unius nummi aurei eſt quidem unus formaliter, ſed virtualiter multiplex eſt, inquantùm virtualiter æquivalet valoribus realiter diſtinctis multorum denariorum. Ad eum igitur ſimilem modum entitas formæ ſubſtantialis ejuſdem individui eſt formaliter una, & virtualiter multiplex, & prout talis, tribuit eidem individuo gradus Metaphyſicos virtualiter diſtinctos.

Quòd verò ſola diſtinctio rationis ratiocinantis inter gradus Metaphyſicos non intercedat, ſed inter eos diſtinctio rationis ratiocinatæ reperiatur, ſuadetur ex eo, quòd prior diſtinctio eſt, quæ à ratione formatur abſque ullo à parte rei fundamento; poſterior autem diſtinctio eſt illa, quam quidem format ratio, ſed cujus fundamentum exiſtit in ipſa re, in qua ſunt extrema diſtincta: diſtinctio verò, quæ inter gradus Metaphyſicos ejuſdem individui invenitur, ſuum habet in eo individuo fundamentum, nempè multiplicitatem virtualem entitatis formæ ſubſtantialis ejuſdem individui, ex qua emanant ipſi gradus Metaphyſici, nec non diverſitatem operationum ex ejuſmodi gradibus provenientium (etenim in eodem Petro, à gradu *Animalis* provenit ſenſitiva operatio; & à gradu *Rationalis* ratiocinatio procedit, quæ ſunt operationes realiter diverſæ.) Si gradus Metaphyſici ſecundùm mentem ſeſe mutuò excludant (ut ſunt gradus *Animalis* & gradus *Rationalis*; prior quippe gradus eſt genericus, & poſterior eſt differentialis in homine: gradus verò genericus, & gradus differentialis, ſecundum intellectum, ſeſe invicem excludunt, ut infrà conſtabit) diſtinguuntur diſtinctione rationis majori: ſi autem unum includat alterum, (quo modo gradus *Hominis* includit gradum *Animalis*) diſtinguuntur diſtinctione rationis minori.

§. III.

Scotistarum objectiones solvuntur.

OBjic. 1. gradus Metaphysici in uno & eodem individuo ante omnem mentis operationem actu distinguuntur: ergo inter eos extat saltem formalis ex natura rei distinctio. Conseq. patet prob. ant. ea ante omnem mentis operationem actu distinguuntur, de quibus prædicata contradictoria verificantur; quandoquidem prædicata contradictoria nequeunt de uno & eodem subjecto verificari: atqui de gradibus Metaphysicis in uno & eodem individuo, v. g. de gradu *Animalis*, & de gradu *Rationalis*, in uno & eodem Petro, prædicata contradictoria verificantur: ergo &c. Prob. min. esse principium sentiendi, & non esse principium sentiendi, sunt duo prædicata contradictoria; cùm oppositio contradictoria inter ens (cujusmodi est, esse principium sentiendi) & non ens (quale est, non esse principium sentiendi) inveniatur: atqui esse principium sentiendi verificatur de gradu *Animalis*; & non esse principium sentiendi, de gradu *Rationalis*, verificatur, in eodem Petro; idem enim Petrus inquantùm animal, sentit, & inquantùm rationalis, non sentit, sed ratiocinatur; ergo &c.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distinguo ma. ea ante omnem mentis operationem actu distinguuntur, de quibus prædicata formaliter contradictoria verificantur, concedo: de quibus prædicata materialiter solùm contradictoria verificantur, nego: quamvis autem de gradibus Metaphysicis in uno & eodem individuo prædicata materialiter contradictoria verificentur, quatenus de illis verificantur prædicata, quæ oppositionis contradictoriæ sunt capacia; de illis tamen nequaquam verificantur prædicata formaliter contradictoria, id est, oppositionem contradi-

ctoriam actualiter retinentia · hinc dum de gradu *Animalis* in Petro enunciatur principium sentiendi, & ipsum de gradu *Rationalis* (in eodem Petro) negatur; de illis gradibus verificantur quidem prædicata materialiter contradictoria, seu oppositionis contradictoriæ capacia; de ipsis tamen minimè verificantur prædicata formaliter contradictoria, sive oppositionem contradictoriam actualiter retinentia; actualis enim oppositio contradictoria est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem absolutè: affirmatio autem & negatio principii sentiendi, est quidem affirmatio & negatio ejusdem de eodem, non tamen secundùm idem absolutè, sed secundùm gradus *Animalis* & *Rationalis* virtualiter aut fundamentaliter diversos, adeò ut diversitas illorum graduum non sit chimerica, sed verè sit à parte rei, fundata videlicet in multiplicitate virtuali entitatis formæ substantialis, qua Petrus constituitur, modo suprà explicato.

Inst. 1. distinctio rationis (qualis est distinctio virtualis) nequit oppositionem realem tollere: atqui oppositio contradictoria est realis: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. distinctio rationis ratiocinantis (quæ est purè distinctio rationis, utpotè quæ nullum à parte rei habet fundamentum) nequit oppositionem realem tollere, concedo · distinctio rationis ratiocinatæ (quæ non est purè rationis, sed realis est ex parte sui fundamenti, utpote obtinens fundamentum à parte rei, seu extra intellectum) nequit oppositionem realem tollere, nego: distinctio autem virtualis, quæ inter gradus Metaphysicos reperitur, non est rationis ratiocinantis, sed est rationis ratiocinatæ. Unde data min. nego conseq. sub eadem distinctione.

Urge. Ad tollendam oppositionem omnium maximam requiritur distinctio, quæ sit distinctione rationis major; atqui oppositio contradictoria est omnium oppositionum maxima; ut do-

cent communiter Philosophi: ergo &c.

Respondeo 1. argumentum nimis probare; probat quippe, ad tollendam oppositionem contradictoriam inter gradus Metaphysicos requiri distinctionem realem majorem. quandoquidem ad tollendam oppositionem maximam distinctio realis major vel maxima videtur necessaria; secundùm Scotistas autem inter gradus Metaphysicos ejusdem individui distinctio realis major vel maxima non datur; sed ex ipsorum doctrina, admittenda est inter illos duntaxat distinctio formalis ex natura rei, quæ est omnium distinctionum realium minima, ut ipsi fatentur.

Respondeo 2. distinguendo maj. ad tollendam oppositionem omnium maximam requiritur distinctio, quæ fundamentaliter, seu ex parte sui fundamenti, sit distinctione rationis major, concedo: requiritur distinctio, quæ formaliter, seu ex parte sui, sit distinctione rationis major, nego. Et concessa min. nego conseq. sub distinctione data.

Inst. 2. nequeunt verificari prædicata privativè opposita, v.g. visus & cæcitas de eodem Petro, secundùm gradus virtualiter distinctos considerato: ergo non possunt etiam prædicata contradictoria de eodem Petro, secundùm gradus similes spectato, verificari

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem; disparitas est, quòd ut prædicata privativè opposita, v.g. visus & cæcitas de eodem Petro verificarentur, necesse foret, ut idem realiter Petrus haberet formam sibi debitam (v.g. sibi debitum visum) & simul ea privaretur aut careret; quod omninò repugnat: ut autem de eodem Petro prædicata contradictoria, v.g. esse principium sentiendi, & non esse principium sentiendi, verificentur, sufficit planè ut in Petro sit substantialis forma seu anima, quæ sit una formaliter, & virtualiter aut eminenter multiplex, adeò ut virtualiter aut eminenter æquivaleat animæ

mæ Bruti; tali modo, ut cum ea conveniat, & simul ab illa differat, eminenti quadam ratione: nam quatenus anima Petri convenit cum anima Bruti, & est anima sensitiva, dat Petro g adum *Animalis*, secundùm quem Petrus est principium sentiendi; quatenus verò eadem anima Petri differt ab anima Bruti, & est anima rationalis, tribuit Petro gradum *Rationalis*, secundùm quem ipse Petrus non est principium sentiendi, sed ratiocinandi; in quo nulla est repugnantia.

Urge. Petrus à parte rei & ante omnem rationis sive intellectus operationem, inquantùm animal sentit, & inquantùm rationalis non sentit: ergo gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in Petro à parte rei, & ante omnem intellectus operationem, distinguuntur.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in Petro à parte rei, & ante omnem intellectus operationem, virtualiter aut fundamentaliter distinguuntur, conced. ergo gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in Petro à parte rei, & ante omnem intellectus operationem, formaliter seu actualiter distinguuntur, nego.

Urge iterum: Petrus à parte rei, in gradu *Animalis* cum Bruto convenit, & in gradu *Rationalis* à Bruto essentialiter & specificè differt: ergo gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in Petro à parte rei distinguuntur necesse est.

Respondeo, concesso ant. distinguendo consequens, juxta doctrinam traditam: ergo gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in Petro virtualiter à parte rei distinguantur necesse est, concedo: ergo gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in Petro formaliter à parte rei distinguantur necesse est, nego; sufficit quippe ut gradus illi sumantur ab anima Petri, quæ est una à parte rei formaliter, & virtualiter multiplex; & ratione cujus virtualis multiplicitatis à parte rei, & convenit cum anima Bruti, inquantùm est anima

sensitiva; & ab illa differat, inquantùm est anima rationalis.

Inst. 3. ea à parte rei actualiter distinguuntur, quorum unum actu à parte rei convenit cum Bruto, & alterum actu à parte rei differt à Bruto: atqui gradus *Animalis* Petri actu à parte rei convenit cum Bruto, & ejus gradus *Rationalis* actu à parte rei differt à Bruto: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. ea à parte rei actualiter distinguuntur, quorum unum actu à parte rei convenit cum Bruto, & alterum actu à parte rei differt à Bruto: in diversis individuis, concedo: in eodem individuo, v.g. in Petro, nego; sufficit enim, ut illa duo virtualiter à parte rei in eodem individuo distinguantur, adeò ut sumantur ab anima, quæ à parte rei sit virtualiter multiplex, ratione cujus virtualis multiplicitatis, actu conveniat cum anima Bruti, & ab ipsa actu differat, modo supra explicato.

Urge. Gradus *Animalis* in Petro, & gradus *Animalis* in hoc equo, sunt ejusdem rationis; ut infra constabit: ergo sicut gradus *Animalis* in hoc equo actualiter à parte rei distinguitur à gradu *Rationalis*, ita idem de gradu *Animalis* in Petro dicendum est.

Respondeo distinguendo ant. gradus *Animalis* in Petro, & gradus *Animalis* in hoc equo, sunt ejusdem rationis, secundùm iste lectum abstrahentem & distinguentem gradum *Animalis*, qui est in Petro, à gradu *Rationalis*, in quo abstractionis & distinctionis statu, gradus *Animalis* est gradus genericus & communis respectu Petri, & hujusequi, respectu quorum proinde est ejusdem rationis, ut infrà patebit; concedo: gradus *Animalis* in Petro, & gradus *Animalis* in hoc equo, secundùm rem, sive à parte rei, & ante omnem intellectus operationem, sunt ejusdem rationis, nego; gradus quippe *Animalis* ita consideratus, est idem formaliter seu actualiter in Petro cum gradu *Rationalis*, qui utique non est ejus-

ejuſdem rationis (ſed potiùs diverſæ) cum gradu *Animalis*, qui eſt in hoc equo.

Objicies ſecundò: quando Petrus moritur, in ipſius anima ſeparata permanet gradus *Rationalis* realiter à gradu *Animalis* ſeparatus: ergo gradus illi in uno & eodem individuo humano (qualis eſt Petrus) poſſunt realiter ſeparari, proindèque in illo realiter diſtinguuntur. Prob. ant. tunc unum realiter ab altero ſeparatur, quando unum remanet realiter ſine altero: atqui in anima Petri ſeparata remanet realiter gradus *Rationalis* ſine gradu *Animalis*: ergo &c. Prob. min. Et primò quidem in anima Petri ſeparata permanet gradus *Rationalis*; quandoquidem anima Petri in ipſo ſeparationis ſtatu, propriè ratiocinari poteſt. Quòd autem in ea non remaneat gradus *Animalis*, ex eo ſuadetur, quòd alioquin ipſa anima Petri ſeparata poſſet actiones ſenſitivas exercere, cùm gradus *Animalis* ſit principium ſentiendi; dicere autem, animam Petri ſeparatam poſſe actiones ſenſitivas exercere, inauditum eſt.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. diſtinguo maj. tunc unum realiter ab altero ſeparatur, quando unum in recto remanet realiter ſine altero, etiam in recto conſiderato, concedo: quando unum in recto remanet realiter ſine altero in obliquo ſolùm & de connotato ſpectato, nego. Et diſtinguo pariter min. atqui in anima Petri ſeparata remanet realiter gradus *Rationalis* in recto ſumptus ſine gradu *Animalis* in obliquo & de connotato ſpectato, concedo; gradus etenim *Animalis* in obliquo importat corpus, in quo ſunt organa, quorum miniſterio actiones ſenſitivæ exercentur; importat & actiones ſenſitivas, ſine quibus omnibus erit gradus *Rationalis* in anima Petri ſeparata: atqui in anima Petri ſeparata remanet realiter gradus *Rationalis* in recto acceptus ſine gradu *Animalis* in recto conſiderato, nego; ſicut enim gradus *Rationalis* in recto eſt

ani-

anima ut rationalis; ita gradus *animalis* in recto est anima ut sensitiva; remanebit verò in statu separationis anima Petri, non solùm ut rationalis, verùm etiam ut sensitiva; quamvis defectu corporis, & organorum corporeorum, non sit actiones sensitivas habitura.

Obje. 3. cùm definitio explicet naturam rei, ea distinguuntur formaliter ex natura rei, quæ distinctis definitionibus definiuntur: atqui gradus *animalis*, & gradus *rationalis*, in Petro, distinctis definitionibus definiuntur; definitur quippe gradus *animalis*: *Principium sentiendi*: definitur autem *rationalis* gradus: *Principium ratiocinandi*; ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. cùm definitio &c. ea distinguuntur formaliter ex natura rei, quæ distinctis definitionibus definiuntur: si definitiones illæ sint adæquatæ, & explicent objecta definita, prout sunt à parte rei, concedo: si definitiones illæ sint solùm inadæquatæ, & exponant idem objectum secundùm diversos conceptus inadæquatos & partiales consideratum, nego. Et distinguo pariter min. atqui gradus *animalis*, & gradus *rationalis*, in Petro, distinctis definitionibus inadæquatis, & idem objectum secundùm diversos conceptus inadæquatos exponentibus definiuntur, concedo: atqui gradus *animalis*, & gradus *rationalis*, in Petro, distinctis definitionibus, & objecta, prout sunt à parte rei, explicantibus definiuntur, nego; definitiones enim illæ: *Principium sentiendi*: *Principium ratiocinandi*, prout sunt definitiones distinctæ, non exponunt gradum *animalis*, & gradum *rationalis*, prout sunt à parte rei formaliter; sed eos gradus explicant secundùm diversos conceptus mentis inadæquatos & partiales, quibus cum fundamento à parte rei formaliter distinguuntur; unde sequitur quidem illos gradus distingui formaliter per conceptus mentis seu intellectus cum fundamento à parte rei; non

tamen

tamen formaliter à parte vel ex natura rei.

Objic. 4. principia operationum actualiter à parte rei diſtinctarum, actualiter à parte rei diſtinguuntur, ut liquet ſatis: atqui gradus *animalis*, & gradus *rationalis*, in Petro ſunt principia operationum actualiter à parte rei diſtinctarum; gradus quippe *animalis* eſt principium ſenſitivæ operationis, gradus verò *rationalis* eſt principium diſcurſus; quæ operationes ſunt utique actualiter à parte rei diſtinctæ: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. principia proxima operationum actualiter à parte rei diſtinctarum, actualiter à parte rei diſtinguuntur, concedo; cùm enim proximum operationis principium ab ipſa ſpecificetur, ejus conditionem ſequitur, ideòque juxta diſtinctionem illius diſtinguitur: principia radicalia operationum &c. actualiter à parte rei diſtinguuntur, nego; ſufficit enim ut principium radicale operationum actualiter à parte rei diſtinctarum ſit virtualiter multiplex, & inquantùm tale, ſit radix potentiarum proximè operativarum, quæ potentiæ ſunt principia proxima operationum actualiter à parte rei diſtinctarum: gradus autem *animalis*, & gradus *rationalis*, in Petro, non ſunt pricipia proxima, ſed ſunt principia radicalia operationum actualiter à parte rei diſtinctarum, videlicet operationis ſenſitivæ, & diſcurſus, quatenus gradus illi reipſa ſunt anima Petri, communicata corpori ejus, ut ſenſitiva, & ut rationalis, quæ eſt radicale operationis ſenſitivæ & diſcurſus principium; unde ſufficit ut virtualiter diſtinguantur, adeò ut ſint formales effectus animæ Petri virtualiter multiplicis, quæ eſt radix potentiarum ſenſitivarum, nec non intellectus ſeu potentiæ diſcurſivæ.

Articulus Tertius.

Quænam sit inter gradus superiores seu communes & gradus differentiales, præcisio intellectus.

Advertendum est 1. præcisionem intellectus esse duplicem, videlicet unam formalem, & objectivam alteram. Tunc inter duo objecta datur formalis præcisio intellectus, quando distinctis actibus ab intellectu percipiuntur. Tunc autem inter duo reperitur objectiva intellectus præcisio, cùm ita distinctis actibus ab intellectu attinguntur, ut dum intellectus unum cognoscit, alterum actu, nec etiam implicitè seu confusè, percipiat; unde præcisio objectiva intellectus exigit, ut ea, inter quæ invenitur, objectivè se mutuò excludant, adeò ut in esse objecti cogniti, unum in alio, actu, etiam præcisè implicitè, non includatur.

Constat verò ex dictis in præcedenti artic. intergradum superiorem seu communem, & gradum differentialem, in uno & eodem individuo, v. g. inter gradum *animalis*, & gradum *rationalis*, in Petro, dari præcisionem formalem intellectus: etenim quia gradus illi cum fundamento à parte rei ab intellectu distinguuntur, ut ibidem ostensum est; inde fit, ut hujusmodi gradus distinctis actibus, distinctisque conceptibus percipiantur: in hoc autem consistit formalis præcisio intellectus, ut ex dictis liquet. Solùm ergo difficultas & controversia esse potest, utrum inter gradum communem, & gradum differentialem, præcisio objectiva intellectus intercedat.

Advertendum est 2. præcisionem vel abstractionem intellectus posse iterum esse duplicem, scilicet vel negativam, vel præcisivam. Tunc inter

-ter duo objecta contingit præciſio aut abſtractio negativa intellectus, cum ipſe intellectus unum de altero negat. Tunc verò inter duo occurrit abſtractio præciſiva intellectus, dum unum præcisè apprehendit, altero non apprehenſo, nec explicitè, nec implicitè, id eſt, nec diſtinctè, nec confusè.

Utrum inter gradum communem ſeu genericum, & gradum differentialem, admittenda ſit negativa intellectus abſtractio, infrà conſtabit, cùm declarabitur, utrum genus, & differentia, de ſe mutuò prædicentur; hoc eſt, utrum affirmentur, vel negentur. Unde ſupereſt difficultas tantùm, an inter gradum communem, & gradum differentialem, intercedat præciſiva intellectus abſtractio, adeò ut dum intellectus concipit gradum communem, nec etiam implicitè, gradum differentialem concipiat. Circa quod

Prima ſententia docet, inter gradum communem, & gradum differentialem, non intercedere præciſivam intellectus abſtractionem. Exiſtimant quippe hujus ſententiæ defenſores, fieri nequaquam poſſe, ut gradus genericus, & gradus differentialis, in uno & eodem individuo, realiter identificentur, & tamen præciſivè per intellectum à ſe mutuò abſtrahantur. Hanc ſententiam propugnant Nominales, quibus ſubſcribunt P. Hurtadus diſpur. 6. Metaph. ſect. 4. P. Ariaga diſput. 5. Log. ſect. 2. P. Telles 1. parr. ſummæ Phil. diſpur. 2. & noviſſimè F. Franciſcus Bonæ ſpei, tract. 1. Logicæ diſput. 2. & alii plures.

Secunda ſententia è contra aſſerit, inter gradum communem, & gradum differentialem ejuſdem individui, intervenire præciſivam abſtractionem intellectus; adeò ut dum intellectus concipit unum, alium nec etiam implicitè apprehendat, quantumvis gradus illi in eodem individuo realiter identificentur. Iſtam ſententiam tuentur omnes

omnes Thomistæ; quibus adhærent Suarez disp. Metaph. sect. 1. Molina 1. p. q. 28. a. 2. disp. 3. Vasquez ibidem disput. 117. cap. 1. Conimbricenses Tom. 1. Log. q. 4. Fasolus 1. p. Tom. 3. q. 28. a. 2. dub. 3. & alii non pauci.

Dico: inter gradum communem, & gradum differentialem ejusdem individui, datur præcisio objectiva; adeò ut in conceptu vel apprehensione essentiali unius gradus, alter, nec etiam implicitè, reperiatur.

Prob. 1. tunc inter duo datur præcisio intellectus objectiva, quando essentialis conceptus unius, nec etiam implicitè, in conceptu alterius essentiali actu includitur: atqui conceptus essentialis gradus communis, nec etiam implicitè includitur actu in essentiali conceptu gradus differentialis; & vicissim essentialis conceptus differentialis gradus minimè actu involvitur in conceptu essentiali gradus differentialis: ergo &c. Maj. perspicua est. Prob. min. nomine gradus communis intelligitur hic vel gradus genericus, qui speciebus communis est, vel gradus specificus, qui individuis communiter convenit; & nomine gradus differentialis intelligenda venit, vel differentia specifica, vel differentia individualis: atqui conceptus gradus generici actu in conceptu differentiæ specificæ, aut conceptus gradus specifici actu in conceptu differentiæ individualis, implicitè non includitur; & vicissim conceptus differentiæ specificæ actu in conceptu gradus generici, vel conceptus differentiæ individualis actu in conceptu gradus specifici, implicitè non involvitur: ergo &c. Ma. certa est. Prob. min. ex communi Philosophorum doctrina, in hoc discrepant conceptus univocus, & conceptus transcendens, quod iste actu implicitè suas includit differentias, & vicissim actu implicitè in eis involvitur; hinc sese mutuò transcendere dicuntur: conceptus verò univocus in potentia solùm suas continet differentias, quibus

ab

ab inferioribus contrahibilis est: atqui gradus genericus est univocus, univocus quoque est gradus specificus; ut omnes Philosophi fatentur: ergo &c.

Confirmat. & ampliùs urgetur præcedens ratio: in gradu generico omnes species simpliciter conveniunt, & in gradu specifico omnia individua simpliciter consentiunt; prout docent omnes Peripatetici: atqui si gradus genericus actu implicitè differentias specificas includeret, & gradus specificus actu implicitè differentias individuales involveret, species in gradu generico simpliciter non convenirent, & individua in gradu specifico simpliciter non consentirent: ergo &c. Maj. ut dixi, est communis doctrina Peripateticorum, apud quos, gradus genericus est simpliciter unus in speciebus, sicut & gradus specificus in individuis. Prob. autem min. in eo species simpliciter non conveniunt, in quo partim conveniunt, & partim non conveniunt; in illo etiam individua simpliciter non consentiunt, in quo partim consentiunt, & partim non consentiunt: atqui si gradus genericus actu implicitè differentias includeret specificas, & gradus specificus actu implicitè differentias individuales involveret, species in gradu generico partim convenirent, partimque non convenirent; similiter, individua in gradu specifico partim consentirent & partim non consentirent: ergo &c. Ma. liquet, min. verò ex eo declaratur, quòd in ea hypotesi, gradus genericus explicitè actu importaret rationem genericè communem, in qua species convenirent; & actu implicitè includeret differentias specificas, in quibus species non convenirent, sed potiùs differrent: præterea, gradus specificus explicitè actu contineret rationem specificam, in qua individua univocè consentirent & actu implicitè involveret differentias individuales, in quibus individua non consentiunt, sed potiùs discreparent.

Prob.

Prob. 2. inter eos gradus datur præcisio seu abstractio objectiva, quorum conceptus objectivi à se mutuò per intellectum abstrahuntur: atqui conceptus objectivi gradus generici, & gradus differentialis, à se mutuò per intellectum abstrahuntur: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. illi conceptus à se mutuò per intellectum abstrahuntur, qui per intellectum ab invicem excluduntur: atqui conceptus objectivi gradus generici & gradus differentialis, per intellectum ab invicem excluduntur: ergo &c. Maj. est perspicua. Prob. min. cùm ex communi Philosophorum doctrina, partes sese mutuò excludant; objectivi conceptus partium secundùm intellectum speciem componentium, sese mutuò per intellectum excludunt: atqui gradus genericus, & gradus differentialis, sunt partes speciem secundùm intellectum componentes; ut omnes Peripatetici fatentur; ergo &c.

§. UNICUS.

Adversariorum objectiones solvuntur.

OBjic. 1. inter ea tantùm datur præcisio objectiva, quæ diversos habent conceptus objectivos: atqui gradus communis, & gradus differentialis, ejusdem individui, diversos non habent conceptus objectivos: ergo &c. Maj. constat. Prob. min. diversi conceptus objectivi ab intellectu cogniti, diversas sibi vendicant cognoscibilitates: atqui gradus communis, & gradus differentialis, ejusdem individui, diversas non sibi vendicant cognoscibilitates: ergo &c. Maj. evidens est. Prob. min. si gradus communis, & gradus differentialis, ejusdem individui, diversas obtinerent cognoscibilitates; hæ cognoscibilitates diversæ non fierent per intellectus cognitionem, sed istam cognitionem præcederent à parte rei; unde quia cognoscibilitas sequitur enti-

entitatem, sicuti proprietas sequitur essentiam, ex qua emanat; gradus communis & gradus differentialis, ejusdem individui, diversas à parte rei obtinendo cognoscibilitates, diversas quoque à parte rei haberent entitates; quod est contra doctrinam in præcedenti artic. traditam.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. diversi conceptus objectivi adæquati, ab intellectu cogniti, diversas sibi vendicant cognoscibilitates, concedo: diversi conceptus objectivi inadæquati, ab intellectu cogniti, diversas sibi vendicant cognoscibilitates; subdistinguo: diversas cum fundamento à parte rei, sibi vendicant cognoscibilitates inadæquatas, concedo: diversas formaliter seu actualiter à parte rei sibi vendicant cognoscibilitates adæquatas, nego. Et distinguo similiter min. atqui gradus communis, & gradus differentialis, ejusdem individui, diversas formaliter non sibi vendicant cognoscibilitates adæquatas, concedo: diversas cum fundamento à parte rei sibi non vendicant cognoscibilitates inadæquatas, nego. Et distinguo distinctione data consequens. Ad prob. min. Respondeo cum distinctione: concedo namque, diversas cognoscibilitates gradus communis, & gradus differentialis, ejusdem individui non fieri per cognitionem intellectus; sed hanc cognitionem præcedere, si diversitas illa consideretur ex parte sui fundamenti; etenim istud fundamentum est à parte rei independenter ab omni cognitione intellectus: at id nego, si diversitas vel distinctio illarum cognoscibilitatum formaliter in se spectetur; talis enim diversitas vel distinctio formaliter in se spectata, est effectus solius cognitionis seu apprehensionis intellectus. Sicut autem gradus communis, & gradus differentialis, ejusdem individui, fundamentaliter à parte rei diversas habent cognoscibilitates inadæquatas; ita simili modo diversas obtinent entitates.

Objic.

Objic. 2. inter ea solùm reperitur præcisio vel abstractio objectiva, quorum unum cognoscitur, alio non cognito; ut ex dictis liquet: atqui gradus communis unius individui nequit cognosci, gradu differentiali ejusdem individui non cognito: ergo &c. Prob. min. Si gradus communis unius individui cognosceretur ab intellectu, gradu differentiali ejusdem individui non cognito, prior gradus realiter cognosceretur, & simul realiter non cognosceretur: atqui hoc manifestè implicat: ergo &c. Prob. min. & primò quidem gradus ille realiter cognosceretur, ut supponitur. Quòd verò realiter non cognosceretur, ex eo declaratur, quòd tunc aliquid realiter non cognosci censetur, quando non cognoscitur id, cum quo realiter identificatur: atqui in facta hypotesi, dum perciperetur gradus communis unius individui, non cognosceretur differentialis gradus ejusdem individui, cum quo realiter identificaretur: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo major. si gradus communis unius individui cognosceretur ab intellectu, gradu differentiali ejusdem individui non cognito, prior gradus respectu diversorum realiter cognosceretur, & simul realiter non cognosceretur, concedo; in ea etenim hypotesi, cognitio gradus communis est realis respectu intellectus, quoniam est realis ejus operatio: & est realis respectu naturæ cognitæ, quia gradus ille cognoscitur secundùm suam naturam realem: ea tamen verò cognitio non est realis, sed rationis, respectu distinctionis præcisivæ, quam tunc cum fundamento à parte rei format inter gradum communem, & gradum differentialem ejusdem individui, intellectus noster: & in hoc nulla est implicantia, nullaque contradictio. Ad prob. 2. p. maj. distingno maj. tunc aliquid realiter non cognosci censetur, quando non cognoscitur id, cum quo realiter identificatur; si nullum tunc à

parte

parte rei adsit fundamentum abstrahendi unum ab alio per cognitionem realem intellectus, eo sedo: si tunc à parte rei adsit fundamentum, ratione cujus intellectus realiter cognoscens, potest unum ab alio abstrahere, subdistinguo: tunc aliquid realiter non cognosci adæquatè censetur, quando &c. concedo: tunc aliquid realiter non cognosci inadæquatè censetur, quando &c. nego; quamvis enim tunc objectum illud non percipiatur cognitione reali secundùm omnem formalitatem, quam importat à parte rei, & ideò reliter adæquatè non cognoscatur; attamen verè percipitur cognitione reali secundùm unam formalitatem, quam à parte rei obtinet; ideòque verè realiter inadæquatè cognoscitur: in uno autem & eodem individuo reperitur fundamentum à parte rei abstrahendi & distinguendi gradum communem à gradu differentiali, ut ex dictis in præcedenti articulo patet.

Objic. 3. & ampliùs instatur præcedens ratio aut objectio: nequit intellectus cognoscere vel concipere patrem, nisi cognoscat vel concipiat filium; hinc apud Peripateticos, pater & filius, similiaque relativa, dicuntur esse simul cognitione, ita ut necesse sit, ea simul cognosci, adeò ut unum sine altero cognosci nequaquam possit: ergo à fortiori, gradus communis Petri nequit sine gradu ejus differentiali cognosci. Conseq. ex eo constare videtur, quòd cùm gradus communis, & gradus differentialis Petri, realiter identificentur, magis uniuntur in esse cognoscibili, quàm pater & filius, aliaque similia relativa, quæ realiter distinguuntur.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem; disparitas est, quòd in relativis mutuis nullum est fundamentum cognoscendi sive concipiendi unum relativum sine altero, imò potiùs natura relativorum mutuorum exigit, ut sint simul cognitione; ut infrà dicetur in quæst. de relatione: at in uno & eodem Petro est à parte

rei

rei fundamentum abstrahendi & distinguendi gradum communem, v.g. *animalis*, à gradu differentiali, v.g. *rationalis*, ut constat ex dictis loco citato. Ad prob. conseq. non urget, quòd gradus communis, & gradus differentialis Petri, realiter identificentur, relativa autem mutua realiter distinguantur; quamvis enim ita sit, semper tamen verum est, unum relativum mutuum non posse definiri, proindéque nec cognosci, nisi per respectum ad alterum, ut fusiùs exponetur in quæst. citata. At quantumvis gradus communis, & gradus differentialis Petri, realiter identificentur, potest tamen unus sine respectu ad alterum definiri, subindéque & cognosci; hinc in Petro communis gradus *animalis* definitur: *Principium sentiendi*: & differentialis gradus *rationalis*: *Principium ratiocinandi*: ubi communis gradus *animalis*, & differentialis gradus *rationalis*, definiuntur sine respectu ad invicem.

Objic. 4. & iterum inst. nequit intellectus concipere communem rationem entis, nisi implicitè ejus differentias percipiat; ut communiter docent D. Thomæ Discipuli: ergo non potest etiam intellectus communem *animalis* rationem cognoscere, nisi illius differentias, *rationale* nimirum, & *irrationale*, implicitè apprehendat. Prob. conseq. ideò communis ratio entis non potest ab intellectu concipi, nisi implicitè ejus differentiæ ab eodem intellectu percipiantur, quia nempe communis ratio entis realiter cum suis differentiis in entibus particularibus identificatur: ergo quia etiam communis ratio *Animalis* realem cum suis differentiis in suis speciebus ac individuis obtinet identitatem, cognosci ab intellectu nequit, nisi ipsius differentiæ implicitè ab intellectu apprehendantur.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem. Ad cujus prob. nego ant. idcircò enim communis ratio entis nequit ab intellectu con-

concipi, niſi implicitè illius differentiæ percipiantur, quia hujuſmodi ratio eſt reſpectu ſuarum differentiarum tranſcendens; unde illa entis ratio, & ipſius differentiæ, ita ſeſe tranſcendunt, ut dum entis ratio concipitur, ejus differentiæ implicitè percipiantur; & cùm differentiæ cognoſcuntur, ratio entis implicitè apprehendatur: at quamvis communis ratio *Animalis* realiter cum ſuis differentiis in ſpeciebus, & individuis, identificetur; non eſt tamen ratio tranſcendens, ſed eſt communis ratio univoca, per ſuas differentias propriè contrahibilis, quas proinde nec etiam implicitè actu includit, ſed ſolùm in potentia continet; ac ſubinde ſine quibus etiam implicitè actu conceptis cognoſci poteſt.

Objic. 5. & rurſus inſt. in Petro nequit ab agente produci gradus communis *Animalis*, niſi ſimul & gradus *Rationalis*, qui differentialis eſt, ac realiter cum gradu *Animalis* identificatus, eadem actione producatur: ergo ſimiliter nequit unus ex illis gradibus ab intellectu cognoſci, niſi ſimul & alter eadem cognitione percipiatur.

Reſpondeo negando paritatem; diſparitas eſt, quòd potentia productiva non eſt abſtractiva, ſed producit effectus cum omnibus ſuis formalitatibus, cum quibus à parte rei vel conjunguntur, vel etiam identificantur: unde quia Petrus cum gradibus *Animalis* & *Rationalis* à parte rei identificatur, neceſſe eſt, ut ſimul cum ambobus illis gradibus producatur, eadem prorſus actione: at intellectus eſt potentia abſtractiva; unde ſicut voluntas tanquam potentia electiva poteſt unum eligere, altero relicto; ſic intellectus tanquam potentia abſtractiva, ex duabus formalitatibus, quæ ſunt in objecto, poteſt unam apprehendere, altera actu non apprehenſa: unde quamvis gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, in eſſe entis realiter identificati, in Petro in-

inveniantur, potest tamen intellectus unum ab altero, sua cognitione abstrahere, adeò ut in esse cognoscibili, unus in altero, vel in alterius conceptu objectivo actu, etiam implicitè, non contineatur.

Objic. 6. si dum intellectus concipit gradum *Animalis*, & gradum *Rationalis*, Petri, unum ab altero objectivè abstraheret, conceptio intellectus foret, vel falsa, vel chimerica: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Prob. maj. tunc intellectus conceptio falsa est, vel chimerica, quando conformis non est objecto, prout est à parte rei: atqui si dum intellectus concipit gradum *Animalis*, & gradum *Rationalis*, Petri, unum ab altero objectivè abstraheret, conceptio intellectus non esset conformis objecto, prout est à parte rei; quandoquidem in Petro à parte rei, gradus *Animalis* à gradu *Rationalis* non abstrahitur, sed potiùs cum ipso identificatur: ergo &c.

Respondeo negando maj. ad cujus prob. concessa maj. nego min. licèt enim in Petro à parte rei gradus *Animalis* formaliter seu actualiter non abstrahatur nec distinguatur à gradu *Rationalis*, abstrahitur tamen & distinguitur fundamentaliter, ita ut in Petro à parte rei verè reperiatur fundamentum abstrahendi & distinguendi gradum *Animalis* à gradu *Rationalis*, cui fundamento conformis est conceptio intellectus gradum *Animalis* in Petro à gradu *Rationalis* abstrahentis & distinguentis.

Objic. 7. nequit intellectus unum ab altero objectivè abstrahere, nisi unum ab altero dividat: atqui intellectus non potest in Petro gradum *Animalis* à gradu *Rationalis* dividere: ergo &c. Maj. liquet. Prob. min. in eo, quod est indivisibile, nequit intellectus unum ab alio dividere; alioquin illud ampliùs non esset indivisibile, sed potiùs foret in duo vel plura divisibile: atqui in Petro gradus *Animalis*, & gradus

Ra-

Rationalis, sunt una & indivisibilis essentia illius: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. nequit intellectus unum ab altero objectivè abstrahere, nisi unum ab altero objectivè intra se ipsum dividat, concedo: nisi unum ab altero à parte rei dividat; subdistinguo: nisi unum ab altero fundamentaliter dividat, præsupponendo videlicet à parte rei, suæ abstractionis & divisionis objectivæ fundamentum, concedo: nisi unum ab altero formaliter seu actualiter dividat, præsupponendo nimirum à parte rei formalem sive actualem abstractionem seu divisionem & distinctionem unius ab altero, nego. Et distinguo similiter min. atqui intellectus non potest in Petro gradum *Animalis* à gradu *Rationalis* formaliter à parte rei dividere, concedo: atqui intellectus non potest in Petro gradum *Animalis* à gradu rationalis objectivè intra se ipsum dividere, nego. Ad prob. min. distinguo maj. in eo, quod est tam formaliter, quàm fundamentaliter indivisibile, nequit intellectus unum ab alio dividere, concedo: in eo, quod est formaliter quidem indivisibile, sed fundamentaliter vel virtualiter est divisibile, nequit intellectus unum ab alio dividere, nego; unde non repugnat, idem esse formaliter indivisibile, & simul fundamentaliter seu virtualiter divisibile. Et distinguo pariter min. atqui in Petro gradus *Animalis*, & gradus *Rationalis*, sunt una & indivisibilis formaliter essentia illius, concedo: sunt una & indivisibilis, tam formaliter, quàm fundamentaliter seu virtualiter, essentia illius, nego; licèt enim essentia Petri sit formaliter indivisibilis, fundamentaliter tamen sive virtualiter divisibilis est in gradum *Animalis*, & in gradum *Rationalis*, sicut in gradum communem seu genericum, & in gradum differentialem.

Objic. ultimò: in ea re duntaxat intellectus præcisionem objectivam potest efficere, sive di-

 ver-

versos conceptus objectivos efformare, quæ ante omnem intellectus operationem est fundamentaliter sive virtualiter muriplex; ut satis constat ex dictis: atqui nulla res creata dici potest virtualiter mulriplex: ergo &c. Prob. min. ea res tantummodò dici potest virtualiter multiplex, quæ infinita est; ob infinitatem quippe Deus in sua entitate virtualiter multiplex est, licèt in ea sit formaliter unus: atqui nulla res creata est infinita, ut patet: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. ea res tantummodò dici potest virtualiter multiplex modo infinito, quæ infinita est, concedo; hinc solus Deus ratione infinitatis suæ est in sua entitate modo infinito multiplex virtualiter vel eminenter, ita ut entitas Dei licèt sit formaliter vel realiter unica & simplex, modo tamen virtuali aut eminenti æquivaleat omnium creaturarum perfectionibus, etiamsi in infinitum multiplicarentur: ea res tantum modò dici potest virtualiter multiplex modo finito, quæ infinita est, nego; sufficit enim, ut res illa quantumvis formaliter unica, nihilominus pluribus finitis virtualiter æquivaleat; & hoc modo anima Petri tribuens ipsi gradum *Animalis*, gradum *Rationalis*, cæterosque gradus Metaphysicos, dici potest virtualiter vel eminenter multiplex, quatenus virtualiter aut eminenter æquivalet animæ sensitivæ Brutorum, & animæ vegetativæ Plantarum, modo dicendo in lib. de anima.

A R-

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum natura communis sit à parte rei formaliter universalis?

§. I.

Quædam prænotantur & Philosophorum sententiæ adducuntur.

Notandum est 1. esse duplex universale, nimirùm unum materiale, & alterum formale. Universale, quod à Philosophis dicitur materiale, est natura communis, cui velut materiæ seu subjecto attribuitur universalitas tanquam forma. Universale verò formale est vel ipsa formalis universalitas, vel natura communis, prout est formali universalitate affecta. Utrum detur universale materiale, sive utrum dentur naturæ communes in singularibus existentes, patet ex dictis suprà; unde tota superest difficultas de universali formali, utrum nempè naturæ communes possint à parte rei formaliter universales, seu universalitatem formalem habentes denominari.

Notandum est 2. ex D. Thoma de ente & essentia cap. 4. naturam communem posse tripliciter accipi. Primò secundùm se; prout nempè importat præcisè prædicata essentialia, & proprietates necessariò cum illis connexas. Secundò prout est in individuis seu singularibus, in quibus per differentias individuales contrahitur, & determinatur ad hoc ut sit ista natura singularis, in quibus & realiter numericè multiplicatur. Tertiò tandem prout est in intellectu abstracta à singularibus & à differentiis eorum individualibus.

Notandum est tertiò ex Arist. quartò Metaph. textu tertio, & D. Thoma ibidem, unitatem

resultare ex negatione divisionis, ita ut illud dicatur unum, quod non est divisum, seu quod est indivisum. Dupliciter autem contingere potest, ut natura sit indivisa; scilicet vel formaliter, vel materialiter. Tunc natura dici potest formaliter indivisa, quando per differentias formales, seu specificas (quæ à forma desumuntur, modo infrà explicando) non est divisa; tuncque natura est formaliter una, sive una est unitate formali: hoc modo natura humana in Petro, & Paulo, una est; quoniam in eis nequaquam dividitur per differentias formales seu specificas, sed duntaxat per differentias materiales seu individuales. Tunc autem natura materialiter indivisa est, dum per differentias materiales, sive numericas & individuales, (quæ sumuntur à materia, modo etiam infrà exponendo) minimè dividitur; tuncque natura una materialiter, sive una unitate materiali, vocari potest: isto modo humana natura in Petro una est, quia in eo non conjungitur cum pluribus differentiis materialibus aut individualibus, quibus realiter materialiter vel individualiter multiplicetur, sed unica materiali seu individuali differentia afficitur, qua fit hæc una numero natura.

Notandum est 4. naturam communem, v. g. humanam, posse esse unam formaliter, vel habere unitatem formalem, duobus modis; nimirum, vel negativè, vel positivè. Tunc humana natura dicenda est habere unitatem formalem negativè, quando per plures differentias formales, aut specificas non est divisa & multiplicata. Tunc verò humana natura unitatem formalem obtinet positivè, quando [illegible] sua prædicata formalia aut essentialia remanet positivè & actualiter indivisa & immultiplicata.

Notandum est 5. naturam communem posse habere dupliciter aptitudinem, ut sit in multis inferioribus, & de illis prædicetur; videlicet, vel

vel remotè, vel proximè. Tunc communis natura ſumitur tanquam remotè ſolùm habens aptitudinem, ut ſit in multis inferioribus, & de illis prædicetur, quando ſpectatur prout obtinet prædicata, quæ de ſe poſſunt multis inferioribus convenire, proindèque eis ineſſe, & de ipſis prædicari; quamvis ratione alicujus differentiæ individualis ipſam ad unum ſingulare ſive individuum contrahentis aut determinantis, uni tantùm ſingulari ſeu individuo conveniat ſecundùm prædicata ſua, ipſi inſit, ac de illo ſolo prædicetur. Tunc verò natura communis conſideratur quaſi habens proximè aptitudinem, ut ſit in multis inferioribus, ac de illis prædicetur, dum accipitur, prout à differentiis individualibus contrahentibus & determinantibus abſtracta eſt; nam tunc ipſa communis natura, multis ineſſe inferioribus, & de ipſis prædicari, expeditè poteſt, eo quòd libera eſt ab illis omnibus, quæ impedimento erant. His prænotatis.

Suppono tanquam certum apud omnes Philoſophos, quamlibet naturam communem ſecundùm ſe ſumptam eſſe à parte rei materialiter univerſalem; quoniam eſt capax univerſalitatis, quæ illi ab intellectu attribui poteſt.

Certum eſt quoque, naturam prout eſt in individuis, non eſſe ratione differentiæ individualis formaliter univerſalem; quin potiùs etenim in eo ſtatu eſt in quolibet individuo *iſta natura ſingularis*.

Certum eſt rurſus, naturam humanam, & quamlibet aliam naturam ſimilem, quæ nimirum eſt ſpeciei infimæ, eſſe à parte rei formaliter unam negativè, quoniam non eſt per plures & diverſas formales ſeu ſpecificas differentias diviſa & multiplicata, ſed per ſolas differentias materiales ſeu individuales.

Certum eſt tandem, naturam communem in individuis exiſtentem habere negativè & remotè

aptitudinem, ut fit in multis inferioribus, ac de illis prædicetur; quoniam obtinet prædicata essentialia, quæ de se possunt multis inferioribus convenire, licèt ratione unius differentiæ individualis ipsam ad unum individuum contrahentis, secundùm prædicata sua uni tantùm individuo conveniat. Est ergo solùm difficultas, utrum natura v. g. humana, à parte rei & ante omnem intellectus operationem sit formaliter universalis, adeò ut unitatem formalem positivam, & aptitudinem proximam, ut sit in multis inferioribus, ac de illis prædicetur independenter ab omni operatione intellectûs obtineat?

Circa hanc celebrem difficultatem tres sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, naturas communes à parte rei secundùm se, esse formaliter universales; fatetur tamen ea sententia, naturas communes amittere formalem universalitatem, dum existunt in individuis seu singularibus; quoniam in eis contrahuntur, aut determinantur, ad hoc ut sint singulares. Hanc sententiam sic explicatam tuetur Fonseca 5. Metaph. cap.28. q.3. sect.2.

Hanc Fonsecæ opinionem communiter alii explodunt; & meritò: etenim naturæ communes à parte rei non reperiuntur nisi in singularibus; ut patet ex dictis suprà contra Platonem: si igitur communes naturæ, prout inveniuntur & existunt in singularibus, careant formali universalitate, nullo modo à parte rei sunt formaliter universales.

Secunda sententia asserit, naturas communes etiam in singularibus existentes esse formaliter universales; non quidem ratione differentiarum individualium seu singularium, ratione quarum potiùs singulares & individuæ efficiuntur; sed ratione prædicatorum essentialium hujusmodi naturarum, quæ secundùm defensores hujus sententiæ, formaliter positivè in individuis nequaquam naul-

multiplicantur. Huic sententiæ subscribunt plures Scotistæ; non desunt tamen etiam nobiles discipuli Scoti asserentes, naturas communes à parte rei in singularibus aut individuis existentes, esse duntaxat materialiter vel fundamentaliter universales, quatenus in ipsis communibus naturis à parte rei in individuis existentibus reperitur fundamentum, ipsas ab individuis vel singularibus per intellectum abstrahendi, & ita universales efficien i; sic inter Seotistas docent Metineto, Rada, & alii.

Tertia sententia affirmat, naturas communes nullo modo à parte rei posse dici formaliter universales, sed materialiter & fundamentaliter duntaxat. Istam sententiam defendunt Cajetanus de ente & essent a cap. 4. Atavius lib. 3. Metaph. q. 4. art. 3. Complutenses disp. 3. Log. q. 5. Joannes à S. Thoma q. 3. a. 5. & omnes alii Thomistæ; quibus subscribunt Suarez, Hurtadus, Arriaga, & plures alii recentiores.

§. II.

Ultima veraque sententia stabilitur.

PRob. 1. contra Scotistas authoritate Scoti; itaque ipse Scotus in 2. dist. 3. q. 1. hæc scribit: *Est ergo in re commune; sed tale commune non est universale, quia deficit ei illa indifferentia, secundum quam completivè universale est universale, & secundum quam est prædicabile; ita quòd quodlibet sit ipsum*: quibus verbis expresse docet Scotus, naturam communem à parte rei non esse completivè, seu formaliter & completè, universalem; proindéque Scotistæ oppositum tuentes, hac in parte à doctrina sui Præceptoris degenerant.

Prob. 2. communis natura, v. g. humana, à parte rei dupliciter tantùm considerari potest; scilicet, vel secundùm se, vel prout est in individuis:

duis: atqui neutro modo considerata, est formaliter universalis: ergo &c. Prob. min. & primò quidem humana natura secundùm se non est formaliter universalis; siquidem ea natura formaliter universalis non est, cui formalis universalitas deest: atqui naturæ humanæ deest formalis universalitas, si secundùm se consideretur: ergo &c. Prob. min. tunc natura humana secundùm se spectatur, quando accipitur, præcisè prout importat prædicata essentialia, & proprietates necessariò cum illis connexas; ut ex dictis patet: atqui naturæ humanæ ita sumptæ deest formalis universalitas; quandoquidem formalis universalitas nec est prædicatum essentiale, nec proprietas humanæ naturæ: ergo &c. Prob. minor. quoniam prædicata essentialia, & proprietates humanæ naturæ, cum ea necessariò connectuntur, inde sequitur, ut eis conveniant prædicata essentialia & proprietates humanæ naturæ, quibus humana natura competit; & sic humana individua humanam naturam participantia, debent & ipsius prædicata essentialia, atque proprietates participare: proindèque si formalis universalitas foret vel prædicatum essentiale, vel proprietas humanæ naturæ, deberet singulis individuis humanis competere, & sic singula individua humana essent formaliter universalia; quod utique absurdum est.

Quòd autem natura humana, prout est in individuis, non possit dici universalis formaliter etiam facilè suadetur: nam natura humana in eo statu dici nequit formaliter universalis, in quo est singularis; ut satis patet: atqui humana natura, prout est in individuis, est singularis: ergo &c. Prob. min. humana natura in eo statu est singularis, in quo per differentias singulares contrahitur; ut evidens est: atqui natura humana prout est in individuis, per differentias singulares contrahitur; cùm humana natura intantùm sit in individuis, inquantùm per differentias singulares

seu

seu individuales ad ipsa individua contrahitur, & cum eis identificatur: ergo &c.

Respondent 1. adversarii, universalitatem formalem esse communis naturæ proprietatem, non quidem absolutam, sed relativam, qua ad inferiora refertur: quamvis autem, inquiunt, proprietates absolutæ communis naturæ debeant individuis convenire, non tamen proprietates relativæ.

Sed contra sic argumentor: licèt universalitas formalis possit dici accidens relativum naturæ communis, quod nimirum ipsi ab intellectu adveniat; dici tamen nequaquam potest relativa naturæ communis proprietas: ergo nulla est illa Adversariorum responsio. Prob. ant. in hoc discrepat proprietas, quæcumque sit, ab accidente communi & purè ac propriè dicto, quòd proprietas necessariò connectatur cum essentia naturæ, cujus est proprietas; accidens verò contingenter adveniat subjecto, cujus est accidens, ita ut abesse possit sine illius corruptione ut infrà constabit. proindèque proprietas, quæcumque sit, sive absoluta, sive relativa, est à parte rei inseparabilis ab essentia naturæ, cujus est proprietas, ac subinde comitatur essentiam naturæ, & naturam ipsam, in omni statu, quem obtinet à parte rei, subindèque in statu, quem habet in individuis; & ideò si universalitas formalis foret relativa proprietas humanæ naturæ à parte rei, singulis individuis humanis à parte rei conveniret; quandoquidem comitaretur humanam naturam, etiam secundùm statum, secundùm quem existeret in singulis individuis humanis, & de ipsis prædicaretur à parte rei.

Respondent 2. universalitatem formalem esse proprietatem humanæ naturæ, non absolutè acceptæ, sed sumptæ, prout est formaliter ex natura rei à singularibus distincta.

Sed contra hanc Scotistarum responsionem ex

eo arguitur primò, quòd formalis distinctio ex natura rei suprà abundè confutata est. Deinde, esto humana natura formaliter ex natura rei à singularibus distinguatur; attamen à parte rei, & ante omnem intellectus operationem, non est extra singularia, ut olim docuit Plato, sed est in singularibus existens, ut fatentur omnes Peripatetici; humana autem natura, & quævis alia communis natura, non est in singularibus, nisi ad illa descendat, ab ipsisque contrahatur, ac proinde contracta & singularis efficiatur.

§. III.

Alia ratio expenditur.

PRob. 3. universale formaliter, apud omnes Peripateticos, est unum aptum inesse multis inferioribus: atqui natura humana, v. g. non est à parte rei una apta inesse multis inferioribus: ergo &c. Prob. min. dum dicitur, universale formaliter esse unum, sermo est de unitate formali positiva, ita ut communis natura, quæ formaliter est universalis, debeat positivè ac de facto esse una, secundùm suam rationem formalem, seu secundùm essentiam suam, adeò ut inferiora hujusmodi naturæ debeant dici formaliter unum in essentia ejusdem naturæ: prætereà, dum etiam dicitur, universale formaliter esse aptum inesse multis inferioribus; hoc intelligendum venit de aptitudine proxima & expedita, ita ut communis natura, quæ formaliter universalis est, proximè & expeditè possit inesse multis inferioribus: in iis omnibus nobiscum Scotistæ conveniunt: atqui natura humana à parte rei non est una unitate formali positiva, neque apta aptitudine proxima & expedita inesse multis inferioribus: ergo &c. Prob. min. & primò quidem humana natura à parte rei non est

est una unitate formali positiva; siquidem ut communis natura dici possit una unitate formali positiva, requiritur, ut natura illa secundùm rationem suam formalem positivè non multiplicetur: atqui natura humana à parte rei secundùm suam rationem formalem positivè multiplicatur: ergo &c. Maj. liquet. Prob. min. nunc humana natura accipitur secundùm suam rationem formalem, quando sumitur secundùm essentiam suam; nihil quippe est magis formale in natura, quàm ipsius essentia: atqui natura humana à parte rei secundùm suam essentiam positivè multiplicatur; ergo &c. Prob. min. natura humana à parte rei non est extra singularia sua, sed potiùs in eis existit; ut ex dictis constat: atqui humana natura in suis singularibus existens, positivè secundùm essentiam multiplicatur: ergo &c. Prob. min. quòd divina natura existat in tribus personis absque positiva suæ essentiæ multiplicatione, hoc ex ipsius infinitate procedit, ut communiter docent Theologi: ergo quia humana natura infinitate caret, adeò ut propriè ac simpliciter finita sit, necesse est, ut in suis singularibus existens positivè secundùm essentiam multiplicetur. Quòd autem natura humana à parte rei non sit apta aptitudine proxima & expedita inesse multis inferioribus, ex eo etiam declaratur, quòd ut natura humana sit apta aptitudine proxima & expedita inesse multis inferioribus, requiritur, ut sit ad multa inferiora indifferens; si enim sit ad unum inferius determinata, non erit proximè ac expeditè apta inesse nisi uni inferiori duntaxat: atqui natura humana à parte rei non est ad multa inferiora indifferens, sed ad unumquodque inferius vel singulare & individuum humanum per differentiam singularem seu individualem contrahitur seu determinatur: ergo &c. Prob. min. natura humana non est in unoquoque individuo humano, nisi ad ipsum contrahatur aut determinetur, ut ex dictis & probatis patet: atqui huma-

humana natura à parte rei est seu existit in unoquoque individuo humano, & non extra, ut etiam ex dictis liquet: ergo &c.

Respondent Scotistæ, naturam humanam positivè quidem in individuis multiplicari; at non formaliter, sed materialiter tantùmmodò; quoniam non per differentias formales aut specificas, sed duntaxat per differentias materiales vel individuales multiplicatur; hinc concludunt, naturam humanam à parte rei in individuis remanere positivè unam formaliter, proindèque formaliter universalem. Hoc est præcipuum Scotistarum fundamentum, quod sic convellitur: Si illa Scotistarum responsio valeret, ex ea concludendum foret, naturam humanam formaliter ut singularem esse formaliter universalem: atqui hoc manifestè absurdum est; cùm enim universalitas formalis, & singularitas formalis, inter se opponantur, una alteram excludit à natura, in qua est: ergo &c. Prob. maj. tunc natura humana est formaliter universalis, quando positivè una est formaliter in multis; ut omnes fatentur: atqui natura humana in Petro, Paulo, & aliis individuis, reduplicativè prout est singularis, juxta illam Scotistarum responsionem, positivè una foret formaliter in multis: ergo &c. Prob. min. juxta præfatam responsionem, tunc humana natura est in multis positivè una formaliter, quando per differentias formales seu specificas non multiplicatur, sed per solas differentias materiales & individuales: atqui natura humana in Petro, Paulo, & aliis individuis, reduplicativè prout est singularis non multiplicatur per differentias formales vel specificas, sed per solas differentias materiales aut individuales; imò cùm natura humana sit species infima, repugnat, quòd quovis modo considerata, per differentias specificas in alias species inferiores dividatur, & multiplicetur: ergo &c.

Itaque quamvis humana natura à parte rei in-

in-

individuis per differentias formales ſeu ſpecificas non multiplicetur, ſed per ſolas differentias materiales aut individuales dividatur; attamen verum eſt ſemper, naturam humanam à parte rei in individuis non eſſe poſitivè unam formaliter, quoniam per differentias individuales poſitivè in individuis ſecundùm rationem ſuam formalem multiplicatur, ut ſuprà oſtenſum eſt & explanatum. Licèt ergo humana natura à parte rei in individuis non multiplicetur poſitivè formaliter ex parte differentiarum multiplicantium, quia differentiæ illam multiplicantes, nequaquam ſunt formales, ſed materiales tantùm; multiplicatur tamen poſitivè formaliter ex parte rationis formalis multiplicatæ, quoniam humana natura ſecundùm rationem ſuam formalem per prædictas differentias poſitivè in individuis humanis multiplicatur. Hinc inferas velim, allucinari Scotiſtas, dum ex eo, quòd natura humana in ſuis individuis per ſolas differentias materiales aut individuales multiplicatur, colligunt, humanam naturam poſitivè in individuis humanis nullo modo formaliter multiplicari, ſed potiùs remanere poſitivè unam unitate formali, proindèque & formaliter univerſalem.

§. IV.

Præcipuæ Scotiſtarum objectiones ſolvuntur.

Objicitur. universale formaliter, ex definitione apud Peripateticos communiter uſurpata, eſt unum in multis, ſcilicet inferioribus; atqui natura humana à parte rei eſt una in multis inferioribus: ergo &c. Prob. min. & primò quidem natura humana à parte rei eſt in multis inferioribus, nimirum in multis individuis, ut patet. Eſt etiam formaliter una in eis, quoniam in illis per differentias formales non multiplicatur, ſed tan-

tùm

tùmmodò per differentias materiales aut individuales.

Respondeo concessâ maj. negando min. licèt enim humana natura à parte rei sit in multis inferioribus aut individuis, non est tamen una in illis, saltem unitate formali positiva. Nec obstat, quòd per solas differentias materiales aut individuales dividatur: non obstat inquam, quoniam illæ materiales vel individuales differentiæ naturam humanam positivè secundùm rationem ejus formalem multiplicant, ut probatum est suprà: ideòque ipsam formaliter multiplicem positivè constituunt, tametsi formalis multiplicitas non se teneat ex parte differentiarum multiplicantium, sed ex parte rationis formalis in natura humana positivè multiplicata.

Inst. constituere naturam formaliter multiplicem, est effectus formalis diversarum differentiarum formalium: ergo diversæ differentiæ materiales nequeunt naturam humanam formaliter multiplicem constituere.

Respondeo distinguendo ant. constituere naturam formaliter multiplicem, tum ex parte differentiarum multiplicantium, tum ex parte rationis formalis multiplicatæ, est effectus formalis diversarum differentiarum formalium, concedo: constituere naturam formaliter multiplicem duntaxat ex parte rationis formalis multiplicatæ, est effectus formalis diversarum differentiarum formalium, nego. Et distinguo pariter consequens: ergo diversæ differentiæ materiales nequeunt naturam humanam formaliter multiplicem, tum ex parte differentiarum multiplicantium, tum ex parte rationis formalis multiplicatæ, constituere, concedo: ergo diversæ differentiæ materiales nequeunt naturam humanam formaliter multiplicem duntaxat ex parte rationis formalis multiplicatæ, constituere, nego.

Urge. secundùm nos, intantùm natura humana est positivè multiplex formaliter, inquantùm

per

per differentias materiales aut individuales poſitivè multiplicatur: atqui humana natura ſecundùm ſe poſitivè per differentias materiales non multiplicatur: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. tunc ſolùm humana natura poſitivè per differentias materiales multiplicatur, quando eas importat: atqui humana natura ſecundùm ſe non importat differentias materiales: ergo &c. Prob. min. natura humana ſecundùm ſe importat duntaxat ſua prædicata eſſentialia; ut ex dictis liquet: atqui differentiæ materiales ſeu individuales humanæ naturæ non ſunt prædicata ejus eſſentialia; ut evidens eſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui humana natura ſecundùm ſe, prout eſt in intellectu conſiderante ipſam præcisè ſecundum prædicata ejus eſſentialia, poſitivè per differentias materiales non multiplicatur, concedo: atqui humana natura ſecundùm ſe, prout eſt à parte rei in individuis realiter cum differentiis eorum materialibus, ſeu individualibus identificata, poſitivè per differentias materiales non multiplicatur, nego. Ad prob. min. conceſſa maj. diſtinguo min. atqui humana natura ſecundùm ſe, prout eſt in intellectu ipſam à differentiis materialibus ſive individualibus abſtrahente, & præcisè ſecundùm prædicata eſſentialia eam apprehendente, non importat differentias materiales, concedo: atqui humana natura ſecundùm ſe, prout eſt à parte rei in inferioribus ſeu individuis realiter cum differentiis eorum materialibus ſeu individualibus identificata, non importat differentias materiales; ſubdiſtinguo: conſtitutivè non importat differentias materiales, concedo; nunquam enim verum eſt dicere, materiales ſeu individuales differentias individuorum humanorum pertinere ad conſtitutioné naturæ humanæ ſecundùm ſe; ad hoc quippe foret neceſſe, ut differentiæ illæ eſſent prædicata eſſentialia ipſius humanæ naturæ, quod inauditum eſt: identicè non importat diffe-

differentias materiales, ita ut cum differentiis illis realiter non identificetur, nego; ut autem humana natura positivè secundùm rationem suam formalem in individuis multiplicetur ad positivam differentiarum individualium multiplicationem, sufficit, ut secundùm rationem suam formalem realirer cum illis differentiis identificetur. Ad prob. min. distinguo maj. natura humana secundùm se importat duntaxat sua prædicata essentialia &c. si natura hamna secundum se spectetur præcisè, prout est in intellectu ipsam à differentiis individualibus abstrahente. & secundùm prædicata essentialia tantùmmodò illam apprehendente, concedo; si natura humana secundùm se accipiatur, prout est à parte rei in individuiis realiter cum differentiis illorum individualibus identificata, nego; sic enim sumpta importat non tantùm prædicata essentialia, sed etiam differentias individuales, non quidem constitutivè, sed identicè, modo dicto.

Urge. iterum: natura humana secundùm se non est formaliter multiplex; alioquin talis foret in omni statu (nam quod convenit humanæ naturæ secundùm se, semper ei competit, utpotè quod est prædicatum ejus essentiale) proindeque & in intellectu: quod dici nequit, quoniam inde sequeretur, naturam humanam in intellectu non esse formaliter universalem, quia natura formaliter universalis debet esse una formaliter, non verò formaliter multiplex: ergo natura humana secundùm se est formaliter una, ac subinde formaliter universalis.

Respondeo distinguendo ant. natura humana secundùm se non est formaliter multiplex: si natura humana secundùm se sumatur, pront est in intellectu, modo dicto, concedo: si humana natura secundùm se accipiatur, prout à parte rei est in individuis realiter identificata cum differentiis individualibus ipsam secundùm rationem formalem suam positivè multiplicantibus, nego; quamvis

vis enim natura humana ſecundùm ſe ſic accepta conſtitutivè non ſit formaliter multiplex, adeò ut differentiæ individuales illam ſecundùm rationem ipſius formalem multiplicantes, ad conſtitutionem eſſentiæ ejus non pertineant; eſt tamen identicè multiplex formaliter, quatenus cùm prædictis differentiis ipſam ſecundùm rationem formalem poſitivè multiplicantibus realiter identificatur. Dum autem dicitur, quod competit humanæ naturæ ſecundùm ſe, ei convenire ſemper & in omni ſtatu; id intelligendum venit de eo, quod competit naturæ humanæ ſecundùm ſe, prout eſt in intellectu, modo dicto, non verò prout à parte rei eſt in individuis realiter cum differentiis eorum individualibus identificata.

Urge. rurſus: natura humana ſecundùm ſe non eſt formaliter ſingularis; cùm ſingularitas ſit extra conceptum naturæ humanæ ſecundùm ſe, ut docet D. Thomas de ente & eſſentia cap. 4. ergo natura humana ſecundùm ſe eſt formaliter univerſalis.

Reſpondeo ex dictis diſtinguendo ant. natura humana ſecundùm ſe non eſt formaliter ſingularis: ſi ipſa natura humana ſecundùm ſe ſumatur, prout eſt in intellectu ipſam à differentiis individualibus abſtrahente, & eam ſecundùm prædicata eſſentialia præcisè apprehendente, concedo: ſi natura humana ſecundùm ſe accipiatur, prout à parte rei eſt in individuis ſive ſingularibus humanis, per quorum differentias individuales contrahitur & ſingularizatur, nego. Dum verò ait D. Thomas, ſingularitatem eſſe extra conceptum naturæ humanæ ſecundùm ſe, loquitur de conceptu naturæ humanæ ſecundùm ſe, primo modo ſumptæ, non autem ſecundo modo ſpectatæ. Diſtinguendum eſt etiam conſequens diſtinctione data.

Dices: ex Ariſt. omnis natura vel eſt univerſalis, vel ſingularis: ergo natura humana ſecundùm ſe aut eſt univerſalis, aut ſingularis.

Reſ-

Respondeo distinguendo ant. ex Aristotele, omnis natura in intellectu, vel est universalis, vel singularis, concedo: ex Aristotele, omnis natura à parte rei, vel est universalis, vel singularis; subdistinguo: vel est fundamentaliter universalis, vel singularis, concedo; revera enim universalitatis, vel singularitatis fundamentum, est in natura à parte rei; fundamentum quidem universalitatis à parte rei est in natura, prout est similis rationis in individuis à parte rei; fundamentum quoque singularitatis est à parte rei in natura, prout ipsa in quolibet individuo seu singulari est ad ipsum contracta aut determinata; inde enim sumit intellectus fundamentum subjiciendi quodlibet individuum (habens naturam sic contractam) naturæ communi universaliter sumptæ, in qua subjectione consistit formalis singularitas cujuslibet individui: vel est formaliter universaliter universalis, vel singularis, nego; & distinguo pariter consequens: ergo natura humana secundùm se prout est in intellectu, aut est universalis, aut singularis, concedo: ergo natura humana secundùm se, prout est à parte rei, aus est universalis, aut singularis; subdistinguo fundamenraliter aut est universalis, aut singularis, concedo: formaliter aut est universalis, aut singularis, nego.

Objic.2. dantur à parte rei genera & species; natura quippe animalis à parte rei est propriè dictum genus; natura verò hominis, & natura leonis, &c. à parte rei sunt propriè dictæ ejus species: atqui genera & species sunt quædam universalia, ut infrà patebit: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. dantur à parte rei genera & species materialiter, id est, naturæ reales genericæ vel specificæ, quibus ab intellectu attribui potest formalis ratio generis, vel speciei, concedo: dantur à parte rei genera & species formaliter, id est, naturæ reales positivè aut actu importantes formalem rationem, vel generis,

ris, vel speciei, nego. Unde natura animalis à parte rei est quidem propriè dictum genus, sed materialiter solùm; & simili modo, natura hominis, & natura Leonis, & similes naturæ, à parte rei sunt quidem propriè dictæ species, sed materialiter duntaxat. Concessa autem min. nego conseq. sub distinctione data.

Inst. natura hominis, & natura equi, sunt verè à parte rei diversæ species: ergo verè à parte rei dantur species.

Respondeo ex doctrina tradita distinguendo ant. natura hominis, & natura equi, sunt verè à parte rei diversæ species materialiter, id est, verè sunt naturæ reales specificæ, quibus ab intellectu attribuitur formalis ratio speciei, concedo: natura hominis & natura equi, sunt verè à parte rei diversæ species formaliter, id est, verè sunt naturæ reales positivè rationem formalem speciei importantes, nego. Distinguo pariter consequens: ergo verè à parte rei dantur species materialiter, concedo: ergo verè à parte rei dantur species formaliter, nego.

Inst. iterum: homo & equus à parte rei specificè formaliter distinguuntur: ergo natura hominis, & natura equi, sunt à parte rei distinctæ species formales.

Respondeo distinguendo ant. homo & equus à parte rei specificè formaliter, id est, specificè essentialiter, distinguuntur, concedo: homo & equus à parte rei specificè formaliter, id est, tanquam species formales, distinguuntur, nego ant. & conseq.

Inst. rursus: Petrus & Paulus à parte rei sunt ejusdem speciei (nimirum humanæ) ergo in Petro & Paulo à parte rei species admittenda est.

Respondeo ex simili doctrina distinguendo ant. Petrus & Paulus à parte rei sunt ejusdem speciei materialis, id est, ejusdem naturæ realis specificæ, cui ab intellectu formalis ratio, seu secunda intentio speciei, potest attribui, concedo, a Pe-

Petrus & Paulus à parte rei sunt ejusdem spe lei formalis, id est, sunt ejusdem naturæ specit cæ habentis positivè à parte rei secundam inteni o- nem speciei, nego. Distinguo etiam eodem io- do consequens: ergo in Petro & Paulo à pa te rei species materialis admittenda est, conced : ergo in Petto & Paulo à parte rei species form. lis admittenda est, nego.

§. V.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 3. scientiarum realium objecta sunt à parte rei; ut patet: atqui objecta scient a- rum realium sunt universalia formaliter: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. scientiarum rea- lium objecta sunt à parte rei: si objecta illa su- mantur quantùm ad naturas reales, quæ à scien- tiis realibus considerantur, concedo: si objecta illa accipiantur quantùm ad conditionem requisi- tam ad hoc, ut reales illorum objectorum natu- ræ à scientiis realibus considerentur, & de ipsis disputetur, nego; neque enim naturæ reales à scientiis realibus considerantur, aut ejusmodi scientiæ de naturis realibus disputant, nisi natu- ræ illæ sint à singularibus abstractæ, & in uni- versali acceptæ; quem quidem statum non ha- bent naturæ reales à parte rei, sed in solo intelle- ctu abstrahente: & distinguo etiam min. atqui objecta scientiarum realium sunt universalia for- maliter, ratione conditionis modo dicto requisi- tæ, concedo: sunt universalia formaliter, ratio- ne naturarum realium à parte rei existentium, de quibus in scientiis illis disseritur: nego min. & conseq.

Objic. 4. tunc natura humana est formaliter universalis, quando est una unitate positiva: at- qui natura humana à parte rei est una unitate po- siti-

ſitiva: ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. min. cùm unitas ſit entitatis proprietas, ipſique proinde proportionetur, ubi eſt entitas poſitiva, ibi ſit unitas poſitiva neceſſe eſt: atqui in natura humana à parte rei eſt entitas poſitiva: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad ejus prob. diſtinguo maj. cùm unitas &c. ubi eſt entitas poſitiva poſitivè indiviſa & immultiplicata, ibi ſit unitas poſitiva neceſſe eſt, concedo: ubi eſt entitas poſitiva, poſitivè diviſa & multiplicata, ibi ſit unitas poſitiva neceſſe eſt, nego; unitas namque non eſt proprietas entitatis diviſæ & multiplicatæ, ſed indiviſæ & immultiplicatæ. Et diſtinguo etiam min. atqui in natura humana à parte rei eſt entitas poſitiva, poſitivè etiam ſecundùm rationem formalem diviſa & multiplicata, modò ſuprà explicato, concedo: atqui in natura humana à parte rei eſt entitas, poſitiva poſitivè indiviſa & immultiplicata, nego min. & conſeq.

Objic. 5. tunc natura humana eſt formaliter univerſalis, quando apta eſt ineſſe multis: atqui natura humana ſecundùm ſe à parte rei apta eſt ineſſe multis: ergo &c. Maj. conſtat ex communi definitione univerſalis formalis, qua dicitur, unum aptum ineſſe multis. Prob. min. tunc natura humana eſt apta ineſſe multis, quando eſt communicabilis multis; atqui humana natura ſecundùm ſe à parte rei eſt communicabilis multis; ergo &c. Maj. videtur manifeſta. Prob. min. tandiu natura humana eſt communicabilis multis individuis, quandiu non eſt ad unum individuum determinata: atqui humana natura ſecundùm ſe à parte rei non eſt ad unum individuum, potiùs quàm ad aliud, determinata, ſed eſt ad omnia individua indifferens; ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. tunc natura humana eſt formaliter univerſalis, quando apta eſt ineſſe multis, tanquam natura ſimpliciter una, concedo; tunc natura humana eſt formaliter uni-

universalis, quando apta est inesse multis, tanquam natura simpliciter multiplex, nego; universale enim formale definitur. *unum aptum &c.* Et distinguo eodem modo min. atqui natura humana secundùm se à parte rei apta est inesse multis, tanquam natura, quæ sit à parte rei simpliciter multiplex, concedo: apta est inesse multis, tanquam natura, quæ à parte rei sit simpliciter una, nego. Ad prob. min. concessa maj. distinguo min. atqui humana natura secundùm se à parte rei est communicabilis multis, sicut natura, quæ à parte rei sit simpliciter multiplex, concedo: sicut natura, quæ sit à parte tei simpliciter una, nego min. & conseq. sub distinctione data. Ad prob. min. data maj. nego min. quamvis enim natura humana secundùm se, prout est in intellectu abstracta ab omnibus individuis, & considerata præcisè secundùm prædicata essentialia, non sit ad unum individuum potiùs quàm ad aliud determinata, sed sit ad omnia individua indifferens; attamen ipsa prout à parte tei secundùm se & secundùm prædicata essentialia existit in individuis, est ad unumquodque individuum humanum determinata.

Articulus Quintus.

Per quam operationem intellectus natura communis fiat formaliter universalis?

§. I.

Quædam præmittuntur, & sententiæ referuntur.

PRæcedenti articulo ostensum est, nullas dari à parte rei naturas formaliter universales, sed tales evadere solo intellectus beneficio; unde superest examinandum ac exponendum, per quam intellectus operationem naturæ communes uni-

ver-

versalitatem formalem consequantur: Quod ut præstetur

Advertendum est 1. hunc esse nostri intellectus connaturalem cognoscendi modum, ut primò res externis objectæ sensibus, in eos immittant species seu imagines sui repræsentativas. Ex his autem speciebus aut imaginibus rerum externis sensibus impressis, Phantasia, sive imaginativa potentia, alias extrahit species, quæ *Phantasmata* nuncupantur, in quibus Phantasia easdem res contemplatur, quas exteriores sensus perceperant.

Advertendum est 2. Phantasmata in imaginatione existentia esse materialia & corporea, sicut & materialis est atque corporea imaginativa potentia; ideòque hujusmodi Phantasmata immediatè in intellectu recipi nequaquam possunt, eo quòd intellectus spiritualis est, incorporeus, & immaterialis: hinc necesse est, ut intellectus agens expurgando Phantasmata, ex eis species spirituales, incorporeas, & immateriales educat, quibus communes rerum naturæ ab omnibus conditionibus materialibus aut individualibus, idest, à differentiis individualibus seu numericis, ab albedine, nigredine, aliisque accidentibus materialibus differentias individuales, seu numericas, rerum aut individuorum substantialium, concomitantibus, abstractæ repræsentantur; quæ quidem species intellectui patibili seu passibili, aut possibili, ab intellectu agente imprimuntur.

Ex hac doctrina colligitur, duplicem esse intellectum, nempè intellectum agentem, & intellectum patibilem seu passibilem, aut possibilem. Prior dicitur *Agens*; quoniam proprium munus ejus est, agere, expurgando Phantasmata, & ex eis sic purgatis præfatas species educendo, ipsasque jam eductas imprimendo intellectui patibili, sive passibili, vel possibili. Iste verò appellatur *Patibilis*, seu *passibilis*, quia ab intellectu agente patitur, ab ipso species impressas accipiendo; ut enim fert commune axioma: *Recipere*

est quoddam pati; vocatur verò *possibilis*, quoniam in esse intelligibili fieri potest omnia, mediantibus speciebus intelligibilibus omnium rerum, quas in se recipere potest. Sed de his fusiùs in lib. de anima. Actio autem illa qua intellectus agens ex phantasmatibus elicit species spirituales, naturas communes ab inferioribus abstractas repræsentantes, nominatur *abstractio intellectus agentis*.

Advertendum est 3. intellectum patibilem posse quatuor actiones exercere circa naturam communem ab inferioribus abstractam. Prima actio est *abstractio negativa*, qua apprehendit aut considerat naturam communem præcisè secundùm prædicata essentialia & proprietates, nullo modo apprehensis vel consideratis inferioribus. Dicitur verò *abstractio negativa*, quoniam intellectus patibilis in ea negativè se habet erga inferiora, quatenus ad ipsa nullo modo attendit.

Secunda actio est *abstractio positiva*, qua intellectus patibilis positivè apprehendit naturam communem ut ab inferioribus abstractam & distinctam; unde actio illa positivè attingit inferiora; non quidem tanquam terminum, ad quem comparet naturam communem; sed tanquam terminum, à quo ipsam abstrahat & distinguat; *hinc abstractio positiva* nuncupatur.

Tertia actio est *comparatio simplex* seu apprehensiva, qua intellectus patibilis apprehendit communem naturam ut aptam inesse multis inferioribus, & prædicari de illis, & quidem expeditè atque proximè. Dicitur in primis *comparatio*, quoniam comparat seu refert naturam communem ad inferiora. Vocatur verò comparatio *simplex*, sive non composita, quia naturam communem per actualem prædicationem cum inferioribus non componit.

Quarta demùm actio est *comparatio composita*, seu enunciativa, qua intellectus patibilis naturam communem actu de inferioribus prædicat

sive

ſive enunciat. Appellatur autem *comparatio compoſita*, quoniam communem naturam actuali prædicatione cum inferioribus componit ſeu conjungit.

Advertendum eſt 4. univerſale poſſe diſtingui duplex, nempè *univerſale Metaphyſicum*, & *univerſale Logicum*. Primum eſt natura communis ab inferioribus abſtracta; apud Philoſophos quippe, res abſtractæ ſpeciali quodam modo *Metaphyſicæ* nuncupantur. Univerſale verò Logicum eſt ipſa natura communis, prout ſecundam univerſalitatis intentionem importat; proprium ſiquidem Logicæ munus eſt, ut ſecundas intentiones conſideret. Primum etiam dici poteſt *univerſale fundamentaliter proximè*; quia communis natura ab inferioribus abſtracta eſt proximum formalis univerſalitatis fundamentum, adeò ut natura communis tali modo abſtracta, ſit formalis univerſalitatis proximè capax, eo quòd ſit à differentiis inferiorum eam multiplicantibus & contrahentibus atque ſingularizantibus per mentem ſeparata. Secundum quoque vocari poteſt *univerſale formaliter*; quoniam natura communis, prout ſecundam univerſalitatis intentionem importat, obtinet formam ſeu formalem rationem univerſalis formalis conſtitutivam; ut ex dictis patet. His poſitis

Circa univerſale Metaphyſicum quatuor ſunt Philoſophorum ſententiæ. Prima docet, naturam communem fieri Metaphyſicè univerſalem per abſtractionem intellectus agentis: hæc ſententia tribui ſolet Dominico Soto, Maſio, & aliis. Secunda aſſerit, id fieri per abſtractionem intellectus patiibilis merè negativam; ita docet Araujo. Tertia affirmat, hoc contingere per poſitivam ejuſdem intellectus abſtractionem: hanc ſententiam tuentur Sanchez, Parra, & alii. Quarta tandem ad eundem effectum requirit comparationem ſaltem ſimplicem intellectus patibilis: iſtam ſententiam defendit Coſmas De lerma.

Circa univerſale Logicum quatuor ſunt etiam

sententiæ. Prima docet, universale Logicum fieri per positivam abstractionem intellectus patibilis: hanc sententiam propugnant Toletus, Ortizius, & alii recentiores Thomistæ. Secunda asseverat, universale Logicum effici per comparationem compositam: ita sentit Vasquez. Tertia censet, universale Logicum fieri posse indifferenter, vel per comparationem simplicem, vel per comparationem compositam, vel etiam per discursum, quo inferatur arguendo, naturam communem pluribus inferioribus convenire: istam sententiam propugnant Linzeus, & plures alii Patres societatis. Quarta demùm existimat, universale Logicum efformari per solam comparationem simplicem: huic sententiæ subscribunt Sanchez, Complutenses, Joannes à S. Thoma Lerma, Martinez, aliique Thomistæ communiter.

§. II.

Utraque difficultas duplici conclusione enodatur.

Dico I. ad universale Metaphysicum completè acceptum requiruntur abstractio intellectus agentis, sicut & intellectus patibilis positiva abstractio; simplex tamen hujus intellectus comparatio necessaria non est.

Prob. & explicatur. Et primò quidem requiruntur abstractio intellectus agentis, & positiva intellectus patibilis abstractio; siquidem per universale Metaphysicum intelligunt Philosophi naturam communem ab inferioribus abstractam: ut ergo dicatur universale Metaphysicum completum & consummatum, debet communis natura esse ab inferioribus completè & consummatè abstracta; nempè & per abstractionem intellectus agentis, & per positivam intellectus patibilis abstractionem.

Unde quando D. Thomas opusc. 55. ait, quòd una

una & eadem natura, quæ singularis erat, & individuabatur per materiam in singularibus hominibus, fit posteà universalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus materialibus (sive per abstractionem intellectus agentis) quæ sunt hic & nunc: dicendum est, quòd (Metaphysicè) fiat universalis incompletè & inchoativè, non verò completè & consummatè. Dum autem S. Doctor 1. par. qu. 85. art. 2. ad 2. asserit, quòd ad esse abstractum (videlicet completum & consummatum) sequitur in natura abstracta intentio universalitatis, loquitur de universalitate Metaphysica, non verò de universalitate Logica.

Quòd demùm ad universale Metaphysicum non requiratur naturæ communis ad inferiora simplex comparatio, ex eo suadetur, quòd per universale Metaphysicum intelligunt Philosophi communem naturam ab inferioribus abstractam; ut autem communis natura fiat ab inferioribus abstracta, non requiritur ejus ad inferiora comparatio, sed sufficit sola ipsius ab illis præcisio.

Dico 2. universale Logicum, seu universale formale, non fit per abstractionem intellectus agentis, vel per negativam intellectus patibilis abstractionem, vel per ipsius abstractionem positivâ, vel per comparationem compositam; sed per simplicem comparationem, qua apprehenditur natura communis ut una apta proximè inesse multis inferioribus, & prædicari de illis.

Hanc conclusionem tradit D. Thomas multis in locis, sed præcipuè quæst. 7. de Potent. art. 11. ubi ait: *Quod intellectus adinvenit relationes generis & speciei, considerando ordinem ejus; quod est in intellectu, ad res ad extra.* Quorum verborum sensus est, quòd intellectus formet rationes formales generis & speciei (quibus nempè naturæ genericæ & specificæ in ratione universalium formalium constituuntur) ordinando seu comparando naturam genericam & specificam;

quæ est in intellectu, ad inferiora, quæ sunt extra intellectum. Et Opusc.56.asserit; *Naturam fieri universalem, quatenus cognoscitur ut participabilis ab inferioribus*: non cognoscitur autem ut talis, nisi pet comparationem ipsius ad inferiora.

Prob.etiam conclusio & simul explanatur. Et primò quidem universale Logicum, seu universale formale, non fit per abstractionem intellectus agentis, vel per negativam intellectus patibilis abstractionem, vel pet ipsius abstractionem positivam: siquidem omnes Peripatetici per hoc universale intelligunt naturam communem, superiorem inferioribus, nnam, proximèque aptam inesse illis, ac prædicari de ipsis: atqui natura communis sic accepta non fit per abstractionem &c.ergo &c. Prob. min. natura communis non fit inferioribus superior, nisi per actionem telativam, qua videlicet ad inferiora referatur; superius quippe, & inferius, sunt duo correlativa, quæ ad se mutuò referuntur: atqui neque abstractio intellectus agentis, neque &c. est actio telativa, sed tres illæ abstractiones sunt duntaxat actiones abstractivæ seu præcisivæ: tum maximè quia actio relativa naturæ communis & superioris ad inferiora, debet hæc respicere sicut terminum, ad quem refert ipsam naturam communem; abstractio autem naturæ communis ab inferioribus, quæcumque sit, non se habet ad inferiora, sicuti ad terminum *ad quem*; sed præcisè tanquam ad terminum à quo ipsam naturam abstrahit: ergo &c.

Quòd verò universale Logicum seu formale non fiat per comparationem compositam, declaratur: Comparatio composita, prout hic accipitur, est actualis prædicatio naturæ communis & superioris de inferioribus: atqui universale Logicum per actualem illam prædicationem non fit: ergo &c. Prob. min. quod præsupponit universale Logicum jam factum, ipsum

ipſum non facit: atqui prædicatio illa præſupponit univerſale Logicum jam factum: ergo &c. Maj. liquet, prob. min. prædicta prædicatio ea eſt, in qua natura communis & ſuperior, per modum univerſalis Logici, de inferioribus actu prædicatur: atqui hæc prædicatio præſupponit univerſale Logicum jam factum; ergo &c. Maj. certa eſt, prob. min. ut natura communis & ſuperior, v. g. natura humana, de aliquibus inferiorioribus actu rectè prædicetur per modum univerſalis Logici, debet priùs eis ineſſe, ipſiſque convenire; unde ex communi Philoſophorum loquendi modo, *prædicari ſequitur eſſe*: & prædicabilitas eſt univerſalis Logici proprietas, ipſum ſequens ac præſupponens: ergo prædicatio, in qua natura communis & ſuperior per modum univerſalis Logici de inferioribus actu prædicatur, præſupponit univerſale Logicum jam exiſtens in inferioribus, ac proinde jam factum. Sanè, ſi univerſale Logicum fieret per comparationem compoſitam, ſive per actualem naturæ communis de inferioribus prædicationem, foret definiendum: *Quod actu de multis inferioribus prædicatur*; quod dici nequit, quandoquidem apud Peripateticos ſolet definiri: *Unum aptum ineſſe multis inferioribus, & prædicari de illis*: ubi non per actualem, ſed per aptitudinalem duntaxat prædicationem definitur. Denique, cùm ſolus Deus ſit actus purus, omnis autem creatura ſit potentialis, ſola Dei eſſentia in actu poſita eſt: eſſentia verò cujuſcunque creaturæ in potentia tantummodò, ſeu in aptitudine eſt conſtituenda: proindéque eſſentia univerſalis Logici, non in actuali, ſed in aptitudinali prædicatione ponenda eſt.

Itaque ſupereſt, ut natura communis fiat Logicè univerſalis per ſimplicem comparationem, qua apprehendatur ut una apta proximè ineſſe multis inferioribus & prædicari de illis: na-

turæ enim communi ita sumptæ rectè convenit definitio universalis Logici, quæ dicitur: *Vnum aptum inesse multis inferioribus & prædicari de illis*. Tum maximè, quia, ut probatum est supra, universale Logicum seu formale à parte rei non datur, sed est opus solius intellectus cognoscentis; & ideò ea intellectus operatione efficitur, qua ab intellectu cognoscitur: per simplicem verò comparationem, qua apprehenditur, seu apprehensivè cognoscitur natura humana, *ut una apta &c.* cognoscitur universale Logicum, quod est *unum aptum &c.*

§. III.

Objectiones solvuntur.

Objic. 1. contra 1. concl. per illam operationem fit universale Metaphysicum, per quam efficitur universale fundamentaliter proximè; quandoquidem, ut ex dictis patet, universale Metaphysicum est idem ac universale fundamentaliter proximè; atqui per abstractionem intellectus agentis, vel per abstractionem negativam intellectus patibilis, efficitur universale fundamentaliter proximè: ergo &c. Prob. min. universale fundamentaliter proximè est natura communis prout est universalitatis Logicæ proximè capax: atqui per abstractionem intellectus agentis, aut per negativam intellectus patibilis abstractionem, natura communis fit Logicæ universalitatis proximè capax: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. tunc natura communis est Logicæ universalitatis proximè capax, quando est una; atqui per abstractionem intellectus agentis, vel per negativam abstractionem intellectus patibilis, fit & est una; quandoquidem per alterutram abstractionem illam præcisa est à differentiis individualibus, quæ ipsam in individuis multiplicabant: ergo &c.

Ref-

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. concessa iterum maj. nego min. Ad prob. ejus distinguo maj. tunc natura communis est Logicæ universalitatis proximè capax, quando est una per completam & consummatam abstractionem seu præcisionem à differentiis individualibus & multiplicantibus, concedo: quando est una per abstractionem aut præcisionem duntaxat incompletam & inchoatam, nego; & distinguo similiter min. atqui per abstractionem intellectus agentis, vel per abstractionem negativam intellectus patibilis, fit & est una, per abstractionem incompletam & inchoatam, concedo: fit & est una, per abstractionem completam & consummatam, nego; unde natura communis per alterutram abstractionem illam est à differentiis individualibus & multiplicantibus præcisa solùm incompletè & inchoatè; nec est talis completè & consummatè, nisi accedat positiva intellectus patibilis abstractio, quæ est ultima naturæ communis præcisio.

Inst. tunc natura communis est Logicæ universalitatis proximè capax, quando caret iis impedimentis, ratione quorum erat ejusmodi universalitatis incapax: atqui communis natura per abstractionem intellectus agentis, vel negativam intellectus patibilis abstractionem, caret illis impedimentis, ratione quorum erat universalitatis Logicæ incapax, nimirum caret differentiis singularibus: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tunc natura communis est Logicæ universalitatis proximè capax, quando completè & consummatè caret iis impedimentis &c. concedo: quando incompletè tantùm & inchoatè caret iis impedimentis &c. nego; & distinguo similiter min. atqui communis natura per abstractionem intellectus agentis, vel negativam intellectus patibilis abstractionem, incompletè & inchoatè caret

iis impedimentis &c. concedo; completè & consummatè caret iis impedimentis &c. nego; natura quippe communis completè & consummatè hujusmodi impedimentis non caret, nisi per completam, consummatam, & ultimam sui abstractionem à differentiis singularibus sive individualibus, nempè nisi per positivam intellectus patibilis abstractionem.

Inst. iterum: per universale Metaphysicum intelligunt Philosophi naturam communem ab individuis abstractam; atqui natura communis per abstractionem intellectus agentis, aut per negativam abstractionem intellectus patibilis, verè constituitur ab individuis abstracta: ergo &c.

Respondeo ex doctrina tradita, distinguendo maj. per universale Metaphysicum intelligunt Philosophi naturam communem ab individuis completè & consummatè abstractam, concedo; intelligunt Philosophi naturam communem ab individuis incompletè solùm & inchoatè abstractam, nego. Et distinguo pariter min. atqui natura communis per abstractionem intellectus agentis, aut per negativam abstractionem intellectus patibilis, verè constituitur ab individuis abstracta, incompletè & inchoatè, concedo: constituitur ab individuis abstracta completè & consummatè, nego min. & conseq.

Inst. rursus: natura communis per abstractionem intellectus agentis, vel per negativam intellectus patibilis abstractionem, ab individuis aut singularibus præcisa, non est singularis, ut patet: ergo est universalis, saltem Metaphysicè.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo est universalis, saltem Metaphysicè: incompletè & inchoatè, concedo: completè & consummatè, nego.

Objic. 2. contra 2. concl. ex D. Thoma, 1. p. qu. 79. ar. 5. ad. 2. per abstractionem intellectus agentis illud efficitur universale, quod est unum in multis: atqui universale, quod est unum in mul-

multis, eſt univerſale Logicum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ex D. Thoma, per abſtractionem intellectus agentis diſpoſitivè ſeu præparatoriè illud efficitur univerſale, quod eſt unum in multis, concedo; verum enim eſt, abſtractionem intellectus agentis, ſeparando naturam communem à differentiis individualibus ſeu ſingularibus, eam diſponere aut præparare ad hoc, ut ſit una in multis individuis aut ſingularibus: ex D. Thoma, per abſtractionem intellectus agentis formaliter efficitur illud univerſale, quod eſt unum in multis, adeò ut natura communis vi illius abſtractionis immediatè accipiat univerſalitatis Logicæ formam, per quam eſt una in multis, nego. Et conceſſa min. nego conſeq. ſeq. ſub diſtinctione data.

Inſt. 1. D. Thomas variis in locis aſſerit, naturam abſtractam eſſe univerſalem: ergo univerſale per abſtractionem efficitur.

Reſpondeo, D. Thomam loqui de univerſali Metaphyſico, non autem de Logico; unde vult ſolùm, naturam abſtractam eſſe univerſalem Metaphyſicè, at non Logicè. Dici etiam poteſt, S. Doctorem habere ſemonem illis in locis de univerſali Logico, ſed fundamentaliter ſumpto, non verò formaliter uſurpato; ideòque intendit duntaxat, naturam abſtractam eſſe Logicè univerſalem fundamentaliter, at non formaliter.

Inſt. 2. tunc communis natura eſt Logicè univerſalis formaliter, quando refertur ad inferiora, tanquam ſuperior, una, aptaque ineſſe illis, & prædicari de ipſis: atqui natura communis, ſaltem completè & conſummatè abſtracta, refertur ad inferiora tanquam ſuperior &c. ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. ex communi Philoſophorum axiomate: *Poſito fundamento, reſultat relatio*; atqui in natura communi completè & conſummatè abſtracta poſitum eſt proximum fundamentum relationis ſuperioritatis ad inferiora; quandoquidem natura communis completè &

consummatè abstracta est proximum hujus relationis fundamentum, ut communiter docent Peripatetici: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. distinguo maj. posito fundamento & termino, resultat relatio, concedo: posito fundamento sine termino, resultat relatio, nego; & distinguo eodem modo min. atqui in natura communi complete & consummatè abstracta positum est proximum fundamentum relationis superioritatis ad inferiora &c. distinguo inquam; positum est fundamentum proximum sine termino, concedo: positum est proximum fundamentum simul cum termino, nego; quamvis enim natura communis per abstractionem positivam intellectus patibilis fiat complete & consummatè abstracta, & ita efficiatur proximum relationis superioritatis ad inferiora fundamentum; attamen abstractio illa nequaquam ponit terminum, ad quem tendit relatio illa; etenim quamvis positiva abstractio intellectus patibilis percipiat inferiora, sicut terminum à quo natura communis abstracta est, non apprehendit tamen illa ut terminum ad quem natura communis ut superior referatur; alioquin hæc abstractio non esset actio abstractiva, sed relativa seu comparativa.

Inst. 3. positiva intellectus patibilis abstractio illum terminum ponit, quem apprehendit: atqui positiva abstractio intellectus patibilis apprehendit inferiora naturæ communis; in hoc quippe positiva, & negativa intellectus patibilis abstractio, differunt, quòd ista nullo modo inferiora attingit, benè tamen illa: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui positiva abstractio intellectus patibilis apprehendit inferiora naturæ communis, tanquam terminum à quo ipsam naturam communem abstrahit, concedo; tanquam terminum ad quem ipsa communis natura referatur ut una apta proximè inesse multis & prædicari de illis, nego.

§. IV.

§. IV.

Satisfit aliis argumentis.

OBjic. 3. & ampliùs inst. communis natura multorum inferiorum, relationem importat ad multa inferiora: atqui v.g. natura humana complete & consummatè ab individuis abstracta, est communis natura multorum inferiorum: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. communis natura multorum inferiorum, relationem importat ad multa inferiora: si ad illa comparetur, concedo: si solùm ab eis abstrahatur, nego; tunc enim communis natura non respicit multa inferiora, sicut terminum ad quem relationis, sed duntaxat sicut terminum à quo præcisionis.

Inst. prætereà: ex concessis, natura communis completè & consummatè abstracta, respicit inferiora sicut terminum à quo: ergo ad illa refertur; respicere siquidem aliud, est ad ipsum referri.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo ad illa refertur, relatione latè sumpta, pro simplici connotatione, concedo; verum enim est, naturam completè & consummatè abstractam ab inferioribus, ipsa connotare, tanquam terminum *à quo*: ergo ad illa refertur, relatione strictè accepta, pro puro respectu ad aliud, velut ad terminum ad quem, nego; unde tunc solùm respicere aliud, est propriè ad ipsum referri, quando aliud respicitur per modum termini *ad quem*.

Inst. insuper: tunc natura communis refertur ad inferiora relatione superioritatis, quando est ipsis completè & consummatè superior: atqui natura communis completè & consummatè abstracta ab inferioribus, est completè & con-

summatè eis superior, ut ex dictis liquet: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. tunc natura communionis refertur ad inferiora relatione superioritatis, quando est ipsis complete & consummatè superior formaliter, concedo: quando est ipsis complete & consummatè superior fundamentaliter tantùm, nego. Et distinguo similiter min. atqui natura communis complete & consummatè abstracta ab inferioribus, & complete & consummatè eis superior fundamentaliter, quatenus est fundamentum proximum relationis superioritatis ad inferiora, concedo: est complete & consummatè eis superior formaliter, ita ut vi completæ & consummatæ abstractionis habeat formalem seu actualem relationem superioritatis ad inferiora, nego min. & conseq. sub distinctione data.

Objic. 4. natura communis complete & consummatè ab inferioribus aut singularibus abstracta, non est Logicè singularis: ergo est Logicè universalis.

Respondeo negando conseq. siquidem universale Logicum, & singulare Logicum, non sunt extrema contradictoria, inter quæ nullum datur medium: sed sunt duo extrema mutuò opposita relativè (de facto siquidem universale Logicum, & singulare Logicum, tanquam superius & inferius, ad se mutuò referuntur) inter quæ mediat mutuæ relationis fundamentum: ideóque inter universale Logicum, & singulare Logicum, mediat universale Metaphysicum, quod est proximum universalitatis Logicæ fundamentum.

Inst. 1. ex Aristotele 1. Perihen. cap. 1. universale Logicum est unum aptum prædicari de pluribus: atqui natura communis complete & consummatè abstracta à singularibus est una, apta prædicari de pluribus: ergo &c. Prob. min. & primò quidem natura communis sic sumpta est una, quoniam in eo statu caret differentiis sin-

gularibus, quibus antà multiplicabatur: & etiam apta prædicari de pluribus, quia in eodem statu nullam habet differentiam singularem, qua ad aliquod individuum vel singulare determinetur; & ita remanet ad omnia individua seu singularia indifferens, & consequenter apta de illis prædicari.

Respondeo distinguendo maj. ex Aristotele &c. universale Logicum est unum aptum formaliter prædicari de pluribus, concedo: est unum aptum fundamentaliter prædicari de pluribus, nego. Et distinguo pariter min. atqui natura communis completè & consummatè abstracta à singularibus, est una apta fundamentaliter prædicari de pluribus, concedo; est quippe in natura communi illo modo abstracta fundamentum etiam proximum apprehendendi ipsam prout convenit & inest pluribus inferioribus, quæ convenientia & inexistentia naturæ communis in pluribus inferioribus est proximum fundamentum formalis sive actualis aptitudinis, qua natura communis, dum est formaliter universalis, proximè potest de multis inferioribus prædicari; atqui natura communis completè & consummatè abstracta à singularibus est una apta formaliter seu actualiter prædicari de pluribus, nego; etenim communis natura completè & consummatè à singularibus abstracta, nondum apprehenditur ut actu inexistens pluribus inferioribus, (hoc quippe duntaxat obtinet per simplicem comparationem) & ideò nondum est actu apta proximè prædicari de illis. Dum autem dicunt Adversarii, naturam communem à singularibus completè & consummatè abstractam, esse ad omnia inferiora, individua, & singularia indifferentem, non verò ad aliquod inferius, individuum, & singulare determinatam; id ultrò concedo: sed inde non sequitur, naturam communem illo modo abstractam, esse formaliter proximè aptam prædicari de pluribus inferioribus

individuis, aut singularibus; quoniam formaliter seu actualiter illis inesse aut convenire nondum apprehenditur.

Dices: universale formaliter definiri solet: *Unum aptum inesse multis*: ergo necesse non est, ut actu insit multis.

Respondeo concesso ant. distinguendo conseq. ergo necesse non est, ut actu insit multis, per judicium, quo actu affirmetur de illis, concedo: ergo necesse non est, ut actu insit multis, per simplicem apprehensionem, qua apprehendatur ut conveniens multis, & prædicabilis de ipsis, nego.

Inst. 2. natura communis, quæ realiter inest multis inferioribus, est de multis inferioribus prædicabilis: atqui natura communis completè & consummatè à singularibus abstracta, realiter inest multis inferioribus; ut patet in humana natura completè & consummatè à Petro, Paulo, aliisque singularibus humanis abstracta, quæ pluribus illis inferioribus realiter inest, ipsisque realiter convenit: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. natura communis, quæ realiter inest multis inferioribus, est de multis inferioribus prædicabilis: quando est una, & ad multa inferiora comparata, tanquam ipsis conveniens, concedo quando una quidem est, ad multa tamen inferiora nequaquam comparatur, sicut ipsis conveniens, nego. Et distinguo pariter min. atqui natura communis completè & consummatè à singularibus abstracta, realiter inest multis inferioribus, ita ut in illo completæ ac consummatæ abstractionis statu, sit quidem una, non tamen comparata ad multa inferiora, quasi eis conveniens, concedo: adeò ut in illo statu, & sit una, & ad multa inferiora comparetur, velut ipsis conveniens, nego; hoc quippe fit per solam simplicem naturæ communis ad multa inferiora comparationem.

Inst. 3. si daretur communis natura realiter à singularibus separata, (qualem olim eam finxit Plato)

Plato) ipsa foret formaliter universalis: ergo pariter eo ipso, quòd natura communis est per intellectum ab individuis separata, seu complete & consummatè ab illis abstracta, debet formaliter universalis nuncupari.

Respondeo dato & non concesso ant. negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd secundùm Platonicos, natura communis realiter à singularibus separata, realiter à singularibus participaretur, realiterque eis conveniret, ut suo loco dictum est; unde cùm aliunde docerent, naturam communem realiter ab individuis separatam, esse unam, juxta eorum doctrinam, natura communis realiter ab individuis seu singularibus separata, habebat omnia ad universalitatem formalem requisita, adeòut & esset una, & à pluribus inferioribus participata: at natura communis per intellectum ab individuis separata sive completè & consummatè ab illis abstracta, licet ex vi hujusmodi abstractionis una sit, non apprehenditur tamen ut ab inferioribus participata, ipsisque conveniens; ut ex dictis liquet.

Dices 1. communis natura per contractionem ad singularia fit formaliter singularis: ergo ex opposito per abstractionem a singularibus fit formaliter universalis; oppositi enim effectus (cujusmodi sunt formalis universalitas, & formalis singularitas) per causas oppositas fiant necesse est.

Respondeo negando ant. quamvis enim natura communis per contractionem ad singularia fiat fundamentaliter singularis; formaliter tamen seu actualiter non fit singularis, nisi per comparationem & relationem ad naturam superiorem, cui subjicitur; cujus quidem relationis fundamentum est natura contracta ad singularia. Unde pariter natura communis per abstractionem à singularibus efficitur quidem fundamentaliter universalis; attamen formaliter universalis non evadit, nisi per comparationem & relationem ad inferiora, quæ sibi subjicit, cujus relationis fun-

fundamentum, est communis natura à singularibus vel inferioribus abstracta.

Objic. 5. ad probandum, naturam communem fieri, per comparationem compositam, formaliter universalem. Natura communis fit formaliter universalis per eam intellectus operationem, qua concipitur una in inferioribus: atqui non concipitur una in inferioribus, nisi per comparationem compositam: ergo &c. Prob. min. natura communis nequit concipi una in inferioribus, nisi ipsa ei attribuatur: atqui natura communis non attribuitur inferioribus, nisi per comparationem compositam, sive prædicationem actualem: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. natura communis fit formaliter universalis per eam intellectus operationem, qua concipitur apprehensivè una in inferioribus, concedo: qua judicativè concipitur una in inferioribus, nego. Et simili modo distinguo minor. atqui non concipitur judicativè una in inferioribus, nisi per comparationem compositam, concedo: atqui non concipitur apprehensivè una in inferioribus, nisi per comparationem compositam, nego. Ad prob. min. distinguo major. natura communis nequit concipi una in inferioribus, nisi ipsa eis attribuatur, vel per judicium, vel per simplicem apprehensionem, concedo: nisi ipsa eis attribuatur determinatè per judicium, subdistinguo: natura communis nequit concipi judicativè una in inferioribus, nisi ipsa eis attribuatur determinatè per judicium, concedo: natura communis nequit concipi apprehensivè una in inferioribus, nisi ipsa eis attribuatur determinatè per judicium, nego. Itaque ut natura communis fiat formaliter universalis, satis est, ut apprehendatur una in inferioribus, ipsisque hoc modo attribuatur: quod quidem obtinet per simplicem apprehensionem, ut ex dictis liquet. Dum autem eadem natura ut una attribuitur inferioribus per judicium, sive per actua-

actualem prædicationem, ac proinde per comparationem compositam, id supponit universalitatem formalem jam in natura communi positam.

QUÆSTIO SECUNDA.

De universalibus in particulari.

IN scientiis tradendis solent Scholastici priùs res in communi, aut generali exponere, & deinde ipsas in particulari explanare; quoniam faciliùs in communi & inchoativè cognoscuntur, quàm in particulari & completè percipiantur. Ex axiomate autem apud Philosophos usurpato, *à facilioribus incipiendum est*. De universalibus ergo agentes, priùs de eis in communi differere debuimus, & posteà de ipsis in particulari disputare. Quinque verò universalia in particulari enumerantur; nimirum: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens.

Genus definitur: *Vnum aptum inesse multis specie differentibus, ac prædicari de illis in quid incompletum. Cujus definitionis sensus est iste: natura communis, una apta inesse multis inferioribus specie distinctis, ac prædicari de ipsis, (ex parte rei conceptæ) tanquam quidditatis seu essentiæ pars potentialis & contrahibilis per differentias specificas.* Ejusmodi est animal abstractum ab homine & bruto, & ad ipsa comparatum, quasi eis quidditativè seu essentialiter conveniens: in primis enim animal ita sumptum est natura communis & una. Et primò quidem est natura communis; quoniam animal homini & bruto commune est. Et præterea, est natura una formaliter: quia animal in eo abstractionis statu, est separatum à differentiis formalibus seu specificis, nimirum à *Rationali* & *Irrationali*, quibus in homine & bruto multiplicabatur.

In-

Insuper animal illo modo sumptum est natura apta inesse multis specie differentibus, nempè homini & bruto, eorumque inferioribus, quæ speciæ differunt. Ex eo autem, quòd animal prædicto modo acceptum insit multis specie differentibus, sequitur, ipsum esse aptum prædicari de illis; quoniam communis natura est apta prædicari de iis inferioribus, quibus inest. Denique animal prædicatur de homine & bruto, atque de ipsorum inferioribus, tanquam quidditatis seu essentiæ eorum pars potentialis & contrahibilis per differentias specificas; nam quamvis animal non sit tota hominis vel bruti essentia, est tamen de utriusque quidditate, sicut & de quidditate singulorum inferiorum homo quippe, brutum, & singula eorum inferiora, sunt quidditativè seu essentialiter animalia. Et præterea ratio animalis est quidditatis seu essentiæ hominis, bruti, & singulorum inferiorum ipsorum pars potentialis & contrahibilis per *Rationale*, *Irrationale*, & cæteras differentias specificas, quibus singulæ animalis species constituuntur.

Differentia definitur: *Unum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale quid*. Cujus definitionis sensus est iste: *Natura communis, una, apta inesse multis inferioribus, ac prædicari de illis*, (ex parte rei conceptæ) *tanquam quidditatis seu essentiæ pars actualis, contrahens, perficiens, & determinans*. Hujusmodi est *Rationale* abstractum à singularibus, aut individuis humanis, & ad ea comparatum, tanquam illis essentialiter conveniens. Etenim *Rationale* ita acceptum, est natura communis omnibus individuis humanis. Est etiam unum, quoniam est à differentiis singularibus & multiplicantibus abstractum. Insuper est aptum inesse multis inferioribus, videlicet multis singularibus sive individuis humanis. Eo autem ipso, quòd *Rationale* inest pluribus inferioribus, aptum est de illis præ-

di

dicari. Demum *Rationale* prædicatur de singularibus humanis, tanquam quidditatis sive essentiæ pars actualis, contrahens, perficiens, & determinans; quia inprimis est de quidditate aut essentia individuorum humanorum, quandoquidem hanc essentiam constituit, & individua humana à cæteris animalibus essentialiter distinguit; non est tamen tota individuorum humanorum essentia, cùm essentia ista præter *Rationale* exprimat *Animal*: est ergo duntaxat essentiæ humanorum individuorum pars, & quidem actualis, contrahens, perficiens, ac determinans; quia enim quodlibet individuum humanum per *Rationale* superat actualitate & perfectione quodcumque aliud animal, hinc fit, ut *Rationale* in essentia humana sit pars actuaos & perficiens *Animal*; quia etiam *Rationale* ita se habet, ut *Animal* ex se indifferens ad hominem & brutum, contrahat & determinet ad hominem, idcircò *Rationale* pars est contrahens ac determinans animal. *Rationale* verò (& quævis alia differentia specifica) dicitur prædicari *in quale quid*: quoniam si aliquis inquirat; *quid est homo*; statim respondetur: *est animal* (hinc animal, & omne aliud genus, prædicatur *in quid*) si autem iterum quærat: *quale est animal*? respondetur; *est animal rationale*.

Species definitur: *unum aptum inesse multis solo numero differentibus, & prædicari de illis in quid completum*. Cujus definitionis sensus est hic: *Natura communis, una, apta inesse multis inferioribus sola singularitate differentibus, ac prædicari de illis, tanquam completa seu tota eorum quidditas aut essentia*. Talis est homo, sive natura humana à singularibus abstracta, & ad ipsa comparata, tanquam essentialiter eis conveniens. Natura quippe humana hoc modo sumpta, communis est omnibus individuis seu singularibus humanis, ut liquet satis. Est insuper una in abstractionis statu, quia est præcisa à diffe-

differentiis multiplicantibus, nimirum à differentiis singularibus. Est quoque apta inesse multis inferioribus sola singularitate distinctis, scilicet pluribus singularibus humanis: dum verò natura humana apta est inesse multis inferioribus sola singularitate differentibus, apta est & de illis prædicari, & quidem sicut completa seu tota eorum essentia; quia quidquid in humanis individuis ultra humanam naturam est, illud omne censetur accidens, extra ipsorum essentiam positum.

Proprium definitur: *Vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale accidentale necessarium.* Cujus definitionis iste est sensus *Natura communis una, apta inesse multis inferioribus, & prædicari de illis, tanquam accidens necessarium.* Ejusmodi est *Risibile* abstractum à Petro, Paulo, aliisque individuis humanis, & ad ipsa comparatum, quasi eis accidentaliter necessariò conveniens. Nam in primis *Risibile* ita sumptum commune est Petro, Paulo, & aliis similibus individuis humanis; quandoquidem hæc omnia individua verè sunt risibilia. Præterea *Risibile* illo modo abstractum, est unum, quoniam in abstractionis statu recedit à differentiis individualibus, quibus in individuis humanis multiplicabatur. Est etiam aptum inesse multis inferioribus, videlicet Petro, Paulo, & aliis similibus aptum est quoque prædicari de illis, tanquam accidens necessarium; quoniam in primis est extra eorum essentiam, & ita est accidens respectu ipsorum. *Risibilitas* tamen necessariò connectitur cum hominis essentia, ita ut homo sit necessariò risibilis; ideòque Petrus, Paulus, & cætera individua humanam essentiam sive naturam hominis participantia, sunt necessariò risibilia, & ideò *Risibile* necessariò de illis prædicatur, videlicet sicut accidens necessarium. *Risibile* verò (& quodlibet aliud accidens proprium) dicitur prædicari *in quale accidentale necessarium*: quoniam si quæratur aliquis; *Quid est homo?* respondendum est:

Est

Est animal. Si autem rursus quærat: *Quale est animal?* responderi potest, vel per *Rationale*, quasi per differentiam specificam, dicendo: *Est animal rationale*; vel per *Risibile*, velut per accidens necessarium, dicendo: *Est animal risibile*.

Denique accidens definiri solet: *Vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale accidentale contingens*. Cujus definitionis iste est sensus: *Natura communis una, apta inesse multis inferioribus, & prædicari de illis, tanquam accidens contingens*. Hujusmodi est albedo abstracta à pariete, veste, & similibus subjectis, & ad ipsa comparata, velut accidentaliter contingenter ipsis conveniens. Primò namque albedo sic sumpta, est natura communis parieti, vesti, & similibus subjectis albis, ut patet. Insuper albedo sumpta illo modo est una, quia in abstractionis statu præcisa est à subjectis, in quibus multiplex numero efficiebatur. Rursus est apta inesse multis inferioribus, nimirum parieti, vesti, & similibus. Est etiam apta prædicari de illis tanquam accidens contingens: quia in primis est extra eorum essentiam; & consequenter est quoddam accidens extra ipsorum essentiam positum: & prætereà albedo contingenter se habet ad parietem, vestem, & similia subjecta; quoniam adesse & abesse potest, sine eorum corruptione, seu salva eorum essentia. Albedo autem (& quodvis aliud accidens contingens) dicitur prædicari *in quale accidentale contingens*; quatenus si inquirat aliquis: *Petrus-Gallus quid est?* respondebit Philosophus: *Est homo*. Si verò iterum quærat: *Qualis est homo?* poterit per albedinem, tanquam per accidens contingens, respondere, dicendo: *Est homo albus*. His præmissis & explanatis, duo in primo articulo examinanda occurrunt; scilicet; utrum divisio universalis in genus, differentiam, &c. sit adæquata; & utrum sit univoca, ac generis in species?

A R-

Articulus Primus.

An divisio universalis in genus, differentiam, &c. sit adæquata, univoca, & generis in species?

Dico 1. universale in communi adæquatè dividitur in Genus, Differentiam, Speciem, Proprium, & Accidens; ita ut nullum detur universale, quod ad unum ex enumeratis non reducatur: ita docent D. Thomas 1. cont. gent. cap.3. & in opusc.48. cap.1. & Peripatetici communiter, post Porphyrium, contra aliquos antiquos Philosophos.

Prob. 1. universale est unum aptum inesse multis; ac proinde tot debent esse universalia, quot modis unum potest inesse: atqui quinque tantùm modis unum potest inesse multis: ergo &c. Prob. min. quando unum inest multis; vel inest eis, tanquam aliquid essentiale, vel tanquam aliquid accidentale? Si primum; hoc tribus solùm modis fieri potest: si verò secundum; id duobus modis solùm potest concipi: ergo quinque modis duntaxat unum potest inesse multis. Prob. min. si unum inest multis tanquam prædicatum essentiale: vel exprimit totam eorum essentiam, vel partem essentiæ tantummodo? Si exprimit totam essentiam, est *Species*: si autem significet partem essentiæ duntaxat: aut illa pars est potentialis, & est *genus*; aut est pars actualis, & est *differentia*.

Si verò quod inest multis, insit eis sicut prædicatum accidentale; vel est accidens necessarium, & est *proprium*; vel est accidens contingens, estque ultimum universale, quod *accidens* nominatur. Et hoc totum ex dictis liquet.

Prob. 2. alia simili ratione: universale definitur quoque: *Unum aptum prædicari de multis*; subindèque tot admittenda sunt universalia, quot

modis unum de multis prædicari poteſt: atqui quinque ſolùm modis unū poteſt de multis prædicari: ergo &c. Prob. min. unum de multis prædicari tantùm poteſt, vel eſſentialiter, vel accidentaliter? Si prædicetur eſſentialiter de multis; aut exprimit totam eorum eſſentiam, vel ſolam eſſentiæ partem; ſi ſignificet totam inferiorum eſſentiam, eſt ſpecies; ſi verò deſignet ſolam eſſentiæ partem: vel illa pars eſt potentialis, & eſt *genus*; vel eſt actualis, eſtque *differentia*. Si autem unum prædicetur de multis accidentaliter: aut prædicatur accidentaliter neceſſariò, & eſt *proprium*; aut prædicatur accidentaliter contingenter, eſtque *accidens*. Hoc etiam ex dictis perſpicuum eſt.

Dico 2. diviſio univerſalis in genus, differentiam, &c. eſt univoca, adeò ut genus, differentia, &c. univocè participent rationem univerſalis in communi. Hæc concluſio eſt contra plures antiquos Philoſophos, & præcipuè B. Albertum Magnum, & Cantenum; quos ſequi videntur Fonſeca, Averſa, Telles, & alii. Noſtram tamen concluſionem docet D. Thomas q. 2. de univerſalibus, & 1. contra gentes cap. 33. ubi hæc habet: *Omne quod prædecatur univocè, vel eſt Genus, vel Species, vel Differentia, vel Proprium, vel Accidens*. Quibus verbis declarat, Genus, Speciem, Differentiam, &c. univocè participare rationem *prædicabilis*, ſeu *univerſalis*; proindèque ſunt quinque prædicabilia ſive univerſalia univoca. Div. Thomæ hac in veritate communiter Philoſophi ſubſcribunt.

Prob. concl. ratione fundamentali: diviſio univoca eſt ea, in qua membra dividentia, univocè ſive æqualiter participant totum diviſum: atqui membra dividentia in illa diviſione, ſcilicet Genus, Differentia, Species, &c. univocè aut æqualiter participant totum diviſum, videlicet univerſale in communi: ergo &c. Prob. minor.

universale in communi consistit in eo, quòd sit *unum aptum inesse multis, & prædicari de illis*; ut ex dictis constat: atqui hoc æqualiter participant genus, differentia, species, &c. ergo &c. Prob. min. Genus æquè est unum aptum inesse multis &c. ac Differentia, Differentia æquè ac Species, Species æquè ac Proprium, & Proprium æquè ac Accidens; & vicissim; ergo hoc, quod est *esse unum aptum inesse multis &c.* æqualiter à Genere, Differentia, specie, &c. participatur.

Respondent Adversarii, hoc, quod est, *esse unum aptum inesse multis, & prædicari de illis*, non participari à Genere &c. univocè aut æqualiter, sed analogicè tantùm, vel inæqualiter; eò quòd Genus, Differentia, & Species, insint multis, & de eis prædicentur essentialiter; Proprium verò, & Accidens accidentaliter duntaxat. Sed contra sic argumentor: licèt homo obtineat principium sentiendi modo rationali, & brutum habeat in se principium sentiendi modo irrationali, & ita modo inæquali; homo tamen & brutum univocè conveniunt in Animali, prout est principium sentiendi, quoniam tota hominis & bruti inæqualitas, est ex parte differentiarum ipsorum, nimirum ex parte *Rationalis* & *Irrationalis*; est verò perfecta æqualitas ex parte rationis communis & genericæ, secundùm quam animal est principium sentiendi: sic pariter quamvis Genus, Differentia, & Species insint multis, & prædicentur de illis, essentialiter; Proprium verò & Accidens insint multis ac prædicentur de ipsis, accidentaliter; ac proinde inæqualiter se habeant in modo, quo insunt multis, & de eis prædicantur; nihilominùs conveniunt univocè in universali, prout est unum aptum inesse multis, &c. quia tota eorum inæqualitas se tenet ex parte differentiarum, quibus inter se discrepant; est autem æqualitas simpliciter dicta ex parte rationis communis,

nis, secundùm quam universale in communi est *unum aptum inesse multis &c.* abstrahendo ab hoc, quòd id fiat essentialiter, vel accidentaliter solùm.

Dico 3. universale in communi dividitur in Genus, Differentiam &c. sicut genus in suas species. Hanc conclusionem illi omnes Philosophi defendunt, qui priorem tuentur.

Prob. ratione fundamentali: universale in communi se habet ad Genus, Differentiam, &c. sicut Genus ad species: ergo universale in communi dividitur in Genus, Differentiam &c. sicut Genus in suas Species. Prob. ant. Genus definitur: *Unum aptum inesse multis specie differentibus, ac prædicari de illis in quid incompletum*; ut ex dictis constat: atqui universale in communi se habet ad Genus, Differentiam &c. sicut unum aptum &c. ergo &c. Prob. min. & primò quidem universale in communi est unum aptum inesse multis: in hoc enim consistit essentia universalis in communi. Quòd verò Genus, Differentia, &c. quibus universale in communi aptum est inesse, sint multa specie differentia seu distincta; ex eo suadetur, quòd tunc aliqua censentur specificè & essentialiter differre, quando ex parte essentiæ distinguuntur: atqui Genus, Differentia, &c. ex parte essentiæ distinguuntur ergo &c. Prob. min. cùm essentia universalis in eo consistat, quòd sit unum in multis, ea universalia ex parte essentiæ distinguuntur, quæ differunt in modo, quo sunt in multis: atqui Genus, Differentia, &c. differunt in modo, quo sunt in multis: ergo &c. Min. colligitur ex allatis definitionibus Generis, Differentiæ, &c. in quibus sunt diversi modi, juxta quos Genus, Differentia, &c. possunt inesse multis, & de illis prædicari.

Præterea universale de Genere, Differentia, &c. prædicatur in quid; quærenti enim: *Quid est genus*, vel *Differentia? &c.* rectè respondet Logicus: *Est universale*. Insuper universale in

communi nihil aliud est, quàm unum aptum inesse multis: atqui hoc prædicatur *in quid* de Genere, Differentia &c. quandoquidem in quidditativis sive essentialibus eorum definitionibus illud ponitur; ut ex dictis constat: ergo &c. Cæterùm universale in communi non prædicatur *in quid completum*, sed *in quid incompletum* duntaxat; eo quòd universale in communi non exprimit completam seu totam Generis, Differentiæ, &c. quidditatem seu essentiam; sed tantùm illius partem potentialem, seu rationem communem per differentias ipsorum specificas contrahibilem.

§. I.

Præcipuæ contra primam conclusionem objectiones solvuntur.

OBjicies primò: tot sunt universalia, quot prædicamenta: atqui sunt decem prædicamenta, ut infra constabit: ergo sunt etiam decem universalia. Probatur maj. ex Aristotele 4. Metaph. cap. 2. tot sunt partes universale dividentes, quot sunt partes entis divisivæ: atqui partes universale dividentes, sunt ipsa universalia, in quæ distribuitur universale in communi; partes verò entis divisivæ, sunt prædicamenta; quandoquidem ens reale creatum in prædicamenta, velut in partes, dividitur: ergo &c.

Respondeo negando maj. ad cujus prob. ex Aristotele desumptam, dico, universale dupliciter accipi posse; nimirum, vel materialiter, vel formaliter. Priori modo sumptum significat naturam realem universalitatis formalis capacem. Posteriori autem modo designat formalem universalitatem, quæ est secunda intentio, qua natura communis ut una apta est inesse multis inferioribus, & prædicari de illis. Dum

igitur

igitur Philosophus loco in objectione citato ait, tot esse partes universale dividentes, quot sunt partes entis divisivæ; loquitur duntaxat de universali materialiter sumpto, seu de natura reali universalitatis formalis capaci; unde vult tantùm omnes naturas reales universalitatis formalis capaces comprehendi sub decem prædicamentis, quæ adæquatè ens reale creatum dividunt. Cum quo semper verum est, universalitatem formalem esse duntaxat quintuplicem; quoniam sunt tantùm quinque modi, quibus natura communis uoiversalitate formali affecta inesse potest multis inferioribus, & de illis prædicari; ut ex dictis liquet.

Inst. tot sunt universalia, quot sunt modi prædicandi, ut suprà dicebamus: atqui tot sunt modi prædicandi, quot sunt prædicamenta: ergo &c. Prob. min. cùm modus prædicandi sequatur modum essendi, tot sunt modi prædicandi, quot sunt modi essendi: atqui tot sunt modi essendi, quot sunt prædicamenta; quandoquidem in prædicamentis enumerantur omnes modi generales essendi, quibus nempe ens esse potest: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tot sunt universalia, quot sunt modi prædicandi naturæ univocè communis, concedo: quot sunt modi prædicandi naturæ transcendentis analogicè tantummodò communis, nego. Et distinguo similiter min. atqui tot sunt modi prædicandi naturæ transcendentis analogicè solùm communis, quot sunt prædicamenta, concedo: atqui tot sunt modi prædicandi naturæ univocè communis, quot sunt prædicamenta, nego min. & conseq. Ad prob. min. concessa maj. distinguo pariter min. atqui tot sunt modi essendi naturæ transcendentis analogicè communis, scilicet naturæ entis, quot sunt &c. concedo: atqui tot sunt modi essendi naturæ univocè communis, quot sunt &c. nego min. & conseq. sub distinctione data.

Objic. 2. Differentia subalterna, & Differentia infima, sunt universalia specificè distincta: ergo sunt saltem sex universalia specificè diversa: videlicet Genus, Differentia subalterna, Differentia infima, Species, &c. Prob. ant. idcircò Genus, & Species, sunt universalia specificè distincta, quia habent diversa inferiora; genus quippe respicit inferiora speciè diversa, species verò refertur ad inferiora solo numero distincta: atqui Differentia subalterna, & Differentia infima, obtinent quoque diversa inferiora; nam etiam Differentia subalterna respicit inferiora speciè diversa, sic *sensibile* respicit hominem, & brutum: Differentia verò infima refertur quoque ad inferiora solo numero distincta; sic *Rationale* refertur ad Petrum, Paulum, & alia individua humana, quæ solo differunt numero: ergo &c.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. nego majorem; enim ob quam Genus, & Species sunt universalia specificè differentia, non est præcisè, quoniam diversa habent inferiora, sed quia obtinent diversos essendi modos in inferioribus; Genus enim inest suis inferioribus tanquam pars potentialis, contrahibilis, & determinabilis; Species verò inest inferioribus suis, tanquam tota eorum quidditas seu essentia; at Differentia subalterna, & Differentia infima, licèt diversa obtineant inferiora, habent tamen eundem essendi modum in inferioribus; sicut etenim Differentia infima inest individuis solo numero distinctis, sicut actualis pars quidditatis eorum; ut patet in *Rationali*, quod inest Petro, Paulo, &c. velut quidditatis humanæ pars actualis, qua actuatur, contrahitur, & determinatur *Animal*, quod est ejusdem quidditatis pars potentialis, contrahibilis, & determinabilis: sic etiam Differentia subalterna inest inferioribus speciè differentibus, quasi actualis pars essentiæ ipsorum, ut liquet in *Sensibili*, quod inest homini & bruto

tanquam essentiæ animalis pars actualis, qua actuatur, contrahitur, & determinatur *Vivens*, quod est ejusdem essentiæ pars potentialis.

Objic. 3. tot sunt universalia, quot sunt prædicata communia: atqui ex Aristotele 1.top.c.4. sunt tantùm quatuor prædicata communia; scilicet Genus, Definitio, Proprium, & Accidens: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tot sunt universalia, quot sunt prædicata communia: si per prædicata communia intelligantur modi generales, quibus naturæ communes un atem formalem positivam habentes, inesse possunt multis inferioribus, & prædicari de illis, concedo; si per prædicata communia intelligantur principia quædam generalia, ex quibus communiter deducuntur argumenta topica, ad res probabiliter suadendas idonea, nego. Quando verò Aristoteles loco citato enumerat duntaxat quatuor prædicata communia, non accipit prædicata communia primo modo, sed secundo modo tantùm, prout Peripatetici solent interpretari; quæ quidem quatuor prædicata communia, seu principia generalia suo loco exponentur.

Objic. 4. universale in communi adæquatè dividi potest in universale essentiale, & universale accidentale; sicut *Animal* in *Rationale*, & *Irrationale*, adæquatè dividitur: ergo non debet in quinque species distribui. Prob. ant. ideò *Animal* in communi adæquatè in *Rationale*, & in *Irrationale* dividitur, quoniam omne animal vel est rationale, vel irrationale: ergo quia etiam omne universale vel est essentiale, vel accidentale, universale in communi adæquatè in essentiale & accidentale distribuitur.

Respondeo negando paritatem; disparitas est, quòd quamvis animal irrationale alias sub se species contineat; quia tamen species illæ, ob summam numerositatem suam, vix possunt recen-

feri, idcircò à Philosophis in divisione adæquata *Animalis* non enumerantur, sed sub irrationali compendiosè comprehenduntur. At species infimæ, in quas universale in communi dividitur, non sunt ita numerosæ; sunt enim quinque duntaxat, & idcircò in adæquata universalis divisione illæ quinque species recensefi antur necesse est. Unde universale in communi immediata partitione dividitur in essentiale, & accidentale, sicut in species subalternas; (id est, sicut in species divisibiles in alias species inferiores) universale verò essentiale subdividitur in Genus, Differentiam, & Speciem; & universale accidentale, in Proprium, & Accidens, sicut in species infimas, quæ videlicet in alias species inferiores distribui nequaquam possunt.

Objic. 5. Genus dividitur in Genus supremum, (ut est substantia) Genus infimum, (ut est animal) & Genus subalternum seu medium (ut est vivens, quod inter substantiam & animal mediat:) ergo sunt plusquam quinque universalia.

Respondeo negando conseq. dum enim fit universalis formalis divisio, non attenditur materiale universalis, seu natura communis capax universalitatis formalis; sed maximè consideratur formalis universalitas, seu aptitudo unius naturæ communis, qua potest inesse multis inferioribus, & prædicari de illis; unde divisio universalis formalis attendi debet secundùm diversos modos, quibus natura universalis potest inesse pluribus inferioribus, & prædicari de illis; ideòque ut universalia sint formaliter diversa, opus est, ut habeant diversos essendi & prædicandi modos de suis inferioribus: Genus verò supremum, Genus infimum, & Genus subalternum seu medium, servant eundem de inferioribus prædicandi modum; cùm unumquodque Genus, sive sit supremum, sive infimum, sive subalternum,

præ-

prædicetur tanquam potentialis pars essentiæ inferiorum, de quibus enunciatur: & ideircò Genus supremum, Genus infimum, & Genus subalternum, sunt quidem diversa universalia materialia, seu diversæ naturæ communes, quarum una est supr ma, altera infima, & alia subalterna, aut media: at non sunt diver a universalia formalia, diversos essendi & prædicandi modos habentia.

§. II.

Objectiones contra secundam conclusionem solvuntur.

OBjic. 1. ut divisio universalis in Genus, Differentiam &c. sit univoca, debent Genus, Differentia, &c. univocè rationem universalis participare: atqui univocè rationem universalis non participant: ergo &c. Prob. min. ratio universalis consistit in eo, quòd insit multis inferioribus, & de illis prædicetur: atqui hoc univocè non participatur à Genere, Differentia &c. ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. min. ea, quorum quædam essentialiter multis inferioribus insunt, ac essentialiter prædicantur de ipsis, alia verò accidentaliter insunt pluribus inferioribus, atque accidentaliter de illis prædicantur; univocè multis inferioribus non insunt, & de illis univocè nequaquam prædicantur: sicut ea, quorum unum existit per se, (cujusmodi est substant a) & alterum existit in alio, sicuti in subjecto, (quale est acc dens) minimè existunt univocè; ut communiter docent D. Thomæ Discipuli: atqui Genus, Differentia, & Species, multis inferioribus insunt essentialiter, ac essentialiter de eis prædicantur; Proprium verò & Accidens insunt multis inferioribus, atque prædicantur de illis accidentaliter; ut ex dictis constat: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando minor. ad

cujus prob. concessa iterum maj. nego min. Ad prob. min. nego major. & paritatem: disparitas est, quòd dum substantia existit per se, & accidens existit in alio sicuti in subjecto, atque ita modo inæquali & analogo; hoc provenit ex ipsa ratione entis, prout est radix existendi; ex eo nempè, quòd rationem aut radicem illam modo inæquali & analogo participent; adeò ut analogicè & inæqualiter sint entia, modo analogo & inæquali existentia. At quòd Genus, & Differentia, atque Species, multis inferioribus insint essentialiter, ac essentialiter de eis prædicentur; Proprium verò & Accidens insint multis inferioribus, atque prædicentur de illis accidentaliter; id non procedit ex communi ratione universalis, sed duntaxat ex specificis differentiis specierum rationem illam participantium; inæqualitas autem specierum, quæ ex differentiis specificis oritur, earum univocationem non impedit; ut ex dictis liquet.

Objic. 2. Genus est magis universale, quàm Species: ergo Genus & Species æqualiter rationem *universalis* non participant, proindèque nec univocè. Conseq. liquet; etenim inter ea, quæ æqualiter & univocè aliquod prædicatum superius participant, *magis*, & *minus*, reperiri non debent. Prob. autem antec. d. cùm universale sit unum aptum inesse inferioribus, & prædicari de eis, illud est magis universale, quod plura respicit inferiora: atqui Genus plura respicit inferiora, quàm Species: ergo &c. Prob. min. Genus pro inferioribus habet & species, & specierum individua: Speciei verò inferiora sunt sola individua: ergo Genus plura inferiora respicit, quàm Species.

Respondeo distinguendo ant. Genus est extensivè magis universale, quàm Species; quatenus Genus ad plura inferiora se extendit, quàm Species, concedo: Genus est intensivè magis universale, quàm Species, adeò ut Genus magis participet

ticipet naturam *universalis*, quàm Species, nego ant. & conseq. Ad prob. conseq. dico nequaquam repugnare, aliqua æqualiter participare unum prædicatum superius; & tamen inter ipsa reperiri *magis* & *minùs* ex parte extensionis, ita ut unum magis extendatur, quàm aliud; dummodò tamen inter illa non inveniantur *magis* & *minùs* ex parte intensionis, seu ex parte modi participationis illius prædicati, adeò ut unum magis, quàm aliud non participet illud prædicatum; Ad prob. ant. distinguo maj. cùm universale &c. illud est magis universale, quod intensivè plura respicit inferiora, ita ut sit magis unum aptum inesse pluribus illis inferioribus, & prædicari de ipsis, concedo: quod solùm extensivè plura respicit inferiora, adeò ut præcisè ad plura inferiora extendatur, nego. Et distinguo pariter minor. atqui Genus plura extensivè respicit inferiora, quàm Species; inquantùm Genus ad plura inferiora extenditur, quàm species, concedo: atqui genus intensivè plura respicit inferiora, quàm species, ita ut genus sit magis unum aptum inesse inferioribus, ac prædicari de eis, quàm species, nego. Ad prob. minor. concesso ant. distinguendum est cõsequens, distinctione data.

Objic. 3. univocum formale & propriè dictum, debet esse à differentiis inferiorum perfectè abstractum, ut docent communiter Thomistæ: atqui universale in communi non est perfectè abstractum à differentiis quinque prædicabilium: ergo &c. Prob. min. ab eo universale in communi non est perfectè abstractum, in quo includitur ratio *universales* in communi: atqui ratio ista concluditur in differentiis quinque prædicabilium: ergo &c. Maj. videtur manifesta. Prob. min. cùm universale in communi, ex sua ratione, sit unum aptum inesse multis, & prædicari de illis, in eo includitur ratio *universalis* in communi, quod de multis prædicatur: atqui ste-

rentiæ quinque prædicabilium de multis prædicantur: ergo &c. Prob. minor: differentia primi prædicabilis, seu generis, v.g. est inesse multis specie differentibus *in quid incompletum*; hoc verò prædicatur de natura viventis, de natura animalis, & de aliis naturis genericis, quarum quælibet inest multis specie differentibus *in quid incompletum*: similiter differentia tertii prædicabilis, sive speciei, est inesse multis solo numero differentibus *in quid completum*; id verò prædicatur de natura hominis, de natura leonis, & de cæteris naturis specificis, quarum quælibet inest multis solo numero distinctis *in quid completum*; similique modo differentiæ aliorum prædicabilium de multis prædicantur.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. concessa iterum maj. nego min. ad prob. ejus distinguo maj. cùm universale &c. in eo includitur ratio *universalis* in communi, quod de multis prædicatur; si prædicetur de multis tanquam de multis inferioribus naturam ipsius participantibus, concedo: si prædicetur de multis sicut de subjectis ab ipso, secundò intentionaliter denominatis, vel denominabilibus, nego: & similiter distinguo min. atqui differentiæ quinque prædicabilium de multis, velut de subjectis secundò intentionaliter ab ipsis denominatis aut denominabilibus, prædicantur, concedo: de multis, velut de inferioribus, prædicantur, nego. Ex hac distinctione & doctrina paret, quid sit dicendum de differentiis primi & tertii prædicabilis; respondendum enim est, differentias illas de multis quidem naturis prædicari at non sicut de inferioribus, sed duntaxat sicuti de subjectis ab eis secundò intentionaliter denominatis vel denominabilibus.

§. III.

§. III.

Satisfit adversariorum contra tertiam conclusionem objectis.

OBjic. 1. si *universalis* in communi divisio in quinque prædicabilia, foret divisio generis in species; universale in communi esset genus, & quinque prædicabilia essent species: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. min. si universale in communi foret genus, & quinque prædicabilia essent ejus species; sequeretur, universale in communi respectu ejusdem, scilicet respectu primi prædicabilis, esse superius & inferius: atqui hoc manifestè repugnat: ergo &c. Prob. sequela maj. & primò quidem universale in communi foret superius primo prædicabili; quoniam se haberet ad illud sicut genus ad speciem, genus verò superius est specie. Esset quoque illo inferius: nam primum prædicabile est genus universalissimè sumptum, universale autem in communi esset hoc genus determinatum: hoc verò genus determinatum est genere universalissimè accepto inferius.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. si universale in communi &c. sequeretur, universale in communi respectu ejusdem, scilicet respectu primi prædicabilis, esset secundò intentionaliter superius & inferius, concedo: sequeretur, universale in communi respectu ejusdem esse primò intentionaliter superius, & inferius, nego, & distincta similiter min. nego conseq.

Itaque duobus modis aliquid potest esse, vel superius, vel inferius; nimirum, aut primò intentionaliter seu realiter, & independenter à consideratione intellectus; aut secundò intentionaliter, sive ex sola intellectus consideratione, cum fun-

da-

damento à parte rei. Nequit ergo idem respectu ejusdem simul esse superius & inferius priori modo, benè tamen secundo modo; neque enim repugnat, quòd intellectus, cum fundamento à parte rei, idem sub diversa ratione consideret, etiam respectu ejusdem, adeò ut sub una ratione concipiatur ut superius, & sub altera ratione tanquam inferius respectu ejusdem apprehendatur.

Idque ita contingit in universali accepro in communi. Dum etenim intellectus ipsum considerat velut commune prædicatum univocè à quinque prædicabilibus participatum, se habet ut superius respectu quinque prædicabilium, quandoquidem tunc ad quinque prædicabilia, veluti genus ad species, comparatur: genus verò superius est speciebus; cùm autem universale in communi ab intellectu spectatur sicuti hoc genus determinatum, est inferius primo prædicabili, quod est genus universalissimè sumptum. Et in hoc nulla est repugnantia.

Objic. 2. & simul inst. si universale in communi esset genus, idem sub se ipso contineretur: atqui hoc absurdum est: ergo &c. Prob. maj. genus sub genere comprehendi, est idem sub se ipso contineri: atqui si universale in communi foret genus, genus sub genere comprehenderetur: ergo &c. Prob. min. primum prædicabile, quod est genus, sub universali in communi continetur: ergo si universale in communi est genus, genus sub genere comprehenditur.

Responde[o] negando maj. ad cujus prob. distinguo maj. genus essentiale sub essentiali genere comprehendi, est idem sub se ipso contineri, concedo: genus essentiale sub genere accidentali comprehendi, est idem sub se ipso contineri, nego. Et distinguo similiter min. atqui si universale in communi foret genus, genus essentiale sub genere accidentali comprehenderetur, concedo:

genus

genus eſſentiale ſub eſſentiali genere comprehenderetur, nego.

Hoc igitur diſcrimen eſt inter univerſale in communi, & primum prædicabile, quòd licèt utrumque ſit genus, non tamen eodem modo: etenim primum prædicabile, eſſentialiter, ſeu ex ſua eſſentia (qua eſt *unum aptum ineſſe multis ſpecie differentibus in quid incompletum*) genus eſt: univerſale verò in communi eſt genus accidentaliter tantùm, ita ut ex ſua eſſentia ſolùm ſignificet *unum aptum ineſſe multis*, & intellectus rationem aut ſecundam intentionem generis illi accidentaliter attribuat, prout à quinque prædicabilibus eſſentialiter & ſpecificè differentibus univocè participatur; ideòque dum primum prædicabile ſub univerſali in communi ponitur, idem ſub ſe ipſo nequaquam collocatur.

Objic. 3. & iterum inſt. ſi univerſale in communi eſſet genus, idem omninò foret cum primo prædicabili: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Min. perſpicua eſt; ſi etenim univerſale in communi idem omninò foret cum primo prædicabili, dum univerſale in communi dividitur in primum prædicabile (cæteraque prædicabilia) idem in ſe ipſum diſtribueretur, quod omninò abſurdum eſt. Prob. autem maj. ea planè ſunt idem, quibus eadem definitio competit: atqui eadem generis definitio, & univerſali in communi, & primo prædicabili, conveniret; quandoquidem ambo eſſent genera: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. ad cujus prob. diſtinguo maj. ea planè ſunt idem, quibus eadem definitio competit, eodem modo, concedo: quibus eadem definitio competit, ſed diverſo modo, nego maj. & diſtinguo pariter min. atqui eadem generis definitio, & univerſali in communi, & primo prædicabili, diverſo modo, conveniret, concedo: eodem modo conveniret, nego; definitio namque generis accidentaliter ſolùm univerſali in communi competit, cùm accidentali-

ter

tet tantùm genus sit; essentialiter verò convenie primo prædicabili, quod essentialiter genus est.

Objic. 4. & rursus inst. si universale in communi esset genus, species & individuum verè de genere prædicarentur: atqui id dici nequit: ergo &c. Min. manifesta videtur. Hæ enim propositiones, in quibus species & individuum de genere prædicantur: *Animal est homo: animal est hic homo:* sunt falsæ. Prob. autem maj. si universale in communi esset genus, istæ propositiones forent veræ: *Universale in communi est genus; universale in communi est hoc genus.* atqui in priori propositione, species de genere enunciatur; nempè genus, quod est prima species quinque prædicabilium, enunciatur de universali in communi, quod est genus: in secunda verò propositione, individuum de genere, scilicet hoc genus, de universali in communi prædicatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si universale in communi esset genus, primò intentionaliter species & individuum verè de genere prædicarentur, nego: secundò intentionaliter species & individuum verè de genere prædicarentur; subdistinguo: prædicarentur prædicatione accidentali, concedo: prædicarentur prædicatione essentiali, nego. Et distincta similiter min. nego conseq. Itaque species & individuum dupliciter accipi possunt, nempè primò intentionaliter, prout naturam realem specificam, vel individualem, significant; qua ratione se habent, *homo*, & *hic homo*: aut secundò intentionaliter, prout nimirum præcisè designant secundam speciei vel individui intentionem. Species ergo & individuum secundò intentionaliter accepta, prout præcisè secundam intentionem speciei vel individui exprimunt, possunt generi ab intellectu attribui; cùm etenim secunda speciei vel individui intentio ab intellectu nostro dependeat, eam potest intellectus illi subjecto attribuere in quo ipsius fundamentum invenit, in eo verò, quòd cum fundamento genus est

(cu-

(cujuſmodi eſt univerſale in communi) reperit intellectus fundamentum ſecundæ intentionis ſpeciei, quandoquidem ſecunda generis intentio eſt prima quinque prædicabilium ſpecies. In illo quoque, quòd cum fundamento eſt hoc genus determinatum (quale etiam eſt univerſale in communi) intellectus invenit ſecundæ intentionis individui fundamentum, quandoquidem quod eſt *hoc determinatum*, individuum quoddam eſt. At quia ſpecies & individuum primò intentionaliter accepta, deſignant naturam realem ſpecificam aut individualem, ab intellectu independentem, quæ à parte rei determinato ſubjecto, videlicet individuo, competit; idcircò alteri ſubjecto v. g. generi, ab intellectu per veram prædicationem tribui nequaquam poteſt. Hinc illæ prædicationes: *Animal eſt homo: animal eſt hic homo*: ſunt falſæ.

Objic. 5. & inſuper inſt. ſi univerſale in communi foret genus, una ſpecies verè de alia prædicaretur: atqui hoc minimè dici poteſt: ergo &c. Min. conſtat: iſtæ enim, propoſitiones: *homo eſt leo: leo eſt equus*: in quibus una ſpecies de alia prædicatur, omninò ſunt falſæ. Prob. verò maj. ſi univerſale in communi foret genus ad quinque prædicabilia, hæc quinque prædicabilia eſſent quinque ſpecies; ſubindéque hæc prædicatio: *Primum prædicabile, ſeu genus, eſt ſpecies univerſalis in communi*, in qua una ſpecies de alia, videlicet ſpecies de genere (quod etiam univerſalis in communi ſpecies eſt) prædicatur, vera foret.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi univerſale in communi foret genus, primò intentionaliter una ſpecies verè de alia prædicaretur, nego: ſecundò intentionaliter una ſpecies verè de alia prædicaretur, ſubdiſtinguo: prædicaretur prædicatione accidentali, concedo: prædicaretur prædicatione eſſentiali, nego. Et diſtincta ſimiliter min. nego conſeq. Ad prob. min. dico, hominem, leonem, &

& equum, esse species primò intentionaliter, quoniam naturas reales specificas, & ab intellectu independentes, significant; ideòque ab intellectu non pendet, ut leo de homine, vel equus de leone, verè prædicetur: at quinque prædicabilia sunt quinque species, sed præcisè secundò intentionaliter tales, adeò ut designent tantùm secundas intentiones generis, differentiæ, speciei, &c. quæ ab intellectu dependent, quarum proinde una alteri accidentaliter ab intellectu attribui potest, si ipse intellectus unius in altera fundamentum repeliat: in secunda autem intentione generis (quæ est prima species universalis) prout univocè naturam *universalis* participat, differtque essentialiter ab aliis secundis intentionibus, invenit intellectus fundamentum secundæ intentionis speciei; quandoquidem species nihil aliud est, quàm id, quod univocè particeps est naturæ generis, atque essentialiter ab aliis speciebus distinguitur.

Objic. 6. si universale in communi foret genus, & quinque prædicabilia forent species, ipsa quinque prædicabilia specificè differrent, ut patet: atqui quinque prædicabilia specificè non differunt, sed potiùs specificè conveniunt: ergo &c. Prob. min. quæ se habent tanquam species, censeri debent specificè convenire: atqui quinque prædicabilia se habent tanquam species; ut ex dictis constat: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. nego maj. sicut enim quæ se habent tanquam individua, specificè quidem conveniunt, sed individualiter distinguuntur: sic pariter quæ se habent sicut species, conveniunt quidem genericè, sed specificè differunt.

Articulus Secundus.

De Genere.

GEnus tripliciter potissimùm sumitur. Primò quidem pro stirpe aut familia: sic aliquem ex genere regali esse oriundum asserimus. Secundò pro patria: sic Plato Atheniensis, & Aristoteles Stagirites, nuncupantur. Tertiò tandem pro natura potentiali pluribus inferioribus specie differentibus communi: ejusmodi est animalis natura, quæ homini & bruto communis est. De genere autem hoc ultimo modo duntaxat accepto hic differemus.

Dupliciter verò à Peripateticis definiri solet. Primò quidem hoc pacto: *Genus est unum aptum inesse multis specie differentibus, in quid incompletum.* Secundò autem, isto simili modo: *Genus est unum aptum prædicari de multis specie differentibus, in quid incompletum.* Quæ quidem definitiones ambæ fuerunt supra explanatæ. Ejusmodi verò definitiones esse bonas legitimasque, ex eo suadetur, quòd tunc definitio bona est atque legitima, quando naturam rei definitæ adæquatè exponit, distinctè assignando & ejus rationem communem, & ipsius rationem differentialem; allatæ autem generis definitiones, illius naturam adæquatè explicant: ejus namque rationem communem assignant, per illa verba: *Unum aptum inesse, & prædicari de multis*; hoc quippe omnibus prædicabilibus commune est: assignant & rationem ipsius differentialem, dum asserunt, genus inesse multis specie differentibus, & prædicari de illis *in quid incompletum*; etenim id nulli alteri prædicabili competit, ac proinde genus in hoc à cæteris prædicabilibus differt.

Quæres, utrum illæ generis definitiones sint essentiales, vel accidentales tantum? Respondeo

deo 1. priorem Generis definitionem esse essentialem: nam sicut essentia *universalis* in communi posita est in eo, quòd sit unum aptum inesse multis; sic generis essentia in eo sita est, quòd sit unum aptum inesse multis specie differentibus *in quid incompletum*.

Respondeo 2. posteriorem generis definitionem esse accidentalem duntaxat; quoniam datur tantummodò per accidens proprium generis, sive per ejus proprietatem, videlicet per prædicabilitatem de multis inferioribus specie differentibus *in quid incompletum*.

§. I.

Quodnam sit primarium, formale, ac directum definitum in ipsa generis definitione.

NOtandum est, hoc nomen, *Genus*, esse terminum concretum; est verò ista termini concreti conditio, quòd significet formam ut subjecto concretam seu conjunctam, ideòque genus designat formam seu secundam generis intentionem ut afficientem naturam communem, quæ inest multis inferioribus specie differentibus, de ipsisque *in quid incompletum* prædicatur. Unde quia significatum generis in ipsius definitione exponitur, non solùm secunda generis intentio, verùm etiam natura communis generica, ad generis definitum pertinent; sed difficultas est, quo modo ad ipsum spectent. Ad cujus ampliorem intelligentiam.

Notandum est rursus, significatum alicujus termini posse esse, vel primarium, formale & directum; vel secundarium, materiale, & indirectum. Tunc terminus significat aliquid formaliter, primariò, ac directè, quando illud designat sicut formam primariò, & directè per ipsum importatam; hoc modo *album* denotat albedinem.

Si-

Significatum verò dicitur directum, quoniam per casum directum seu rectum, id est, per nominativum significatur: sic *Album*, ex suo significato directo, est albedo ut concreta subjecto, ubi albedo in casu recto aut nominativo designatur: tunc verò terminus exprimit aliquid materialiter secundariò, & indirectè tantùm, quando illud significat velut formæ subjectum secundariò & indirectè importatum per ipsum; isto modo *Album* exprimit albedinis subjectum. Significatum autem appellatur indirectum, quia in casu indirecto seu obliquo connotatur: sic, ut dixi, *Album* est albedo ut concreta subjecto; ubi hæc vox, *subjecto*, est in casu obliquo, nimirum in dativo.

Quæritur ergo, quodnam sit formale, primarium, & directum significatum hujus termini concreti, *Genus* quod formaliter, primariò & directè, in definitione ejus exponatur.

Prima sententia docet, formale, primarium, & directum definitum generis esse compositum seu aggregatum ex natura reali generica, & ex secunda genereitatis intentione, ita ut utraque ex æquo in ipsa generis definitione explicetur. Hanc sententiam tuentur Cabero, Rubio, & alii.

Secunda sententia affirmat, formale, primarium, ac directum generis definitum esse naturam realem genericam, ut secundæ intentioni genereitatis subjectam, adeò ut natura realis generica per casum rectum in definitione generis ponatur, & secunda genereitatis intentio per casum obliquum in eadem definitione collocetur. Istam sententiam propugnant Toletus, Aversa, Alphonsus, & alii.

Tertia sententia asserit, definitum formale, primarium, ac directum generis esse secundam genereitatis intentionem in concreto acceptam, id est, ut afficientem & denominantem naturam realem genericam, ita ut secunda genereitatis intentio definiatur in recto, & natura gene-

rica

rica in obliquo duntaxat. Sententiam istam docent Cajetanus, Masius, Complutenses, Joannes à S. Thoma, Ortizius, Arauxo, Martines, de Prado, Parra, cæterique Thomistæ communiter; quibus Scotistæ adhærent, ut fatetur Merinero c. 2. de genere disp. unica q. 1.

Dicendum est 1. formale, & primarium, atque directum generis definitum non esse compositum aut aggregatum ex natura reali generica, & ex secunda genereitatis intentione, ex æquo importatis. Ratio est, quia primarium, formale, ac directum generis definitum, unica definitione explicatur; definitio quippe generis est unius speciei (scilicet universalis) definitio: atqui præfatum aggregatum nequit unica definitione propriè dicta explicari: ergo &c. Prob. min. nullum ens aut compositum per accidens est unica definitione propriè dicta explicabile: atqui prædictum aggregatum est ens aut compositum per accidens: ergo &c. Min. in primis patet, nam ex communi Philosophorum doctrina, ea tantùm constituunt ens per se unum, quæ in eodem sunt prædicamento; natura verò generica, v. g. *Animalis*, & secunda genereitatis intentio, ejusdem non sunt prædicamenti; *Animalis* quippe natura est in prædicamento substantiæ, secunda autem genereitatis intentio in nullo determinato est prædicamento, sed per omnia prædicamenta vagatur; omnia quippe & singula prædicamenta secundam genereitatis intentionem important. Maj. verò est ipsa Aristotelis sententia, etenim ipse Philosophus 7. Metaph. lect. 3. expresse docet, nullum ens aut compositum per accidens esse definibile vera & propriè dicta definitione. Deinde, cùm definitio & natura definita debeant inter se [illegible]verti, ubi est unica definitio, ibi sit unica [illegible]a necesse est; in ente autem seu composito p[illegible]ccidens nequaquam est unica natura, sed in e[illegible]t multæ variæque naturæ ad diversa spectant[illegible]ædicamenta, simul per accidens aggre-

gregatæ; sic v. g. in *Albo* inveniuntur substantia parietis, & albedinis natura, simul per accidens congregatæ; quæ quidem naturæ sunt omninò diversæ, & in diversis prædicamentis constitutæ; adeò ut prior in prædicamento substantiæ ponatur, & altera seu posterior in prædicamento qualitatis colloretur; & prætereà duæ hujusmodi naturæ per accidens seu præter exigentiam suæ naturæ simul aggregantur.

Dicendum est 2. formale, primarium, & directum generis definitum, non esse naturam realem genericam ut secundæ genereitatis intentioni subjectam; tali modo, ut natura realis generica per eafum rectum in definitione generis ponatur, & secunda genereitatis intentio per casum obliquum in eadem definitione colloretur.

Ratio est, quia illud in recto explicatur in definitione generis, quod significat genus in recto: atqui genus in recto non significat naturam realem genericam, sed secundam genereitatis intentionem: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. cùm terminus concretus significet formam ut subjecto concretam, designat formam in recto ac immediatè, & subjectum mediatè tantùm ac in obliquo: ergo quia *Genus* est concretus terminus, debet formam ut subjecto conjunctam, id est, secundam genereitatis intentionem ut denominantem naturam genericam, denotare; adeò ut exprimat formam seu secundam intentionem genereitatis in recto ac immediatè, & subjectum seu naturam genericam in obliquo ac mediatè solùm.

Dicendum est 3. definitum formale, primarium, & directum generis esse secundam genereitatis intentionem in concreto acceptam, hoc est, ut afficientem & denominantem naturam realem genericam; ita ut secunda genereitatis intentio definiatur in recto, & natura real. generica in obliquo duntaxat. Hæc conclusio ex dictis sequitur. In primis namque definitum formale,

male, primarium, & directum generis, est illud, quod directè seu in recto *Genus* significat: *Genus* autem cùm sit terminus concretus, significat formam seu secundam intentionem genereitatis in concreto sumptam, sive ut subjecto (nimirum naturæ reali genericæ) concretam, ipsumque denominantem; eo modo, ut secundam genereitatis intentionem in recto exprimat, naturam verò genericam in obliquo duntaxat designet, ut ex dictis liquet. Deinde, concretus terminus secundæ intentionis, debet in recto secundam intentionem in concreto sumptam exprimere; *Genus* verò est apud Peripateticos concretus secundæ intentionis terminus.

§. II.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. illud est formale, primarium, ac directum generis definitum, cui in recto convenit generis definitio: atqui naturæ genericæ ut secundæ intentioni genereitatis subjectæ convenit in recto generis definitio; quæ est hæc: *Unum aptum inesse multis specie differentibus, & prædicari de illis in quid incompletum*; quandoquidem natura generica, ut secundæ intentioni genereitatis subjecta, est una apta &c. ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. illud est formale, primarium, ac directum, generis definitum, cui in recto convenit generis definitio, formaliter sumpta, concedo: cui in recto convenit generis definitio, materialiter tantùm accepta, nego maj. & distinguo similiter min. atqui naturæ genericæ, ut secundæ intentionis genereitatis subjectæ, convenit in recto generis definitio, materialiter accepta, concedo min. at qui naturæ genericæ, ut secundæ intentioni genereitatis subjectæ, convenit in recto generis definitio, formaliter sumpta, nego.

Ita-

Itaque definitio generis sumi potest, vel formaliter, scilicet ex parte formæ, qua genus formaliter constituitur, quæque in ipsius generis definitione primariò explicatur; vel materialiter, nimirum ex parte materiæ seu subjecti, cui forma illa ab intellectu applicatur. Priori modo sumpta, competit soli secundæ intentioni genereitatis. Posteriori autem modo accepta, convenit naturæ genericæ ut illi secundæ intentioni subjectæ. Formale verò, primarium, ac directum generis definitum est id duntaxat, cui in recto convenit generis definitio primo modo spectata.

Inst.1. dum homo definitur, formale, primarium, ac directum hominis definitum, est humana natura: ergo pariter dum definitur genus, ipsius formale, primarium, atque directum definitum, est generica natura.

Respondeo negando paritatem: disparitas est, quòd natura humana est formalis ratio hominis, qua nempè homo formaliter constituitur; natura verò generica non est formalis ratio constitutiva generis, sed est duntaxat ejus materia: ut ex dictis patet.

Inst.2. dum definitur homo, formale, primarium, & directum hominis definitum, est id, quod est animal rationale: ergo etiam cum genus definitur, formale, primarium, & directum ipsius definitum, est id, quod inest multis specie differentibus, ac de illis prædicatur *in quid incompletum*; quod utique non est secunda genereitatis intentio, sed est natura generica, prout illi secundæ intentioni subjecta.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo etiam cùm genus definitur, formale, primarium, & directum ipsius definitum, est id, quod secundò intentionaliter inest &c. concedo: est id, quod primò intentionaliter inest &c. nego [illegible] ...vis autem natura realis [illegible] ca, primò in[illegible]tionaliter sit id, quod in [illegible]

attamen genereitas est secundò intentionaliter id, quod inest &c. adeò ut verè sit id, quod per intellectum advenit naturæ reali genericæ sicut secunda intentio, qua ipsa natura generica fit formaliter & proximè una apta inesse &c.

Objic. 2. Porphyrius cap. de genere, & Aristoteles 1. Top. cap. 4. post assignatam generis definitionem, statim pro exemplo afferunt *Animal*, quod designat naturam genericam secundæ intentioni genereitatis subjectam; quæ *in quid incompletum* inest homini & bruto, de ipsisque prædicatur: ergo sentiunt, naturam genericam ut subjectam secundæ intentioni genereitatis esse formale, primarium, & directum, generis definitum.

Respondeo negando conseq. idcircò enim Porphyrius, & Aristoteles, locis citatis, post assignatam generis definitionem, pro exemplo afferunt *Animal*, quod designat naturam genericam secundæ intentioni genereitatis subjectam, quæ *in quid incompletum &c.* ut declarent duntaxat, se non definisse secundam genereitatis intentionem in abstracto sumptam, sed in concreto acceptam, prout denominat naturam genericam aptam inesse multis specie differentibus (quo modo homo & brutum sub animali differunt) & prædicari de illis *in quid incompletum*.

Inst. dum genus definitur: *Unum aptum inesse multis specie differentibus, & prædicari de illis in quid incompletum*: hujus definitionis formale, primarium, ac directum definitum, debet esse de quidditate seu essentia inferiorum specie differentium; ut constat ex ipsis terminis illius definitionis; atqui secunda genereitatis intentio non est de quidditate inferiorum specie differentium, benè tamen natura generica (sic v. g. secunda genereitatis intentio, quæ ab intellectu tribuitur animali, non est de quidditate hominis & bruti; imò homini repugnat, cùm homo sit species infima, cui secunda intentio genereitatis repu-

repugnans est; benè tamen generica animalis natura) ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. dum genus definitur: *Unum aptum &c.* hujus definitionis formale, primarium ac directum definitum materialiter sumptum, debet esse de quidditate seu essentia &c. concedo; revera namque natura realis generica, cui tanquam materiæ seu subjecto attribuitur secunda genereitatis intentio, quæ est prædictæ definitionis formale, primarium ac directum definitum; est de quidditate seu essentia inferiorum specie differentium, quibus inest, & de quibus prædicatur *in quid incompletum*; qua ratione generica animalis natura quidditativè aut essentialiter homini & bruto convenit. Hujus definitionis formale, primarium, ac directum definitum formaliter acceptum: nimirum ex parte formæ, in qua consistit; debet esse de quidditate seu essentia inferiorum specie differentium; subdistinguo: debet *ut quo* esse de quidditate &c. concedo: debet *ut quod* esse de quidditate &c. nego: quamvis verò secunda genereitatis intentio non sit *ut quod* de quidditate inferiorum specie differentium, id est, non sit prædicatum eorum quidditativum; est tamen *ut quo* de illorum quidditate, quatenus est id, quo prædicatum ipsorum quidditativum commune & genericum constituitur unum aptum inesse eis, & prædicari de ipsis, *in quid incompletum*.

Inst. rursus: definitum formale, primarium, ac directum præfatæ definitionis, prædicari debet de pluribus specie differentibus; ut ex dictis liquet: atqui secunda intentio genereitatis non prædicatur de pluribus specie differentibus, sed duntaxat de multis solo numero distinctis, scilicet de hac, & illa genereitate: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. definitum formale, primarium, ac directum, præfatæ definitionis, prædicari debet *ut quo* de pluribus specie differentibus; id est, debet esse id, quo natura ge-

nerica prædicetur de multis specie differentibus, concedo: prædicari debet *ut quod* de pluribus specie &c. ita ut debeat esse prædicatum genericum, quod de plutibus inferioribus specie distinctis enuncietur, nego: quamvis verò secunda intentio genereitatis non prædicetut *ut quod* de pluribus, quæ specie differunt; verè tamen de illis *ut quo* enunciatur, quatenus est forma secundò intentionalis, qua natura realis generica fit una apta in esse multis specie differentibus, & de ipsis prædicari.

Ex dictis inferes, quodnam sit formale, primarium, & directum definitum in definitione cujuslibet alterius universalis. Dicendum quippe est, definitum hujusmodi definitionis primarium, formale, ac directum, esse secundam intentionem cujuslibet universalis in concreto acceptam. Etenim cùm *differentia species, proprium, & accidens*, sint nomina concreta secundò intentionalia, primariò, formaliter, ac directè significant secundas intentiones quatuor illorum universalium in concreto sumptas; quæ subinde primariò, formaliter, ac directè, in illorum definitionibus explicantur, tanquam primaria, formalia, & directa definita; & idcircò in definitionibus differentiæ, speciei, proprii, & accidentis, secundæ illorum quatuor universalium intentiones in rectо exponuntur, naturæ verò reales, quibus secundæ illæ intentiones ab intellectu tribuuntur, solùm in obliquo explicantur.

Inferes quoque, quomodo genus in abstracto, seu genereitas, definiri debeat; hoc enim modo definitur: *Genereitas est unitas & aptitudo naturæ genericæ, ut insit multis specie differentibus, & de illis in quid incompletum prædicetur*. Cujus definitionis bonitas ex eo constat, quòd explicet id, in quo genereitas convenit cum secundis intentionibus aliorum universalium, & id, quo ab illis differt. Etenim, quòd genereitas sit unitas & aptitudo naturæ universalis, ut insit multis inferioribus, & de illis prædicetur, commune est genereitati cum se-

cun-

cundis intentionibus aliorum universalium, quarum quælibet est unitas & aptitudo naturæ universalis &c. quòd verò genereitas sit unitas & aptitudo naturæ genericæ, ut insit multis inferioribus specie differentibus, & de eis *in quod incompletum* prædicetur, est ratio differentialis, qua secunda intentio genereitatis, ab aliis secundis intentionibus universalium distinguitur, quando quidem id nulli illarum secundarum intentionum competit.

§. III.

Quomodo genus de inferioribus prædicetur?

NOtandum est 1. triplicem esse prædicationem; nam prædicatio alia est identica, altera materialis, & alia formalis. Identica prædicatio ea est, in qua prædicatum cum subjecto idem prorsus est; talis est ista prædicatio; *Hic homo est Petrus*. Prædicatio materialis illa vocatur, in qua prædicatum & subjectum, materialiter aut entitativè quidem à parte rei idem sunt; secundùm intellectum tamen à se mutuò & distinguuntur; & omninò excluduntur; ejusmodi est hæc prædicatio: *Animalitas est rationalitas* tametsi enim *Animalitas & Rationalitas* in homine sint à parte rei idem materialiter aut entitativè, attamen secundùm intellectum sese penitùs excludunt; quoniam intellectus eas concipit ut partes quidditatem humanam componentes; ex communi verò axiomate: *Partes mutuò sese prorsus excludunt*. Demum, prædicatio formalis ita nuncupatur, quoniam universale formale in ea de inferiori prædicatur; ut dum animal de homine enunciatur, dicendo: *Homo est animal*. Differt verò prædicatio formalis à prædicatione identica, & à prædicatione materiali, in hoc, quòd prædicatũ identicæ prædicationis actu capit quidquid in subjecto continetur, prædicatũ verò prædi-

cationis materialis nec actu nec in potentia subjectum ex parte intellectus comprehendit; in prædicato autem prædicationis formalis, sicut in toto potentiali, subjectum in potentia continetur. Hinc formalis prædicatio inter prædicationem identicam, & prædicationem materialem, media est.

Notandum est 2. totum in præsenti esse duplex, nempè totum actuale, & totum potentiale: primum ita dicitur, quia actu continet partes ipsum componentes; hoc modo homo Metaphysicè ex animali & rationali, Physicè verò ex corpore & anima, constat; homo quippe metaphysicè *animal & rationale*, physicè autem corpus & animam actu complectitur.

Secundum verò sic nominatur, quoniam partes in potentia duntaxat comprehendit. Hujusmodi est animal, quod in potentia hominem & brutum continet; eo ipso enim, quòd animal est contrahibile & determinabile ab homine & bruto per rationale & irrationale, quibus homo & brutum constituuntur, censetur ipsum animal in potentia confusè & obscurè rationale ac irrationale, nec non hominem & brutum continere.

Notandum est 3. gradum genericum, v.g. animal posse accipi ut totum potentiale, vel ut partem potentialem: animal priori modo, est gradus communis & universalis, contrahibilis & determinabilis ab homine & bruto per rationale & irrationale, hominem & brutum in potentia comprehendens. Posteriori autem modo est pars potentialis simul cum rationali componens hominem, vel cum irrationali constituens brutum. Quæ quidem compositio non est realis, sed rationis ratiocinatæ tantùm; quandoquidem animal & rationale in homine, vel animal & irrationale in bruto, sola ratione ratiocinata distinguuntur, ut ex alibi dictis liquet. Eadem compositio modò Metaphysica, modò Logica nuncupatur. *Metaphysica* quidem; quoniam ipsius partes (nimirum genus & differen-

ferentia) gradus Metaphysici à Philosophis appellantur. *Logica* verò; quia illius partes Logicè solùm, id est, sola ratione ratiocinata distinguuntur; cùm enim objectum Logicæ sit ens rationis ratiocinatæ (ut suo loco probatum est) ea Logicè se habere dicenda sunt, quæ talia fiunt secundùm rationem ratiocinatam tantùm. His prænotatis

Quæritur, quomodo genus de speciebus inferioribus prædicetur prædicatione formali; videlicet, an ut totum, an ut pars? Ubi non est sermo de genere sumpto ex parte secundæ intentionis genereitatis; sed de ipso accepto ex parte naturæ realis genericæ, quæ ab intellectu concipi potest, aut ad modum partis essentiæ specierum inferiorum, aut ad modum totius potentialis.

Circa quam difficultatem duæ sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, genus posse prædicatione formali de speciebus inferioribus prædicari, etiam præcisè ut partem saltem potentialem. Hæc sententia tribuitur Scoto, Paulo Veneto, Canteno, & aliis. Pro secunda sententia

Dico; genus prædicatione formali prædicari nequit de speciebus inferioribus, nisi ut totum potentiale. Ita sentiunt communiter Thomistæ, cum D. Thoma, opusc. 48. tract. 1. c. 4. & in 1. dist. 25. q. 1. ar. 1. ad 2. nec non de ente & essentia c. 3. Thomistas sequuntur Suar. disp. 15. Metaph. sect. 1. n. 15. & plures alii recentiores.

Probatur: prædicatio formalis sic appellatur, quoniam in ea universale formale de inferiori prædicatur; proindèque genus prædicatione formali prædicari nequit de speciebus inferioribus, nisi prædicetur de illis ut universale formaliter: atqui genus ut universale formaliter, est totum potentiale: ergo &c. Prob. min. sub ea ratione, genus est totum potentiale, sub qua species ipsum respiciunt tanquam partes ejus subjectivæ; neque enim species dicuntur partes subjectivæ generis, nisi quia ipsi ut toti potentiali subjiciuntur: atqui species respiciunt genus ut universale formaliter,

tanquam partes ejus subjectivæ: ergo &c. Prob. min. tunc species respiciunt genus, sicut partes ipsius subjectivæ, quando ei ut gradui formaliter superiori subjiciuntur; ut satis patet: atqui dum species respiciunt genus ut universale formaliter, ipsi ut gradui formaliter superiori subjiciuntur; cùm enim natura universalis sit gradus particularibus & inferioribus superior, ut docent communiter Peripatetici; natura ut universalis formaliter, est gradus formaliter ut superior, proindeque genus ut universale formaliter, est gradus ut superior formaliter, cui species subjiciuntur: ergo &c.

§. IV.

Objectiones diluuntur.

OBjic. 1. si genus, ut totum, de speciebus prædicandum foret, maximè, quia pars nequit verè de toto prædicari; ut ex dictis liquet: atqui hæc ratio nulla est, imò falsa; quandoquidem Aristoteles 1. Post. cap. 4. docet, partes definitionis verè de definito prædicari in primo modo dicendi per se, seu essentialiter: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad testimonium Aristotelis dico, partes definitionis verè quidem de definito in primo dicendi modo prædicari, at non prout sunt partes, sed prout ex modo significandi & concipiendi se habent tanquam totapotentialia.

Objic. 2. illud prædicatur ut pars, quod prædicatur ut aliquid incompletum; quod enim est incompletum, partiale est, juxta communem Peripateticorum doctrinam: atqui genus ut aliquid incompletum prædicatur, quandoquidem *in quid incompletum* prædicatur, prout suprà dictum est: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. aliud enim est, quòd genus prædicetur ut aliquid incompletum & partiale, & aliud quòd prædicetur

in quid incompletum; ad primum enim opus eſt, ut genus expreſſum ad modum partis incompletæ, prædicetur de toto; quod omninò repugnat: ad ſecundum verò ſufficit, ut genus non deſignet totam & completam ſpeciei quidditatem, ſed ſignificet tantùm partem ejus potentialem; quod quidem ita eſt. Hinc genus ex parte rei ſignificatæ & conceptæ, ſe habet ut aliquid incompletum & partiale, adeò ut res ſignificata & concepta nomine generis, ſit pars potentialis quidditatis ſpecierum inferiorum. Cæterùm ex parte modi ſignificandi & concipiendi, genus totum eſt potētiale, quoniam ſignificatur & concipitur tanquam aliquid contrahibile ac determinabile per differētias ſpecierū inferiorū, quas in potentia continet.

Inſt. quod cum alio totum componit, pars eſt, ut patet: atqui genus cum differentia ſpecifica, ſpeciem componit, prout apud omnes Peripateticos certum eſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui genus ex parte rei ſignificatæ atque conceptæ, cum differentia ſpecifica, ſpeciem componit, concedo: atqui genus ex parte modi ſignificandi & concipiendi, cum differentia ſpecifica, ſpeciem componit, nego; genus quippe ſub iſta acceptione non componit ſpeciem, ſed ipſam in potentia comprehendit.

Objic. 3. Idcircò animal v. g. ut pars potentialis, nequit prædicatione formali, de ſpeciebus (videlicet de homine & bruto) prædicari, quia eas in potentia non continet; quandoquidem animal ut pars, nec etiam in potentia, complectitur ſuas cōpartes, nimirum differentias ſpecificas, quæ in illis reperiuntur: atqui animal ut pars potentialis, continet ſuas ſpecies in potentia; hoc enim exigere videtur conditio partis potentialis: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. animal quippe dicitur potētialis ſpecierum pars, non quia illas in potentia complectitur, ſed quia eſt communis pars hominis ac bruti, ex ſe ad utrumque

indifferens, quæ ideòque indiget per differentias specificas contrahi & determinari; per *Rationale* quidem ad hominem, & per *Irrationale* ad brutum.

Inst. tunc animal prædicatione formali de homine & bruto prædicari potest, quando se habet ut contrahibile ac determinabile ab eis per *Rationale* & *Irrationale*; ut ex dictis liquet: atqui animal, ut est potentialis pars hominis ac bruti, est ab eis contrabibile ac determinabile per *Rationale* & *Irrationale*, quibus homo & brutum constituuntur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tunc animal, prædicatione formali, de homine & bruto prædicari potest, quando in actu primo se habet ut contrahibile &c. ita ut animal remaneat gradus superior contrahibilis ac determinabilis per *Rationale* & *Irrationale*, concedo. tunc animal, prædicatione formali, de homine & bruto prædicari potest, quando in actu secundo se habet ut contrahibile &c. adeò ut animal fiat actu & de facto contractum ac determinatum, vel ad hominem per *Rationale*, vel ad brutum per *Irrationale*, nego; eo enim ipso quòd animal sit contractum & determinatum actu, vel ad hominem per *Rationale*, vel ad brutum per *Irrationale*, non est ampliùs gradus superior, ac subinde prædicari prædicatione formali non potest; quandoquidem in prædicatione formali debet gradus superior de aliquo inferiori enunciari: & distinguo pariter min. atqui animal, ut est potentialis pars hominis ac bruti, est in actu secundo ab eis contrahibile ac determinabile per *Rationale* & *Irrationale*, &c. ita ut actu ac de facto sit contractum & determinatum ad hominem per *Rationale*, & ad brutum per *Irrationale*, concedo: atqui animal, ut est potentialis pars hominis ac bruti, est in actu primo ab eis contrahibile ac determinabile &c. adeò ut remaneat gradus superior contrahibilis & determinabilis

per

per *Rationale* & *Irrationale*, nego.

Objic.4. quamvis partes Physicæ, nimirum materia & forma, non possint rectè de toto prædicari (neque enim rectè dicitur : *Homo est materia*; vel : *Homo est forma*) attamen partes Metaphysicæ possunt verè de toto prædicari aut affirmari: atqui genus & differentia sunt partes Metaphysicè; ut certum est : ergo genus & differentia, prout sunt partes Metaphysicæ, verè possunt de toto Metaphysico, seu de specie prædicari. Prob.maj.ideò pars Physica nequit rectè de toto Physico prædicari, quia reipsa non est totum Physicum, sed duntaxat aliquid ejus : atqui pars Metaphysica reipsa est totum Metaphysicum; quandoquidem ex communi Peripateticorum doctrina, partes Metaphysicæ, videlicet genus, & differentia, à toto Metaphysico, seu à specie, realiter non distinguuntur, sed sula ratione ratiocinata differunt : ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quamvis partes Physicæ &c. attamen partes Metaphysicæ possunt verè de toto prædicari aut affirmari, prædicatione materiali, concedo: possunt verè de toto prædicari aut affirmari, prædicatione formali, nego; & concessa min. distinguo consequens distinstione data. Hoc itaque discrimen est inter partes Physicas, & partes Metaphysicas; quòd partes Physicæ realiter materialiter seu entitativè à toto distinguuntur, & idcireò verè nequeunt de illo affirmari, etiam prædicatione materiali; at partes Metaphysicæ realiter, materialiter aut entitativè, cum toto Metaphysico identificantur, & ideò verè de illo prædicatione materiali affirmantur; non tamen prædicatione formali, ob rationes suprà allatas.

Inst. si animal de homine & bruto prædicaretur ut totum potentiale, animal foret simul totum, & pars: atqui id manifestè repugnat: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si animal de homine & bruto &c. animal, sub diversa ratione aut consideratione, foret simul totum, & pars, concedo: sub eadem consideratione, foret simul totum, & pars, nego: licèt igitur idem non possit secundùm diversam intellectus cognitionem esse simul, & totum physicum, & pars physica, quoniam hoc ab intellectus cognitione non pendet: nequaquam tamen repugnat, idem Logicè vel Metaphysicè, sub diversa intellectus consideratione, esse simul totum & partem; quia id ab intellectu considerante dependet. Unde intellectus concipiens animal tanquam gradum superiorem contrahibilem ab homine & bruto per *Rationale* & *Irrationale*, ipsum apprehendit ut totum Metaphysicum & Logicum potentiale: considerans verò illud sicut aliquid hominis & bruti, quod cum *Rationali* & *Irrationali* utrumque componit, ipsum concipit ut potentialem hominis & bruti partem Metaphysicam.

Ex dictis colliges, alia quatuor universalia debere prædicatione formali de inferioribus, ut tota potentialia, enunciari. Ratio est, quia totum potentiale est illud, quod in potentia continet partes, ut ex dictis patet: atqui quatuor alia universalia in prædicatione formali debent suas partes, sive sua inferiora, in potentia continere: ergo &c. Prob. min. gradus superior contrahibilis ab inferioribus, est totum potentiale inferiora in potentia continens, ut ex dictis liquet: atqui alia quatuor universalia in prædicatione formali debent se habere ut gradus superiores ab inferioribus contrahibiles; quandoquidem universale nihil aliud est, quàm gradus superior ab inferioribus contrahibilis: ergo &c.

Articulus Tertius.

De Differentia.

Notandum eſt 1. Differentiam apud Porphyrium eſſe triplicem; alia namque eſt communis, alia propria, & alia maximè propria. Differentia communis eſt accidens commune, quo una res differt ab alia. Accidens commune, ut infrà conſtabit, eſt id, quod adeſſe poteſt & abeſſe ſine ſubjecti corruptione. Ejuſmodi eſt *albedo* in homine Gallo, qua ab Æthiope diſtinguitur. Differentia propria eſt accidens proprium, quo una res differt ab altera. Eſt verò accidens proprium id, quod quidem eſt extra ſubjecti eſſentiam, ſed tamen neceſſariò cum ea connectitur. Tale eſt *Riſibile*, quo homo à bruto diſtinguitur. Demùm, differentia maximè propria eſt ipſa eſſentialis & ſpecifica differentia, quæ nimirum eſſentialiter, & ſpeciem conſtituit, & ab omnibus aliis diſtinguit. Dicitur verò maximè propria, velut aliis placet, *propriſſima*; quoniam non tantùm convenit ſoli ſubjecto & ſemper, ſicuti differentia propria; ſed etiam eſt de ipſius eſſentia: eſſentia autem rei eſt aliquid ipſi maximè proprium ſeu propriiſſimum. Hujuſmodi eſt *Rationale* in homine; quo eſſentialiter, & conſtituitur homo, ſive ſpecies humana, & à brutis omnibus diſtinguitur.

Notandum eſt 2. agnoſcendam eſſe etiam triplicem differentiam maximè propriam; nimirum ſupremam, mediam ſeu ſubalternam, & infimam. Differentia ſuprema eſt, quæ ſuperiorem ſe non habet; ſic v.g. *Corporeum* & *Incorporeum*, ingenere ſubſtantiæ ſunt differentiæ ſupremæ, quibus ſupremæ illius generis ſpecies, nimirum ſubſtantia corporea, & ſubſtatia incorporea, conſtituuntur. Differeria infima eſt ea, qua inferior in eodem genere non datur; ejuſmodi eſt *Rationale*, in genere animalis, quo conſtituitur homo, qui eſt in-

ſima

fima ultimaque illius generis species. Differentia tandem media, seu subalterna, ea est, quæ supra & infra se specificas & essentiales admittit differentias, atque inter supremam ac infimam differentiam, medium sibi vendicat locum. Tale est *sensibile*, in genere substantiæ; etenim supra *sensibile* occurrit *animatum*, & infra illud reperitur *rationale*, ac inter ista duo collocatur.

Notandum est 3. duplicem posse assignari differentiæ definitionem. Prima hæc est: *Differentia est unum aptum inesse multis in quale quid.* Quæ definitio essentialis est, cùm tradatur per id, quod differentiæ est essentiale; sicut enim essentia *universalis* in communi in hoc sita est, quòd sit *unum aptum inesse multis*: sic etiam essentia differentiæ (prout universalis est) in hoc consistit, quòd sit *unum aptum &c.*

Altera definitio est ista: *Differentia est unum aptum prædicari de multis in quale quid.* Quæ definitio est descriptiva aut accidentalis duntaxat; quoniam procedit per aliquid, quod accidentaliter convenit differentiæ, videlicet per ejus proprietatem, nempè per prædicabilitatem de multis *in quale quid.* His omnibus prænotatis.

§. I.

Qualis sit divisio differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam?

Certum est, differentiam communem, propriam, & maximè propriam, non convenire univocè in ratione differentiæ Logicè acceptæ, prout nimirum est universale Logicum. Differentia namque prout *universalis* Logici obtinet rationem, est unum aptum inesse multis, & prædicari de illis *in quale quid*; ut ex dictis liquet: hoc autem univocè non convenit differentiæ communi, propriæ, & maximè propriæ; imò verò id nullo planè modo competit differen-

tiæ

tiæ communi, & differentiæ propriæ; cùm etenim utraque differentia illa sit extra quidditatem subjecti, nequit inesse ei, & prædicari de illo *in quale quid*. Hinc dum differentia dividitur in communem, propriam, & maximè propriam, divisum non est secunda intentio differentiæ accepta, prout est secundum universale aut prædicabile Logicum; etenim ratio divisi debet omnibus membris dividentibus convenire; secunda autem intentio illa, duobus membris dividentibus, nimirum differentiæ communi, & differentiæ propriæ, non competit, ut constat ex dictis. Divisum ergo in illa divisione est ratio formæ distinctivæ unius rei ab alia; estque difficultas, utrum differentia communis, differentia propria, & differentia maximè propria, modo univoco unam rem ab alia distinguant?

Circa quam difficultatem duæ Philosophorum sententiæ recensentur. Prima docet, divisionem differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam, esse univocam; ita ut illæ tres differentiæ conveniant univocè in ratione formæ, unam rem ab alia re distinguentis. Ita docent Lovanienses, Conimbricenses, & alii; quibus adhærent plures recentiores. Secunda sententia, ex opposito, negat, divisionem illam esse univocam, asseritque esse duntaxat analogam. Istam sententiam tuentur communiter D. Thomæ, & Scoti Discipuli.

Dico 1. Divisio differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam, est adæquata. Hæc conclusio apud Dialecticos communis est. Ratio facilis est & manifesta: etenim ut divisio differentiæ in communi, qua in communem, propriam, & maximè propriam, distribuitur, sit adæquata, satis est planè, ut tres differentiæ illæ adæquent differentiam in communi; adeò ut nulla omninò sit differentia, quæ non sit, vel communis, vel propria, vel maximè propria: atqui ita est de facto: ergo &c. Prob. min. omni-

nis prorsus differentia, vel est intra, vel extra essentiam rei, quæ ab alia differt; nam inter illa duo nihil medium concipi potest: si est intra essentiam rei, est differentia maximè propria, seu essentialis: si autem sit extra rei essentiam; vel necessariò cum ea connectitur, vel non? Si primum dicatur, est differentia propria, quæ nihil aliud est, quàm accidens proprium necessariò cum essentia connexum; si verò secundum asseratur, est differentia communis, quæ consistit in accidente communi extra essentiam posito, & cum ipsa necessariò non connexo.

Dico 2. Divisio differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam, non est univoca, sed analoga tantùm.

Prob. Divisio univoca est ea, in qua membra dividentia univocè aut æqualiter rationem divisi participant: atqui illius divisionis membra dividentia, univocè vel æqualiter non participant rationem divisi: ergo &c. Ma. perspicua est. Prob. min. divisum in præfata divisione est forma unius rei ab alia re distinctiva; ut ex dictis constat: atqui membra dividentia prædictæ divisionis, videlicet differentia communis, differentia propria, &c. univocè & æqualiter non participant rationem formæ unius rei ab alia re distinctivæ: ergo &c. Prob. min. ut differentia communis, differentia propria, &c. æqualiter obtinerent rationem formæ unius rei ab alia re distinctivæ, deberent æqualiter unam rem ab alia distinguere: atqui differentia communis, differentia propria, &c. æqualiter unam rem ab alia non distinguunt: ergo &c. Maj. liquet. Prob. verò min. ea æqualiter unam rem ab alia non distinguunt, quorum unum distinguit illam simpliciter, & alterum distinguit ipsam duntaxat secundum quid; in hoc enim manifesta est inæqualitas: atqui differentia maximè propria unam rem ab alia distinguit simpliciter, utpote essentialiter; differentia verò

communis, & differentia propria, simpliciter unam rem ab alia non distinguunt, sed secundùm quid tantùm, utpote accidentaliter: ergo &c. Perspicuum est ergo, divisionem differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam, non esse univocam, sed esse analogam duntaxat; quoniam tres illæ differentiæ non obtinent modo univoco & æquali, sed modo solùm analogo & inæquali, ratione formæ unius ab alio distinctivæ.

§. II.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. Differentia individualis, quæ inter Petrum & Paulum invenitur, nec est communis, nec propria, nec maximè propria: ergo adhuc verum est, allatam differentiæ divisionem non esse adæquatam. Prob. ant. & primò quidem individualis differentia inter Petrum & Paulum non est accidentalis, cùm Petrus & Paulus substantialiter differant. Non est etiam differentia propria; quoniam differentia individualis Petri, vel Pauli, non est naturæ humanæ proprietas necessariò connexa cum illa; alioquin ubi esset natura humana, ibi foret individualis differentia Petri, aut Pauli, quæ proinde foret in Joanne, in quo humana natura invenitur. Demùm non est differentia maximè propria, seu specifica; alioquin Petrus & Paulus specificè differrent; quod absurdum est.

Respondeo negando ant. differentia namque individualis, quæ inter Petrum & Paulum occurrit, revera accidentalis est; differentia enim ista comprehendit non solùm differentias Physicè accidentales, (quæ videlicet sunt accidentia Physica subjecto inhærentia) verùm etiam illas omnes, quæ licèt entitativè sint substantiales, sunt tamen

tamen extra essentias rerum, cum quibus necessariò non connectuntur; quamvis verò differentiæ individuales Petri & Pauli sint entitativè substantiales, sunt tamen extra essentiam humanam Petri & Pauli, & cum illa necessariò non connectuntur.

Inst. differentia inter masculum, & fœminam, intra eandem speciem humanam, major est differentia individuali inter Petrum & Paulum; cùm Petrus & Paulus sint ejusdem sexus, non verò masculus & fœmina: & consequenter non est accidentalis, sicuti est differentia individualis: non est etiam differentia propria, cùm rationes masculi & fœminæ, non sint proprietates speciei humanæ, sed omnibus animalium speciebus competant: præterea non est differentia maximè propria, seu specifica; quandoquidem masculus & fœmina non differunt specie, sed sunt intra eandem speciem: ergo differentia illa in allata divisione non continetur, quæ proinde divisio non est adæquata.

Respondeo distinguendo ant. differentia inter masculum, & fœminam, intra eandem speciem humanam, intra differentiæ accidentalis limites, major est differentia individuali inter Petrum & Paulum, concedo; cùm enim in Petro & Paulo (utpotè ejusdem sexus) sit eadem corporum dispositio; in masculo, & in fœmina, ob varietatem sexuum, sit accidentalis corporum diversitas; magis accidentaliter differunt masculus, & fœmina, quàm Petrus & Paulus: differentia inter masculum & fœminam, intra eandem speciem humanam, absolutè major est differentia individuali, &c. nego; etenim absolutè loquendo, juxta doctrinam Aristotelis 10. Metaph. Textu 25. & Philosophorum communiter, masculus, & fœmina, intra eandem speciem, individualiter solùm differre dicuntur.

§. III.

§. III.

Satisfit aliis objectis.

OBjic. 2. Si divisio differentiæ in communem, &c. non esset univoca, sed analoga duntaxat; esset utique, quia differentiæ illæ inæqualiter se habent: atqui hoc fundamentum nullum est: ergo &c. Maj. ex dictis liquet. Prob. min. Inæqualitas membrorum dividentium ex parte rationum particularium, non impedit, ne divisio sit univoca; ut patet in divisione animalis in hominem & brutum, quæ utique univoca est, tametsi homo & brutum, quantum ad rationes particulares, videlicet quantum ad *Rationale* & *Irrationale*, modo inæquali se habeant: atqui inæqualitas differentiæ communis, &c. est duntaxat secundùm rationes particulares, non verò secundum rationem communem, & generalem; ergo &c. Prob. min. Inæqualitas differentiæ communis, &c. consistit in eo, quòd differentia communis & differentia propria, differre faciant solùm accidentaliter, differentia verò maximè propria differre faciat essentialiter; ut ex dictis constat: atqui hæc inæqualitas est duntaxat secundùm particulares rationes differentiæ communis, &c. non autem secundùm rationem communem & generalem differentiæ, quæ ab illa inæqualitate abstrahit: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. concessa iterum ma. nego min. Ad prob. ejus concessa rursus ma. nego min. licèt enim inæqualitas illa directè non sit secundum communem & generalem rationem differentiæ, benè tamen indirectè seu per quandam redundantiam; siquidem ex eo, quòd differentia maximè propria differre facias essentialiter, obtinet rationem differentiæ absolutè sumptæ, (quæ est communis & generalis ratio differentiæ) simpliciter loquen-

quendo; ex eo autem, quòd differentia communis, & differentia propria, differre faciant solùm accidentaliter, habent rationem differentiæ absolutè acceptæ secundùm quid duntaxat. Unde communis & generalis ratio differentiæ, quæ in differentia communi, propria, &c. reperitur, perfectè à præfata inæqualitate non abstrahit, quandoquidem in illam redundat, ut patet ex modò dictis.

Objic. 3. Divisio *universalis* in *essentiale* (continens sub se genus, differentiam, & speciem;) & *accidentale* (comprehendens sub se proprium & accidens;) univoca est, ut alibi dictum est: ergo similiter divisio differentiæ in essentialem, (seu maximè propriam) & accidentalem (sive communem) & propriam, univoca censeri debet.

Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem; disparitas est, quòd ad rationem *universalis* sufficit planè, ut sit *unum aptum inesse multis*: quod simpliciter (ac proinde univocè) competit & *universali* essentiali, & *universali* accidentali ut suo loco dictum est suprà: at ad rationem differentiæ exigitur, ut faciat differre; quod differentiæ accidentali simpliciter non convenit; ut ex dictis liquet.

§. IV.

Per quem respectum constituatur differentia Logicæ universalis?

Differentia maximè propria, (de qua duntaxat hic sermo est) tria respicit; videlicet genus, quod contrahit ac dividit; speciem, quam constituit; & individua speciei, de quibus, ut prædicatum superius, enunciatur. Certum autem est, differentiam maximè propriam non esse Logicè universalem per respectum ad genus. Universale quippe Logicum apud Peri-

ripateticos, est prædicatum superius de inferioribus enunciabile: differentia verò maximè propria per respectum ad genus, non se habet ut prædicatum superius, cum potiùs differentia maximè propria sit genere inferior, utpote contrahens & determinans ipsum ad speciem inferiorem. Unde supereft difficultas solùm, utrum differentia maximè propria fiat Logicè universalis per respectum ad speciem, quam constituit, an per respectum ad individua, quæ ut inferiora respicit?

Circa quam difficultatem duæ sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, differentiam maximè propriam esse universalem Logicè, tam respectu speciei, quàm respectu individuorum; hanc sententiam tuentur Dominicus Soto, Cajetanus, Masius, Martines, Toletus, & alii.

Secunda asserit, differentiam maximè propriam fieri formaliter & Logicè universalem, non per ordinem ad speciem, sed per habitudinem ad individua duntaxat. Istam sententiam defendunt Sanchez, Complutenses, Joann. à S. Thoma, Parra, Linze, & alii Thomistæ communiter; quibus plures recentiores adhærent. Pro hac secunda sententia

Dico; differentia maximè propria infima nequaquam constituitur formaliter & Logicè universalis per ordinem ad speciem, infimam, quam constituit; sed per solum ad individua respectum.

Probatur ratione fundamentali. Sub eo respectu solo differentia maximè propria infima est formaliter & Logicè universalis, sub quo est prædicatum superius enunciabile de inferioribus; etenim universale Logicum apud Peripateticos, nihil est aliud quàm prædicatum superius, unum, aptum prædicari de multis inferioribus: atqui differentia maximè propria infima, non se habet ut prædicatum superius, per ordinem ad speciem, quam constituit; sed per solum

ſolum ad individua reſpectum: ergo &c. Prob. min. exemplo *Rationalis*; ſi enim *rationale* conferatur cum ſpecie humana, quam conſtituit, non ſe habet ut aliquid ſuperius, ſed duntaxat ut aliquid æquale; quandoquidem homo, (deſignans ſpeciem humanam) & *rationale*, ſeſe invicem adæquant, & inter ſe mutuò convertuntur: *rationale* verò in communi, ſuperius eſt quolibet individuo humano; cùm ad plura ſe extendat, & cum quolibet individuo humano non convertatur; nam non rectè dicitur: *Petrus* (qui eſt humanum individuum) *eſt rationalis: ergo rationale eſt Petrus*.

Ex dictis infertur, differentiam maximè propriam ſubalternam non fieri formaliter & Logicè univerſalem per ordinem ad ſpeciem ſubalternam, quam componit; ſed per ſolam ad ſpecies inferiores habitudinem. Ratio eſt, quia differentia ſubalterna cum ſubalterna ſpecie comparata, non ſe habet ut prædicatum ſuperius, ſed æquale. Neque etiam ſub eadem conſideratione eſt totum potentiale, ſed potiùs pars eſt actualis, unà cum gradu generieo ſuperiori, tanquam cum parte potentiali, componens ſpeciem ſubalternam.

Hinc *rationale* (quod eſt differentia maximè propriiſſima) formaliter & Logicè univerſale eſt, non per reſpectum ad ſpeciem humanam, ſed per ordinem ad Petrum, Paulum, ceteraque ſpeciei humanæ individua. Similiter *ſenſibile* (quod eſt differentia ſubalterna) formaliter & Logicè eſt univerſale, non reſpectu animalis quod conſtituit, ſed per habitudinem ad hominem & brutum.

§. V.

§. V.

Quædam objectiones solvuntur.

OBjic. 1. Differentia maximè propria, prout est formaliter & Logicè universalis, definitur: *Vnum aptum inesse & prædicari de multis in quale quid*: atqui differentia maximè propria, prout respicit speciem, est ejusmodi: ergo &c. Prob. min. Inesse multis, & prædicari de eis *in quale quid*, est inesse &c. tanquam actualis pars essentiæ, & quidditatis; ut paret ex alibi dictis: atqui differentia maximè propria, prout speciem respicit, inest & prædicatur tanquam actualis pars essentiæ & quidditatis specificæ: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. inesse multis, & prædicari de eis *in quale quid*, est inesse &c. tanquam actualis pars essentiæ & quidditatis, quæ concipiatur ut prædicatum superius, & ad modum totius potentialis, concedo: tanquam actualis pars essentiæ & quidditatis, quæ apprehendatur ut prædicatum æquale, & ut pars præcisè, nego: & distinguo pariter min. atqui differentia maximè propria, prout speciem respicit, inest & prædicatur tanquam actualis pars essentiæ & quidditatis specificæ, quæ apprehenditur ut prædicatum æquale speciei, & præcisè ut pars illius, concedo: inest & prædicatur tanquam actualis pars essentiæ & quidditatis specificæ quæ concipiatur ut prædicatum superius, & ad modum totius potentialis, nego.

Objic. 2. Differentia maximè propria refertur relatione formalis & Logicæ universalitatis ad inferiora: ergo & ad speciem; proindeque per relationem aut respectum ad speciem, est formaliter & Logicè universalis. Prob. conseq. differentia maximè propria non refertur ad inferiora, nisi

§. VI.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 3. Differentia maximè propria, prout importat respectum ad speciem, ipsi speciei æqualis est; ut ex dictis liquet: ergo sub illo respectu est Logicè & formaliter universalis. Prob. conseq. quod æquale est universali Logico & formali, Logicè & formaliter universale est; etenim unum universale non nisi per aliud universale adæquari potest: atqui species est Logicum & formale universale: ergo si differentia maximè propria, prout speciem respicit, ipsi speciei æqualis est; sit Logicè & formaliter universalis, necesse est.

Respondeo distinguendo ant. differentia maximè propria, prout &c. ipsi speciei æqualis est: si species consideretur, quatenus mutuum æqualitatis respectum ad differentiam maximè propriam habet, concedo: si species spectetur, quatenus superioritatis respectum obtinet ad inferiora, nego ant. & conseq. Ad prob. conseq distinguo ma. quod æquale est universali Logico & formali, Logicè & formaliter universale est: si sit æquale universali Logico & formali, sub eo respectu, sub quo est universale Logicum & formale, concedo: si sit æquale universali Logico & formali, sub eo duntaxat respectu, sub quo est universale Metaphysicum & fundamentaliter tantummodò, nego: differentia verò maximè propria, prout importat respectum ad speciem, non est æqualis ipsi speciei consideratæ sub eo respectu, sub quo est Logicè & formaliter universalis, nimirum sub respectu superioritatis ad inferiora; sed æqualis est illi sub eo respectu tantùm, sub quo universalis est Metaphysicè & fundamentaliter solùm; videlicet sub mutuo æqualitatis respectu, quem ipsa species importat ad differen-

tiam maximè propriam ut sibi coæqualem & correlatam.

Objic. 4. eo ipso, quòd differentia maximè propria respicit speciem, respicit quoque plura inferiora in potentia, respiciendo speciem, in qua tanquam in toto potentiali, multa individua continentur: ergo per re pectum illum Logicè & formaliter universalis est. Prob. conseq. ad universale Logicum & formale non requiruntur plura inferiora actu posita, sed sufficiunt multa inferiora existentia in potentia; hinc si Deus annihilaret omnes animalium species, & sola species humana remaneret; animal perseveraret genus Logicum & formale per respectum ad illas species in potentia existentes, seu possibiles: ergo si differentia maximè propria respiciendo speciem, plura inferiora in potentia respiciat, eo ipso Logicè & formaliter universalis est.

Respondeo distinguendo antec. eo ipso, quòd differentia maximè propria respicit speciem, mediatè respicit quoque plura inferiora in potentia; &c. concedo: immediatè respicit quoque plura inferiora in potentia, nego ant. & conseq. licèt etenim ad universale Logicum & formale non requirantur plura inferiora actu posita, sed sufficiant multa inferiora existentia in potentia; necesse tamen est, ut inferiora illa immediatè respiciantur à prædicato superiori, quod Logicè & formaliter universale denominatur: tametsi autem differentia maximè propria ad speciem comparata, habitudinem importet ad multa inferiora in potentia, non tamen immediatè, sed mediatè duntaxat, nimirum mediante specie, considerata ut toto potentiali, & ipsi differentiæ æquali.

Objic. 5. Si *Rationale* in communi, v. g. fieret Logicè & formaliter universale per respectum ad inferiora, utique per ordinem ad propria inferiora; ut patet satis: atqui *Rationale* in com-

mu-

muni non ſit Logicè & formaliter univerſale per ordinem ad propria inferiora: ergo &c. Prob. min. ſicut propria hominis in communi inferiora ſunt hic homo, ille homo, &c. ita propria *rationalis* in communi inferiora ſunt hoc *rationale*, illud *rationale*, &c. atqui *rationale* in communi non ſit Logicè & formaliter univerſale per ordinem ad hoc *rationale*, ad illud *rationale*, &c. ergo &c. Prob. min. cùm *rationale* in communi, inquantùm Logicè & formaliter univerſale, ſit unũ aptũ prædicari de multis *in quale quid*, ut ex dictis liquet; per reſpectum ad illud eſt Logicè & formaliter univerſale, de quo *in quale quid* prædicatur: atqui *rationale* in communi non prædicatur *in quale quid* de hoc *rationali*, de illo *rationali* &c. ſed *in quid completum*: ergo &c. Prob. min. prædicari *in quale quid* de aliquo, eſt prædicari de eo, tanquam actualis pars quidditatis ejus; prædicari verò de aliquo *in quid completum*, eſt prædicari de eo, tanquam completa ſeu tota quidditas ipſius: atqui *rationale* in communi non prædicatur de hoc *rationali*, de illo *rationali*, &c. tanquam actualis pars quidditatis eorum, ſed potiùs tanquam completa & tota quidditas ipſorum; eo proportionali modo, quo homo in communi de hoc homine, de illo homine, &c. prædicatur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi *Rationale* in communi, v.g. fieret Logicè & formaliter univerſale per reſpectum ad inferiora, utique per ordinem ad propria inferiora, quæ ſint talia formaliter, & ex parte modi prædicandi, qui differentiæ Logicè & formaliter univerſali proprius ſit, concedo: utique per ordinem ad propria inferiora, quæ ſint talia materialiter & ex parte rei prædicatæ, nego. Itaque duobus modis inferiora dici poſſunt *rationali* in communi propria; videlicet, vel formaliter, & ex parte modi prædicandi; ſi nempè *rationale* in communi de eis prædicetur modo formali proprio ipſi *rationali*, prout eſt

P 2 diffe-

differentia Logicè ac formaliter universalis ac prædicabilis; si nimirum de illis prædicetur *in quale quid*, qui modus prædicandi ita *Rationali*, & cuilibet alteri differentiæ maximè propriæ, Logicè & formaliter universali atque prædicabili, convenit, ut nulli alteri universali aut prædicabili competat: vel materialiter, & ex parte rei prædicatæ; si videlicet sint quædam prædicata individua, quorum completa & tota quidditas consistit in participatione *Rationalis* in communi. Propria inferiora *Rationalis* in communi priori modo accepta, sunt *hoc animal rationale, illud animal rationale, &c.* sive hic homo, ille homo, &c. de quibus urique *Rationale* in *quale quid* prædicatur. Propria autem inferiora *Rationalis* in communi posteriori modo sumpta, sunt hoc *rationale*, illud *rationale*, &c. *Rationale* ergo in communi fit Logicè & formaliter universale ac prædicabile per respectum ad propria inferiora, non posteriori, sed priori modo sumpta.

Dices: homo in communi constituitur Logicè & formaliter universalis per respectum ad hunc hominem, ad illum hominem, &c. ergo *Rationale* in communi non fit Logicè & formaliter universale per ordinem ad hunc hominem, ad illum hominem, &c. etenim diversa universalia Logica & formalia constitui debent per respectum ad diversa inferiora, non autem per ordinem ad eadem.

Respondeo distinguendo ant. homo in communi constituitur Logicè & formaliter universalis per respectum ad hunc hominem, ad illum hominem, &c. prout hic homo, ille homo, &c. sunt subjecta prædicationis *in quid completum*, concedo: prout hic homo, ille homo, &c. sunt subjecta prædicationis *in quale quid*, nego: & distinguo pariter consequens: ergo *Rationale* in communi non fit Logicè & formaliter universale per ordinem ad hunc hominem, ad illum hominem,

nem, &c. si hic homo, ille homo, &c. spectentur prout sunt subjecta prædicationis *in quid* completum, concedo: si hic homo, ille homo, &c. considerentur prout sunt subjecta prædicationis *in quale quid*, nego. Neque verò repugnat, quòd diversa universalia Logica & formalia constituantur per ordinem ad eadem inferiora diverso modo considerata; tunc etenim licet materialiter sint eadem, formaliter tamen diversa sunt.

§. VII.

Utrum differentia infima formaliter includat genus, differentiasque subalternas?

Distinguendus est duplex rei conceptus. Unus materialis est, & alter formalis. Tunc aliquid est de materiali conceptu rei, quando materialiter aut entitativè cum ipsa re identificatur: unde quia in uno & eodem individuo, differentia infima, genus, & differentia subalterna, tanquam gradus Metaphysici, realiter entitativè identificantur, ut alibi ostensum est; idcircò genus & differentia subalterna, sunt de conceptu materiali differentiæ infimæ. Tunc verò sentiendum est, aliquid esse de formali conceptu rei, quando est de conceptu ejus essentiali, adeò ut sit prædicatum illius essentiale, sine quo formaliter aut essentialiter adæquatè concipi nequaquam possit. Difficultas ergo est, utrum differentia infima in suo conceptu formali, & genus, & differentias subalternas, includat? v. g. utrum *Rationale* suo in conceptu formali contineat & *animal*, & *sensibile*?

Circa quam difficultatem tres sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, differentiam infimam formaliter genus includere; ita docent aliqui authores, sed pauci. Secunda asserit, differentiam infimâ in proprio conceptu formali diffe-

rentias subalternas comprehendere. Istam sententiam tuentur Nominales, quibus adhærent Flandria, Aversa, & alii recentiores. Tertia sententia affirmat, differentias subalternas non esse de conceptu formali differentiæ infimæ. Hanc sententiam defendunt Capreolus, Cajetanus, Sanchez, Joannes à S. Thoma, Joannes Martinez de Prado, Parra, & alii Thomistæ communiter, quibus subscribunt Scotistæ; item Rubius, Amicus, Hurtadus, Arriaga, & alii plurimi.

Dico 1. differentia infima in suo conceptu formali genus non complectitur. Ita docet Aristoteles 4. Topic. cap. 2. ubi sic ait: *Omne quod participat genus; vel species, vel individuum est: differentia autem, neque individuum, neque species: manifestum igitur, quod non participat genus differentia.* Si verò differentia infima non participat genus, evidens est, ipsam in suo conceptu formali non includere genus.

Prob. 1. ratione: si *Rationale*, v. g. (quod est infima hominis differentia) formaliter includeret *animal* (quod ejusdem hominis genus est) maximè in homine, qui ex *animali* & *rationali* constat: atqui *rationale* in homine formaliter non includit *animal*: ergo &c. Ma. liquet. Prob. min. *rationale*, & *animal*, in homine se habent ut compartes, ex quibus specifica hominis essentia componitur; juxta communem verò doctrinam Philosophorum, compartes, ex suis conceptibus formalibus, sese non includunt, sed potiùs excludunt.

Sanè, si *Rationale* formaliter *animal* contineret, ineptè pars actualis essentiæ specificæ hominis à Philosophis diceretur, quin potiùs enim tota hominis essentia specifica dici deberet; quandoquidem hæc essentia in *animali* & *rationali* adæquatè consistit.

Prob. 2. alia ratione: si *Rationale*, & *Irrationale*, formaliter *animal* continerent, in eo univocè con-

convenirent; eo quòd ipſum univocè & æqualiter includerent: atqui *Rationale* & *Irrationale* univocè in animali non conveniunt: ergo &c. Prob. min. ſicut ex eo, quòd homo & brutum univocè in animali conveniunt, rectè infertur, quòd per alia differant, nimirum per ſuas differentias proprias (eo quòd quæcumque diſtincta ſunt, in aliquo differant, neceſſe eſt;) ita ſi *Rationale* & *Irrationale* in animali univocè convenirent, per alias differentias different; quæ differentiæ deberent per alias differentias differre, & ſic in infinitum procedendo: proceſſus autem in infinitum apud Philoſophos admittendus non eſt.

Dico 2. Differentia infima in ſuo conceptu formali differentias ſubalternas non comprehendit. Hæc concluſio facilè colligitur ex præcedenti. Etenim ſi *Rationale*, v. g. ſuo in conceptu formali compleCteretur *ſenſibile*; utique in homine, qui ſimul, & rationalis, & ſenſibilis eſt: atqui *Rationale* in homine in ſuo conceptu formali non compleCtitur *ſenſibile*: ergo &c. Prob. min. *ſenſibile* eſt pars *animalis*, adeò ut *animal* ex *vivente* & *ſenſibili*, ſicut ex partibus Metaphyſicis, componatur; unde ſicuti *animal* eſt pars hominis, ita à fortiori *ſenſibile* pars hominis eſt; proindeque *rationale*, quod etiam eſt pars hominis, & *ſenſibile*, ſe habent in homine tanquam compartes, quæ ex ſuo conceptu formali ſe ſe mutuò excludunt.

Deinde, ſi *Rationale*, & *Irrationale*, ex conceptibus ſuis formalibus, *ſenſibile* importarent, utique ex æquo & univocè; ac proinde univocè in illo convenirent, ſicque deberent per alias differentias differre, quod planè tepugnat; ut ex dictis conſtat.

Dico 3. Genus in ſuo conceptu formali differentias, quibus contrahitur, non includit.

Prob. 1. *Animal* verum eſt genus, quod per *Rationale*, & *Irrationale*, ſicut per different as ſpecificas, contrahitur: atqui *animal* ſuo in conceptu

formali *Rationale* & *Irrationale* non concludit: ergo &c. Prob. min. ex communi Philosophorum doctrina, formalis conceptus rei, est ipsius conceptus essentialis: atqui *Rationale*, & *Irrationale*, in conceptu essentiali *animalis* non clauduntur: ergo &c. Prob. min. sola prædicata essentialia *animalis* in ipsius conceptu essentiali reperiuntur; ut patet: atqui *Rationale* & *Irrationale* non sunt essentialia *animalis* prædicata: ergo &c. Prob. min. sicut Petrus & Paulus nequeunt dici hominis participes, nisi omnia prædicata essentialia hominis obtineant; ita homo & brutum non possunt in partem *animalis* venire, nisi habeant omnia ejus prædicata essentialia; sicque homo deberet esse *irrationalis*, & brutum esse *rationale* necesse erit, quod planè absurdum est; imò erit necesse, hominem esse rationalem & irrationalem; & brutum esse irrationale & rationale; quod etiam absonum est.

Prob. 2. si *animal* in suo conceptu formali includeret *rationale*, maximè in homine, qui rationalis est: item si suo in conceptu formali complecteretur *irrationale*, utique in bruto, quod est irrationale: atqui *animal* in homine non includit *rationale* in suo cōceptu formali, similiter in bruto non complectitur *irrationale* in eodem conceptu: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. ex communi Philosophorum doctrina, partes se se invicem in suis conceptibus formalibus non includunt, sed potiùs sese mutuò excludunt: atqui *animal* & *rationale* in homine, item *animal* & *irrationale* in bruto, se habent ut partes Metaphysicæ, ex quibus homo & brutum Metaphysicè componuntur; ut communiter docent Philosophi: ergo &c.

Sanè, si *animal* suo in conceptu formali *rationale* concluderet, totam hominis essentiam exprimeret: quandoquidem hominis essentia in *animali* & *rationali* adæquatè consistit; ex communi verò Philosophorum acceptione, *animal* in homi-

homine, solam ipsius partem potentialem exprimit.

Dico 4. neque genus de differentia, neque differentia de genere formaliter prædicatur. Hæc conclusio sequitur ex doctrina superius tradita. Etenim, cùm prædicari sequatur esse, ut unum formaliter de alio prædicetur, requiritur, ut insit ei formaliter: atqui neque genus inest formaliter differentiæ, neque differentia generi: ergo &c. Prob. min. unum inesse formaliter alteri, est unum esse de conceptu formali alterius: atqui neque genus est de conceptu formali differentiæ, neque differentia est de formali conceptu generis; ut ex dictis & probatis liquet: ergo &c.

§. VIII.

Objectiones contra præcedentes conclusiones solvuntur.

OBjic. 1. quod formaliter de aliquo prædicatur, includitur in ejus conceptu formali: atqui genus formaliter de differentia infima prædicatur, v.g. *animal* de *rationali*: ergo &c. Ma. manifest. est. Prob. min. illo communi Syllogismo: *Omnis homo est formaliter animal: atqui omnis homo est formaliter rationalis: ergo aliquod rationale est formaliter animal.* In cujus Syllogismi conclusione, *animal* formaliter enunciatur de *rationali*, quod infima differentia est.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. dico, syllogismum illum non esse in forma, & rectè non concludere; ut enim syllogismus sit in forma positus, & rectè còncludens, requiritur, ut forma syllogismi, id est, dispositio propositionum ac terminorum, concordet cum materia, id est, cum ipsis propositionibus & terminis, adeò ut eis applicetur juxta ipsorum exigentiam & permissionem; termini verò illius propositionis: *Aliquod rationale est formaliter animal*, nimirum

rationale & *animal*, non permittunt, ut unum formaliter de altero enuncietur; quandoquidem designant partes, ex quibus specifica natura humana componitur; non permittunt autem partes, ut formaliter de se invicem prædicentur, cùm potiùs sese mutuò formaliter excludant.

Dici etiam potest, ex alio capite, allatum syllogismum non esse in forma; exigit quippe forma syllogistica, ut propositionum termini eodem modo in præmissis, & in conclusione accipiantur: in præfato autem syllogismo, *animal* & *rationale*, eodem modo in præmissis, & in conclusione non sumuntur; siquidem *animal* in majori significat totum potentiale & superius, quod de homine velut de inferiori prædicatur; *rationale* verò in min. designat prædicatum homini æquale, & cum ipso convertibile. *Rationale* autem, & *animal*, in conclusione exprimunt partem actualem, & partem potentialem, ex quibus natura specifica humana constat.

Objic. 2. *Substantia* est genus, & *rationale* est differentia infima: atqui *substantia* formaliter de *rationali* prædicatur; cùm enim *Rationale* formaliter sumptum constituat naturam substantialem, nempe naturam humanam, sit formaliter substantia necesse est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. substantia prædicamentalis est genus &c. concedo: reveta namque prædicamentalis substantia, est lineæ rectæ prædicamenti substantiæ supremum genus: substantia transcendentalis est genus, nego; est quippe duntaxat prædicatum transcendens, quod essentialiter, & ita formaliter, convenit omnibus entibus substantialibus, quæcumque tandem sint, sive genera, sive species; sive differentiæ, sive modi substantiales, &c. & distinguo similiter min. atqui substantia transcendentalis formaliter de *rationali* prædicatur, concedo: atqui substantia prædicamentalis formaliter de *rationali* prædicatur, nego min. & conseq.

Objic.

Objic. 3. *Vivens* est genus in recta linea prædicamenti substantiæ positum; ut omnes Peripatetici fatentur: atqui *Vivens* formaliter de *Rationali* prædicatur; *Rationale* enim vivit vita rationali: ergo &c.

Respondeo, cum simili doctrina, distinguendo maj. *vivens* prædicamentale est genus, &c. concedo: *vivens* transcendentale est genus, nego; etenim est tantùm aliquod prædicatum transcendens, quod ad omnia entia viventia se extendit, quæcumque sint, sive genera, sive species, sive differentiæ, sive modi naturarum viventium. Et pari modo distinguo min. atqui *vivens* transcendentale formaliter de *rationali* prædicatur, concedo: atqui *vivens* prædicamentale de *rationali* formaliter prædicatur, nego min. & conseq.

§. IX.

Aliæ objectiones solvuntur.

OBjic. 4. contra 2. conclus. D. Thomas exponens Textum Aristotelis 7. Metaph. lect. 13. Textu 43. expresse asserit, differentias ultimas seu infimas includere superiores seu subalternas.

Respondeo cum distinctione; concedo enim, differentias ultimas seu infimas identicè includere superiores seu subalternas, quatenus differentiæ ultimæ aut infimæ in uno & eodem individuo, realiter cum differentiis superioribus vel subalternis identificantur: sed nego, differentias infimas formaliter includere differentias subalternas, ita ut istæ sint de formali illarum conceptu. Et juxta hanc distinctionem D. Thomas & exponendus & intelligendus est.

Inst. Aristoteles 7. Metaph. Textu 43. admittit hanc propositionem: *Scissipedum est pedaliras*: ubi differentia superior de inferiori prædicatur; etenim per scissionem pedum intelligenda venit differentia inferior, qua animal bipes scissos

habens pedes, differt ab animalibus bipedibus pedes scissos non babentibus. Pedalitas verò designat differentiam superiorem & communem; etenim esse pedale, seu babere pedes, omnibus ferè animalibus commune est.

Respondeo 1. distinguendo allatam Aristotelis propositionem, hoc modo: *Scissio pedum est pedalitas*; in sensu identico, quatenus duæ illæ differentiæ in eodem animali bipede scissos pedes habente realiter identificantur, concedo: *Scissio pedum est pedalitas*, in sensu formali, adeò ut pedalitas sit de conceptu formali scissionis pedũ, nego.

Respondeo 2. iterum distinguendo eandem Philosophi propositionem, isto modo: *Scissio pedum est contractivè pedalitas*, inquantum scissio pedum est differentia contrabens pedalitatem in communi, concedo: *Scissio pedum est enunciativè formaliter pedalitas*, adeò ut pedalitas formaliter de scissione pedum enuncietur, nego.

Objic. 5. *Rationale* desumitur à forma, aut anima bumana, modo infrà explicando: ergo sicuti anima humana est formaliter rationalis, sensitiva, & vegetativa; ita *Rationale* formaliter *sensitivum* est & *vegetativum*.

Respondeo negando conseq. & paritatem; disparitas est, quòd anima bumana ex sua natura exigit, ut sit formaliter rationalis, sensitiva, & vegetativa; inquantùm ex sua natura ad formaliter constituendum hominem, qui formaliter rationalis, sensitivus, & vegetativus est, ordinatur. At *Rationale* ex sua natura non exigit, ut sit formaliter sensitivum, & vegetativum; tres enim differentiæ illæ in homine sunt partes ipsum componẽtes; partes verò ex sua natura sese mutuò excludunt, & una formaliter non est altera. Dici etiam potest, quòd quamvis anima humana sit formaliter rationalis, sensitiva, & vegetativa; non sequitur tamen, *Rationale* esse formaliter *sensitivum*, & vegetativum; quoniam non sumitur ab anima humana, prout est sensitiva & vegetativa, sed

sed præcisè prout rationalis est, seu principium ratiocinandi.

Objic. 6. *Corporeum* est differentia subalterna; quandoquidem sub *corporeo* aliæ differentiæ specificæ, nimirum *animatum*, *sensibile*, & *rationale* continentur: & propria equi differentia est infima; eo quòd illa in genere animalis inferior non datur: atqui propria equi differentia in suo conceptu formali includit *Corporeum*: ergo &c. Prob. min. quod formaliter materiale & corporeum est, in suo conceptu formali includit *Corporeum*: atqui propria equi differentia formaliter materialis est & corporea; sicut formaliter materialis & corporeus est equus, quem constituit: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. distinguo ma. quod formaliter materiale & corporeum est, materialitate & corporeitate strictè sumpta, in suo conceptu formali includit *Corporeum*, concedo: quod formaliter materiale & corporeum est, materialitate & corporeitate transcendentaliter accepta, in suo conceptu formali includit *Corporeum*; subdistinguo: includit *Corporeum* transcendentaliter spectatum, prout nempè est prædicatum transcendens omnia corporea, quæcumque tandem sint, concedo: includit *Corporeum* strictè consideratum, prout videlicet est differentia subalterna contractiva supremi generis substantiæ, nego: & distinguo similiter min. atqui propria equi differentia formaliter materialis est & corporea; materialitate & corporeitate transcendentaliter accepta, concedo: formaliter materialis est & corporea, materialitate & corporeitate strictè sumpta, nego: unde alio modo materialis & corporeus est equus, nimirum materialitate & corporeitate strictè accepta, eò quòd est species directè participans naturam corporis, quod est suprema species lineæ rectæ prædicamenti *substantiæ*, quodque per materialitatem aut corporeitatem strictè usurpatam constituitur.

§. X.

§. X.

Satisfit alteri difficultati connexæ præcedenti.

Quæri potest, quonam tandem modo genus contineat species, differentiasve suas; videcet, an actu, an in potentia.

Respondent aliqui recentiores, genus continere species differentiasque suas actu; non quidem expresso, claro, & distincto; sed implicito, confuso, obscuro, & indistincto; adeò ut, dum intellectus apprehendit *animal*, v.g. prout est genus hominis & bruti, actu concipiat implicitè, confusè, obscurè, & indistinctè hominem & brutum, nec non *Rationale* & *Irrationale*, quibus homo & brutum constituuntur; concipiat, inquam, hominem & brutum, secundùm quandam convenientiam, prout nimirum propriè animalitatem participant.

Philosophi tamen communiter docent, genus continere in potentia duntaxat species, & differentias earum constitutivas, quibus genus contrahi potest, ad illum proportionalem modum, quo materia prima substantiales comprehendit formas, à quibus informabilis est.

Quæ posterior sententia sic prob. 1. ex discrimine, quod Peripatetici statuunt inter prædicatum genericum, & prædicatum transcendens. Idcircò enim, apud illos, prædicatum transcendens, v. g. *ens*, actu implicitè, confusè, obscurè, & indistinctè continet inferiora, eorumque differentias, quia in conceptu formali ejusmodi differentiarum includitur, in ipsis imbibitur, illasque transcendit: hinc namque oritur, quòd ab eis perfectè abstrahi nequaquam possit, quæ proinde actu in ipso permanent semper, implicitè saltem: atqui prædicatum genericum, seu genus, non includitur in conceptu formali diffe-

rentiarum inferiorum (ut probatum eſt ſupra) in quibus proinde non imbibitur, nec ipſas tranſcendit: ergo &c.

Prob.2. ex communi Peripateticorum doctrina, genus debet propriè ac ſimpliciter eſſe unum aptum &c. atqui ſi genus actu implicitè, confuſè, obſcurè, & indiſtinctè differentias inferiorum actu includeret, non foret propriè & ſimpliciter unum, eo quòd genus per differentias inferiorum contrahitur & multiplicatur; hinc prædicatum analogum aut tranſcendens, non eſt propriè & ſimpliciter unum, quoniam non perfectè abſtrahit ab inferiorum differentiis, quas actu implicitè, confuſè, obſcurè, & indiſtinctè concludit, & à quibus propriè ac ſimpliciter multiplicitatem accipit: ergo &c.

Objic.1. Ariſtoteles 1. Phyſic. cap. 1. Textu 4. ſic ait: *Univerſale verò totum quoddam eſt: multa enim comprehendit, ut partes*: & lib.4.c.3. Textu 23. hæc iterum habet: *Homo continetur in animali, & omninò ſpecies in genere.* Rursus 7. Metaph.cap.4.dicit, multas in genere latere *æquivocationes*; id eſt, differentias diverſæ rationis. Ex quo triplici Ariſtotelis teſtimonio inferunt adverſarii, ſpecies, differentiaſque, actu in genere implicitè contineri.

Reſpondeo ad primum teſtimonium, univerſale eſſe totum quoddam potentiale, multa inferiora, velut partes ſubjectivas, in potentia comprehendens. Ad ſecundum teſtimonium, dico ſimiliter, hominem contineri in animali, & omnem ſpeciem in genere; at non actu, ſed in potentia ſolùm. Ad tertium teſtimonium, dico, multas differentias diverſæ rationis latere quidem in genere, at non ratione continentiæ actualis, ſed ratione potentialis incluſionis implicitæ & obſcuræ.

Objic. 2. *Animal* eſt genus, & *Rationale* eſt differentia: atqui *Animal* actu continet *Rationale*: ergo &c. Prob. min. quod complectitur totum, quod

quod eſt in homine, actu continet & *Rationale*; quandoquidem *Rationale* in homine eſt, ipſoque conſtituitur homo: atqui in hac propoſitione: *Homo eſt Animal*, ipſum animal totum complectitur, quod eſt in homine; alioquin falsò affirmaretur, hominem eſſe animal: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. diſtinguo maj. quod actu complectitur totum, quod eſt in homine, actu continet *Rationale*, concedo: quod in potentia duntaxat complectitur totum, quod eſt in homine, actu continet *Rationale*, nego; & eodem modo diſtinguo min. atqui in hac propoſitione: *Homo eſt Animal*, ipſum *animal* in potentia totum complectitur, quod eſt in homine, concedo: ipſum *Animal* actu totum complectitur, quod eſt in homine, nego: etenim quamvis ut affirmativa propoſitio identica ſit vera, requiratur, ut prædicatum comprehendat actu totum, quod eſt in ſubjecto; attamen ut formalis propoſitio affirmativa vera ſit, ſufficit planè, ut prædicatum in potentia includat totum, quod in ſubjecto reperitur; quoniam prædicatum hujuſmodi propoſitionis debet eſſe totum potentiale, quod in potentia tantùm partes comprehendit: allata verò ſuprà propoſitio: *Homo eſt animal*: eſt prædicatio formalis.

Objic. 3. nomen concretum actu importat & formam, & ſubjectum, cui concreta aut conjuncta eſt; atqui *Animal*, quo genus deſignatur, eſt nomen concretum; ſicuti *animalitas* eſt nomen abſtractum: ergo actu importat & formam, & ſubjectum, ideſt, animalitatem, & ſpecies, quibus animalitas ineſt.

Reſpondeo diſtinguendo maj. nomen concretum actu importat & formam in recto, & ſubjectum in obliquo, cui concreta &c. concedo; revera namque nomen concretum ſignificat formam ut ſubjecto concretam, ubi forma immediatè & in recto ponitur, & ſubjectum mediatè ſolùm ac in obliquo importatur: nomen concretum actu im-

por-

portat in recto, & formam, & ſubjectum, cui &c. nego: ideòque coneretum nomen genericum, *animal*, includit quidem actu, ſeu actu exprimit, & formam, ſeu animalitatem, & ſubjectum, ſeu ſpecies, quibus ineſt animalitas; non tamen eodem modo; ſed animalitatem immediatè, & in recto deſignat, mediatè verò, & in obliquo ſignificat ſpecies, per modum termini, à quo animalitas abſtracta eſt, & ad quem comparatur, ut una apta ineſſe illi, & prædicari de ipſo; cui etiam per judicium deinde attribuitur, ac de quo actu prædicatur.

§. XI.

Vnde genus, & differentia: tam in ſubſtantiis, quam in accidentibus, deſumantur.

NOtandum eſt, genus, & differentiam dupliciter accipi poſſe; videlicet, vel Logicè, vel Metaphyſicè. Genus priori modo ſumptum, eſt natura generica, ſive natura pluribus inferioribus ſpecie differentibus communis, ut affecta ſecunda intentione genereitatis. Genus verò poſteriori modo acceptum, eſt ipſa natura generica, ut potentialis, contrahibilis, ac determinabilis per differentias.

Differentia autem Logicè ſpectata, eſt natura differentialis (quæ nempè una ſpecies differt ab alia) prout habet ſecundam differentialitatis intentionem. Differentia verò Metaphyſicè uſurpata eſt natura actualis, contrahens, ac determinans naturam genericam.

Difficultas hic non eſt de genere & differentia Logicè ſumptis, ſed de ipſis Metaphyſicè acceptis; quæriturque, quodnam ſit principium ſeu fundamentum rationis genericæ, potentialis, contrahibilis, ac determinabilis; nec non rationis differentialis actualis, contrahentis, & determinantis, tam in ſubſtantiis, quàm in accidentibus.

Dico

Dico 1. in substantiis corporeis & materialibus, quæ nimirum ex materia & forma constant, genus & differentia sumuntur sicuti à fundamento aut principio proximo ac immediato, à tota compositi substantiali essentia, ut diversimodè spectata; genus quidem ab ea, secundùm quòd consideratur, ut univocè conveniens cum aliis speciè differentibus, ut potentialis, contrahibilis, & determinabilis; differentia verò ab illa, inquantùm apprehenditur, ut distincta ab iis, cum quibus genericè convenit, ut actualis, contrahens, & determinans: sive, quod idem est, in substantiis corporeis atque materialibus, genus & differentia sunt proximè & immediatè ipsa compositi substantialis essentia, diverso modo jam explicato considerata. Hæc doctrina apud Thomistas communis est.

Prob. ab illo, sicuti à proximo & immediato principio, in substantiis corporeis, genus & differentia desumuntur, quod in ejusmodi substantiis præbet intellectui nostro proximum & immediatum fundamentum concipiendi & distinguendi hujusmodi gradus; ut evidens est satis: atqui tota substantialis compositi essentia diversimodè spectata, ut explicatum est, præbet intellectui nostro proximum ac immediatum fundamentum concipiendi & distinguendi genus & differentiam in substantiis corporeis: ergo &c. Prob. min. ostensum est suprà suo loco, in uno & eodem composito substantiali, genus & differentiam non distingui realiter, sed per solum intellectum nostrum, cum fundamento à parte rei. Ex qua doctrina manifestè colligitur, genus (quod est gradus communis, potentialis, contrahibilis, & determinabilis) & differentiam (quæ est gradus distinguens, actualis, contrahens, & determinans) in uno composito substantiali corporeo, nihil aliud esse proximè & immediatè, præter essentiam talis compositi diversimodè ab intellectu nostro consideratam; ita ut sit genus, quatenus

ab

ab intellectu nostro concipitur secundum rationem communem (in qua univocè convenit cum aliis, à quibus specie differt) potentialem, contrahibilem, ac determinabilem; sit verò differentia, in quantùm à nostro intellectu apprehenditur secundùm rationem distinguentem, actualem, contrahentem, ac determinantem: Sicque patet, essentiam compositi substantialis corporei diversimodè spectatam, proximè & immediatè præbere intellectui nostro fundamentum concipiendi & distinguendi in eo genus & differentiam.

Hinc hominis essentia, quatenus radix est sentiendi, proximè ac immediatè fundat genericum *Animalis* gradum: prout autem est ratiocinandi vel discurrendi principium, est proximum ac immediatum differentialis gradus *Rationalis* fundamentum.

Similiter in Angelo, genericus gradus spiritus, in essentia ipsius Angeli ut immateriali, immediatè proximèque fundatur. Eadem verò essentia, prout est tantæ immaterialitatis, quæ Gabrieli v. g. propria est, proximum dici debet fundamentum differentiæ, qua Gabriel à Michaele differt.

Essentia etiam albedinis, prout cum cæteris qualitatibus coloribusve convenit, proximum exhibet intellectui nostro fundamentum concipiendi in illa genericos qualitatis & coloris gradus: in quantum autem eadem albedinis essentia constituit *Album*, quod ab omni alio quali atque colorato distinguitur, proximè fundamentum præbet apprehendendi in ea differentiam, ipsam ab omnibus aliis qualitatibus & coloribus distinguentem.

Unde quia homo est substantia corporea, quandoquidem ex corpore & anima constat, Angelus verò est substantia spiritualis & incorporea, cùm Angelus sit ab omni corpore prorsus alienus; albedo autem est accidens inhærens subjecto,
quod

quod album constituit: patet, essentiam diversimodè consideraram, sive in substantia corporea, sive in substantia spirituali & incorporea, sive in accidente, esse proximum atque immediatum generis & differentiæ fundamentum.

Dico 2. in substantiis corporeis genus sumitur à materia, & differentia à forma, sicut à principiis radicalibus. Hæc conclusio colligitur ex Aristotele, & D. Thoma, variis in locis. Etenim Aristoteles 8. Metaph. textu 9. hæc habet: *Quare substantia est quidem, cujus contingit, definitionem & rationem esse, ut puta, compositæ, sive sensibilis, sive intellectualis sit: ex quibus autem hoc primis non est; siquidem aliqua de aliquo significat ratio definitiva, & oportet, hoc quidem ut materiam, hoc verò ut formam esse.*

Quæ verba exponens D. Thomas, lect. 3. sic ait: *Ad solvendum istam dubitationem oportet dicere, quod substantia quæ definitur, sive sit intellectualis, sive sit sensibilis, oportet, quod sit composita. Ea verò ex quibus primò componitur, cum sint simplicia, non contingit definiri. Dictum est enim supra, quòd ratio definitiva adjungit aliquid alteri, quorum unum est ut forma, aliud ut materia; nam genus sumitur à materia, & differentia à forma.* Eandem Doctrinam tradit S. Thomas 7. Metaph. Textu 33. item opusc 42. cap. 4. & rursus 1. p. q. 50. art. 2. ad 1. & alibi sæpè. Hinc apud Philosophos commune est proloquium: *Genus sumitur à materia, & differentia à forma.*

Prob. cùm genus sit ratio conveniendi, & differentia sit ratio distinguendi; illud est primum & radicale generis principium, in substantiis materialibus corporeisque, quod in eis est prima & radicalis ratio conveniendi; id verò, in ipsis est differentiæ primum & radicale fundamentum, quod in illis est prima atque radicalis ratio distinguendi: atqui in materialibus substantiis, materia est prima radicalisque ratio conveniendi, forma verò est prima atque radicalis ra-

ratio distinguendi: ergo &c. Mj. manifesta est, prob. min. in primis enim si substantiarum materialium convenientiam expendere velimus, statim de materia ipsis communi cogitamus; primòque advertimus, eas in materia convenire, sicque in illis apprehendimus materiam, velut primam conveniendi rationem. Deinde ex communi Peripateticorum doctrina, substantiales formæ substantiarum corporearum, eas essentialiter primòque constituunt, proindèque essentialiter primòque distinguunt (ex trito enim proloquio: *Constitutivum idem est ac distinctivum*) adeò ut sint primæ rationes distinguendi illas ab invicem. Sanè docent communiter Philosophi, genus in ordine Metaphysico esse informabile seu contrahibile per differentiam, sicuti materia in ordine Physico per formam substantialem informabilis est; similiter in ordine Metaphysico, differentia est generis informativa aut contractiva, ad eum proportionalem modum, quo forma in ordine Physico est materiæ informativa: illo autem modo genus & differentia non se habent, neque in ordine Metaphysico materiæ & formæ conditionem sapiunt, nisi quia ab eis sicut à principiis radicalibus, in substantiis materialibus atque corporeis, oriuntur.

Cæterùm in substantiis spiritualibus & Angelicis non ita dicendum est. Cùm enim substantiæ illæ sint ab omni materia prorsus alienæ, genus in eis à materia radicaliter sumi nequaquam potest. Itaque superest, ut in qualibet substantia spirituali & Angelica, genus, & differentia à simplici ejus essentia diversimodè spectata, dûtaxat proveniant. Genus quidem ab ea, secundùm quòd univocè cû aliis speciè differentibus convenit, & prout potentialis est, contrahibilis, ac determinabilis. Differentia verò ab illa, in quantùm distinguitur ab iis, cum quibus genericè convenit, & prout actualis, contrahens, ac determinans est.

Hang

Hanc doctrinam tradit S. Thomas q. de Spirit. Creaturis ar. 1. ad 24. ubi sic ait: *Subtracta ergo materia à substantiis spiritualibus remanebit ibi genus, & differentia, non secundùm materiam & formam, sed secundùm quòd consideratur in substantia spirituali, tam id, quod est commune sibi, & imperfectioribus substantiis, quàm etiam id, quod est sibi proprium*. Eandem doctrinam repetit. 1. p. q. 50. ar. 2. ad. 1. item de ente & essentia c. 5. & opusc 42. cap. 5. & alibi sæpè.

In substantiis ergo spiritualibus genus & differentia desumuntur ab ipsarum essentia diverso considerata modo (ut suprà explanatum est) sicut à principio proximo, quod nimirum intellectui proximum exhibet fundamentum, genus & differentiam in eis concipiendi, & sicut à principio radicali seu ultimo, quoniam in substantia spirituali, ultra ejus essentiam, non dantur alia generis & differentiæ principia.

Dico 3. in accidentibus, consideratis ut talibus, genus & differentia, sicut à principio radicali & primo, desumuntur à subjecto, in obliquo ac de connotato diversimodè spectato.

Prob. & explicatur: accidentia inquantùm talia, ex primo conceptu suo, sunt entia subjecto inhærentia; adeò ut quidquid ex primario conceptu suo habent, illud totum importent per connotationem seu respectum ad subjectum ideòque genus & differentia in accidentibus, ut talibus, primò concipi debent cum connotatione ad subjectum diversimodè spectatum, ita ut genus seu ratio communis & generica in eis primò apprehendatur ex modo communi, quo insunt subjecto, differentiæ verò primò in illis concipiantur ex diversis modis specialibus, quibus singulæ accidentium species insunt subjecto; ratione quorum albedo inest subjecto, constituendo ipsum album, nigredo inest subjecto, ipsum reddendo nigrum, & sic de cæteris. Ex qua doctrina manifestè colligitur, in accidentibus, ut talibus, genus & differen-

ferentiam, ſicut à primo radicalique principio, deſumi à ſubjecto, in obliquo diverſimodè connotato.

Ubi advertendum eſt, propoſitam doctrinam eſſe intelligendam de accidentibus abſtractis, non verò de concretis. Ratio eſt, quia in illo tantùm quærendum eſt radicale primumque generis & differentiæ principium, quod genere conſtat & differentia; atqui accidens abſtractum conſtat genere & differentia, non autem accidens concretum: ; ergo &c. Min. quoad 1. p. patet exemplo albedinis, quæ componitur ex genere (v.g. ex generico coloris gradu) in quo cum nigredine convenit, & ex propria differentia eſſentiali, qua ſpecificè à nigredine diſtinguitur. Eadem min. quoad 2. p. non minùs evidens eſt, etenim accidens concretum dicitur illud, quod ſignificat formam accidentalem ut ſubjecto concretam; ideòque non ex genere & differentia, per modum *unius per ſe*; ſed ex ſubjecto & forma, ad modum *unius per accidens*, componitur.

Advertendum eſt turſus, inter accidentia, quædam eſſe, quæ per ſe primò ad objecta ordinantur, ut ſunt potentiæ, habitus, & actus. Hæc autem accidentia totum eſſe habent per ſe primò in ordine ad objecta; ideòque genus & differentia in eis ſunt ab objectis velut à primis & radicalibus principiis deſumenda: adeò ut genus, ſeu communis eorum ratio, ſumatur ex modo communi, quo in objecta tendunt, ipſorum verò differentiæ oriantur ex modis ſpecialibus & propriis, quibus circa objecta verſantur. Hinc potentiæ animæ rationalis, v. g. intellectus & voluntas, ex eo quòd circa objecta ſibi proportionata proximè & abſolutè operentur, genericè conveniunt: ex eo autem, quòd intellectus in objectum tendat intelligendo, & voluntas appetendo, ſpecificè differunt. Similiter ex eo quòd habitus & actus duarum ſcientiarum circa objecta ſua modo ſcientifico verſentur, eſt generi-

nerica inter ipsos convenientia: ex eo autem, quòd circa objecta ex propriis diversisque principiis procedant, specificè distinguuntur.

§. XII.

Quædam contra præcedentem doctrinam objectiones solvuntur.

OBjic. 1. si genus & differentia à materia & forma sicut à principiis radicalibus emanarent, id in omnibus creatis rebus verum forer; cùm non sit major ratio de una re creata, quàm de altera: atqui non est verum, in omnibus rebus creatis, genus & differentiam à materia & forma, velut à radicalibus principiis emanare: ergo &c. Prob. min. inter res creatas reperiuntur accidentia, nec non substantiæ Angelicæ, quæ ex materia & forma minimè coalescunt: in quibus proinde genus & differentia à materia & forma radicaliter non emanant.

Respondeo distinguendo maj. si genus & differentia à materia & forma, sicut à principiis radicalibus, emanarent, id in omnibus creatis rebus, ex materia & forma constantibus, verum foret, concedo; ipsâ enim major non est ratio de una re creata ex materia & forma constante, quàm de altera; id in omnibus creatis rebus, ex materia & forma non constantibus, verum foret, nego. Et distincta similiter min. nego consecq. Ad prob. min. dico, accidentia, & substantias Angelicas, esse res creatas, ex materia, & forma non compositas.

Objic. 2. si in substantiis corporeis, ex materia & forma constitutis, genus oriretur radicaliter à materia, & differentia à forma, id esset verum de omni genere, ita ut omne genus ipsarum ex materia radicaliter promanaret; atqui verum non est in substantiis corporeis, omne genus à materia radicaliter promanare: ergo &c. Maj. manifesta

festa est: prob. min. exemplo hominis, qui est substantia corporea; in eo quippe genus vivens non à materia, sed ab anima (quæ radix est vitæ) derivatur.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. dico, vivens, dupliciter accipi posse, videlicet, vel prout significat quod habet principium vitæ, vel prout significat gradum potentialem per sensibile contrahibilem. Vivens primo modo sumptum, à sola hominis anima enascitur; secundo autem modo consideratum, suboritur ex materia, non quidem nudè sumpta, sed ut informata per hominis animam ut vegetativam, dantem ipsi materiæ imperfectum esse vegetativum, contrahibile per esse *sensibile*.

Hæc solutio sumitur ex D. Thoma q. citata de Spirit. Creat. ubi sic ait: *In rebus compositis ex materia & forma, genus sumitur à materia, & differentia à forma; ita tamen, quod per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum & materiale, respectu esse specifici: sicut esse animalis est imperfectum & materiale respectu hominis, &c.*

Objic. 3. si in substantiis corporeis, genus radicaliter à materia sumeretur, substantiæ omnes corporeæ, quæ materiam haberent ejusdem rationis, forent ejusdem generis; atqui hoc dici nequit: ergo &c. Maj. videtur clara: prob. min. in omnibus substantiis corporeis sublunaribus invenitur materia ejusdem rationis; ut communiter docent Philosophi in Physica: & tamen omnes substantiæ corporeæ sublunares, non sunt ejusdem generis; alioquin, sicut equus est sub genere animalis, ita planta sub eodem foret genere, & ita animal diceretur.

Respondeo distinguendo maj. si in substantiis corporeis &c. substantiæ omnes corporeæ, quæ materiam, consideratam ut principium generis, haberent ejusdem rationis, forent ejusdem ge-

generis, concedo: substantiæ omnes corporeæ, quæ materiam, alio modo spectatam, haberent ejusdem rationis, foreot ejusdem generis, nego; & distincta similiter min. nego conseq. Liceet autem in omnibus substantiis corporeis sublunaribus inveniatur materia ejusdem rationis, si ipsa materia consideretur ex parte modi habendi formam, adeò ut materia in omnibus substantiis corporeis subluoaribus eodem modo habeat formam, videlicet modo amissibili, ita ut amittere possit formam, quam habet; ex quo fit, omnes substantias corporeas sublunares esse corruptibiles, ratione separabilitatis materiæ à forma: attamen in omnibus substantiis corporeis sublunaribus materia non est ejusdem rationis, si ipsa spectetur, prout est radicale principium talis generis, ver. grat. *Animalis*; etenim materia non est principium radicale *Animalis*, nisi prout informata per animam sensitivam dantem ipsi esse *Sensibile*, contrahibile per esse *Rationale*, vel *Irrationale*; materia verò isto modo informata non est in omnibus substantiis corporeis sublunaribus, sed in solis viventibus sensitivis.

Objic. 4. si genus in substantia corporea radicaliter à materia oriretur, substantiæ corporeæ, quæ materias diversæ rationis obtinerent, diversi essent generis, & nunquam sub eodem genere ponerentur: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Maj. evidens est prob. min. substantiæ corporeæ cœlestes, & substantiæ corporeæ sublunares, materias diversæ ratioois important; ut dicetur in Physica; & nihilominùs in eodem genere substantiæ colloeantur, ut communiter docent omnes.

Respondeo distinguendo maj. si genus &c. substantiæ corporeæ, quæ materias, consideratas per modum principii generis, diversæ rationis obtinerent, diversi essent generis, &c. concedo: substantiæ corporeæ, quæ mate-

rias

tias alio modo acceptas, diverſæ rationis obtinerent, diverſi eſſent generis, &c. nego. Licèt autem ſubſtantiæ corporeæ cœleſtes, & ſubſtantiæ corporeæ ſublunares, obtineant materias diverſæ rationis, ex parte modi habendi formam; adeò ut materia in ſubſtantiis corporeis cœleſtibus modo inamiſſibili, & in ſubſtantiis corporeis ſublunaribus modo amiſſibili, formam poſſideat; unde materia in prioribus ſubſtantiis nequit formam amittere, ex quo oritur earum incorruptibilitas; materia autem in poſterioribus ſubſtantiis formam amittere poteſt, ex quo reſultat earum corruptibilitas: attamen ſubſtantiæ illæ habent materiam ejuſdem rationis, ſi ipſa materia conſideretur, prout eſt radicale principium generis *ſubſtantiæ*, generiſque *corporis*; materia namque eſt radicale generis *ſubſtantiæ* principium, prout informatur ſubſtantiali forma dante ipſi eſſe *ſubſtantiale*; eſt verò generis *corporis* radix, quatenus actuatur forma tribuente illi eſſe *Corporeum*: materia autem utraque modo illo in ſubſtantiis corporeis cœleſtibus & ſublunaribus informatur aut actuatur, & idcircò ex hac parte in hujuſmodi ſubſtantiis eſt ejuſdem rationis.

Objic. 5. ſi genus in ſubſtantiis corporeis foret radicaliter à materia deſumendum, eſſet maximè, quia materia eſt pura potentia, & genus eſt gradus potentialis; atqui hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Maj. ex dictis liquet. prob. min. ſi ex eo, quòd genus eſt gradus potentialis, eſt à materia radicaliter colligendum; ſequitur etiam, differentiam ſubalternam eſſe à materia ſumendam; quandoquidem differentia ſubalterna eſt gradus potentialis, utpotè à differentia infima contrahibilis; *Senſibile* enim eſt à *Rationali* contrahibile: atqui inauditum eſt, differentiam ſubalternam debere deſumi à materia: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. nego sequelam maj. & paritatem; disparitas est, quòd genus est gradus absolutè in se potentialis, per differentias specificas contrahibilis: at differentia subalterna est in se absolutè gradus actualis contrahens genus superius (qua ratione, *sensibile* absolutè contrahit *vivens*) est verò potentialis & contrahibilis solùm respectivè & secundùm quid, videlicet per respectum ad differentias inferiores.

Dici quoque potest, differentiam infimam non contrahere differentiam subalternam per se, aut ratione ipsius differentiæ subalternæ; sed per accidens tantùm, aut ratione speciei subalternæ, quam constituit: sic v. g. *Rationale* non contrahit *sensibile* per se, vel ratione ipsius *sensibilis*; sed per accidens aut ratione *animalis*, quod constituit.

Objic. 6. gradus individualis (ex communi Thomistarum doctrina) in substantiis corporeis, radicaliter ex materia oritur: ergo gradus genericus ab illa radicaliter non derivatur; diversi enim gradus, diversa exigunt principia radicalia.

Respondeo distinguendo ant. gradus individualis in substantiis corporeis, radicaliter ex materia, quantitate signata (id est, per quantitatem determinata, ut sit hæc individualiter) exoritur, concedo: radicaliter ex materia, ut informata per substantialem formam, dantem esse substantiale imperfectum & contrahibile, exoritur, nego; & distinguo pariter consequens: ergo gradus genericus ab illa (scilicet materia) ut signata quantitate, radicaliter non derivatur, concedo: ergo gradus genericus ab illa per substantialem formam modo à dicto informata, radicaliter non derivatur, nego. Nec repugnat, diversos gradus à materia diversimode spectata radicaliter suboriri; quia licet tunc materia sit eadem in ratione entis, diver-

sa tamen aut multiplex est in ratione principii radicalis.

Dices: accidentia radicaliter à subjecto individuantur; ut communiter docent Thomistæ in Metaphysica: ergo ab illo, ut à principio radicali, genus non desumunt; etenim radicalia individuationis, & generis principia in accidentibus, assignentur diversa necesse est.

Respondeo distinguendo ant. accidentia radicaliter à subjecto individuantur, &c. si subjectum consideretur, ut est principium contractionis accidentium; prout nempè est passivum principium contrahens unumquodque accidens, ut sit hoc individualiter, concedo: si subjectum spectetur, prout est terminus communis connotationis accidentium, nego; & distinguo pariter consequens: ergo ab illo (scilicet subjecto) ut à principio radicali, genus non desumunt; si illud (nempè subjectum) sumatur, quatenus est principium contractionis accidentium, concedo: si illud accipiatur, inquantum est terminus communis connotationis accidentium, nego; ex eo etenim, quòd accidentia connotent subjectum, ipsique insint modo communi, genericè conveniunt, ut ex dictis liquet. Unde in accidentibus, radicale principium individuationis, & generis, est quidem idem in ratione entis; sed diversum ac multiplex est in ratione principii radicalis, quatenus hoc munus sub diversa multiplicique ratione exercet.

Articulus Quartus:

De Specie.

Istud nomen, *Species*, variè usurpatur, 1. Grammaticaliter, prout unius vocis ex alia originem exprimit; hinc Grammatici inter nomina primitivæ, & derivativæ speciei distinguunt. 2. accip:tur à jurifconsultis pro actione aliqua individuali cum fuis circumstantiis considerata, quæ actio à jurifprudentia *Species facti* appellatur. 3. significat imaginem aut similitudinem quandam objecti cognoscibilis repræsentativam, hinc dicitur à Physicis *Species impressa*, *vel expressa*.

Prætermissis verò hujusmodi speciei acceptionibus, Porphyrius in præsenti tantummodò meminit duplicis significationis præfati nominis. Prima est, qua designat pulchritudinem, seu formam, aut exteriorem corporis figuram, à qua homines *speciosi* vocantur; unde, inquit Porphyrius, est illud: *Primum quidem species digna est imperio*; aut, ut alii legunt: *Priami quidem species digna est imperio*. Quæ verba ex Euripide sumpsit, ut vult Athenæus.

Secunda acceptio, eaque Logica, est qua significat naturam completam, ex genere & differentia compositam; differentia quippe specifica actuando genus, ejusque potentialitatem auferendo, toti naturæ, quam constituit, veluti decorem & pulchritudinem tribuit. Speciei verò sumptæ hoc modo illi duas definitiones tradit Porphyrius.

Prima est hujusmodi: *Species est id, quod* (immediatè) *subjicitur generi, & de quo genus* (proximè) *in quæstione, quid est, prædicatur*. Ubi (sicut ex ipsis terminis patet) sermo est de specie ut subjicibili. Bonitas verò hujus definitionis ex

eo colligitur, quòd exponat, & id, in quo cum aliis prædicabilibus convenit, & illud, per quod ab eis differt. Præfatæ ſiquidem definitionis ſenſus eſt, ſpeciem eſſe naturam univerſalem (quod ipſi cum cæteris prædicabilibus commune eſt) quæ immediatè generi velut ſuperiori ſubjicitur, & de qua proximè *in quid completum* prædicatur, quod nulli alteri prædicabili, neque individuo competit. Illo modo, *homo*, ſubjicitur animali, & de ipſoque *animal* prædicatur.

Secunda definitio eſt iſta: *Species eſt id, quod de pluribus differentibus numero* (ſolo) *in quæſtione quid eſt* (completè) *prædicatur*. Ubi ſpecies ut prædicabilis explanatur. Quam ſpeciei definitionem eſſe bonam ſimili modo ſuadetur ex eo, quòd declarat id, quod ipſi cum cæteris prædicabilibus commune eſt, & quod ei ſpecialiter competit. Quòd etenim ſpecies de pluribus inferioribus prædicetur, eſt aliquid ſpeciei, & reliquis prædicabilibus univocè commune. Quòd autem ſpecies de pluribus ſolo numero differentibus (id eſt de multis individuis) *in quid completum* prædicetur, id illi ſpeciale eſt. *Homo* prædicto modo de Petro, Paulo, &c. prædicatur.

Ex dictis colligitur, ſpeciem in communi eſſe in ſubjicibilem, & prædicabilem, dividendam; quæ quidem ex dictis manent explicatæ ſatis. Rurſus dividitur in ſubalternam, & infimam. Prior eſt, quæ comparata cum ſuperiori genere, eſt ſpecies illius. Reſpectu autem inferiorum, generis rationem obtinet; hujuſmodi eſt *Animal*; quod reſpectu *Viventis*, ſpecies eſt; reſpectu *Hominis* verò, eſt genus. Poſterior autem eſt, quæ nunquam eſt genus, ſive cum ſuperiori, ſive cum inferioribus comparetur; ejuſmodi eſt *Homo*, qui ſive cum *Animali* ſuperiori, ſive cum individuis inferioribus, conferatur, ſemper ſpecies eſt, & nunquam genus.

Species *ſubalterna*, ita dicitur, quoniam ſub ſe alteram habet ſpeciem inferiorem, inter quam,

& genus superius, media est; hinc *intermedia* nuncupatur: hoc modo *animal* sub se habet *hominem*, inter quem, & *vivens*, medium est. Dicitur verò species *infima*, aut *atoma*, quia sub se inferiorem non continet. Appellatur etiam species *specialissima*, quoniam specialissimè seu procrissimè species est, & nihil amplius; isto modo se habet *homo*, infra quem nulla occurrit species, sed individua duntaxat reperiuntur.

§. I.

Utrum species, quatenus subiicibilis, sit formaliter universalis?

NOn est hìc sermo de specie secundò intentionaliter sumpta, sive de secunda intentione speciei, sed de ipsa primò intentionaliter usurpata, id est, de natura communi specifica, cui secunda speciei inteotio ab intellectu attribuitur. Hæc autem duplicem importat respectum; unum quidem ad genus, cui subjicitur, sub quo respectu species ut *subjicibilis* vocatur: alterum ad inferiora, quibus inest, & de quibus prædicatur; & sub hoc respectu species ut *prædicabilis* appellatur. Quæritur ergo, sub quo respectu species, seu natura specifica, sit formaliter universalis?

Asserunt aliqui recentiores, naturam specificam reduplicativè ut respicientem genus, ac ipsi subjectam, esse formaliter universalem. Oppositum tamen docent communiter Peripatetici; cum quibus

Dico: species reduplicativè ut subjicibilis nequaquam est formaliter uoiversalis.

Probat. sub eo solo respectu, species est formaliter universalis, sub quo ei competit definitio *universalis*: atqui speciei, ut subjicibili, non competit definitio *universalis formalis*: ergo &c. Prob. min. universale formale ab omnibus Philosophis definitur: *Unum aptum inesse mul-*

tis

tis, & prædicari de illis; at qui hæc definitio non convenit speciei ut subjicibili: ergo &c. Prob. min. cùm in illa definitione, universale formale explicetur per respectum ad multa inferiora, ejusmodi definitio non convenit speciei, nisi prout exprimit respectum ad inferiora: atqui species ut subjicibilis respectum ad inferiora non exprimit, sed solum subjicibilitatis respectum ad gradum superiorem, nempè ad gradum generieum: ergo &c.

Objic. 1. species, ut species, formaliter universalis est: atqui species, ut subjicibilis, est species, ut species, quandoquidem species nihil est aliud quàm id, quod immediatè generi subjicitur; prout suprà ex Porphyrio diximus: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. species, ut species, considerata per modum superioris, formaliter universalis est, concedo: species, ut species, spectata per modum inferioris, formaliter universalis est, nego; & distinguo pariter min. atqui species, ut subjicibilis, est species, ut species spectata per modum inferioris, concedo: est species, ut species considerata per modum superioris, nego; species quippe ut subjicibilis se habet ut gradus genere inferior, prout patet ex dictis.

Inst. genus est formaliter universale per respectum ad speciem, juxta ipsam Thomistarum doctrinam: ergo etiam species formaliter universalis est per respectum ad genus, cui subjicitur. Prob. conseq. correlativa sunt sub eodem genere: ergo cùm genus & species sint duo correlativa, sese mutuò respicientia, in eodem sint genere necesse est; ac proinde si unum ex duobus correlativis illis, prout alterum respicit, est in genere *universalis formalis*, de altero vicissim respiciente & relato idem dicendum est.

Respondeo concesso anc. negando conseq. & paritatem; disparitas est, quòd dum genus species respicit inferiores, propria conspicit inferiora,

universale autem formale fit per respectum ad propria inferiora. At cùm species respectum importat ad genus, non refertur ad inferius, sed potiùs ad superius comparatur. Ad prob. conseq. distinguo ant. correlativa primò intentionalia aut realia sunt sub eodem genere, concedo: correlativa secundò intentionalia *universalium* sunt sub eodem genere, subdistinguo: sunt sub eodem genere modo inæquali, adeò ut unum sit formaliter sub illo genere, & alterum terminativè solùm, concedo: sunt ex æquo sub eodem genere, nego: genus verò & species sunt quidem duo correlativa, at non primò intentionalia, sed secundò intentionalia, in linea *universalium*; unde genus respiciens species inferiores, est formaliter in genere *universalis formalis*; Species autem inquantùm subjiciuntur generi, ad ipsum correferuntur, & ejus respectum terminant, sunt terminativè duntaxat in eodem *universalis formalis* genere.

Objic. 2. quod est de multis prædicabile, est formaliter universale: atqui species ut subjicibilis, de multis est prædicabilis; v. g. de homine, leone, &c. verè etenim dicitur: *Homo est species subjicibilis; leo est species subjicibilis, &c.*

Respondeo data maj. distinguendo min. atqui species ut subjicibilis, secundò intentionaliter sumpta, id est, secunda intentio subjicibilitatis speciei (de qua hìc non est sermo) de multis est prædicabilis, &c. concedo: atqui species ut subjicibilis, primò intentionaliter accepta, pro natura reali specifica generi subdita (de qua hìc loquimur) de multis est prædicabilis; quasi detur natura realis specifica, generi subdita, quæ inquantùm talis, sit de multis prædicabilis, nego.

Objic. 3. species sub ea consideratione formaliter universalis est, sub qua universale formale in communi de ea prædicatur seu affirmatur, ut

pa-

patet ſatis: atqui de ſpecie ut ſubjicibili prædicatur univerſale formale in communi: ergo &c. Prob.min. univerſale formale in communi ſub ea ratione de ſpecie prædicatur, ſub qua ipſius naturam participat: atqui ſpecies ut ſubjicibilis participat naturam *univerſalis formalis* in communi: ergo &c. Maj. perſpicua eſt, prob.min.ex doctrina alibi tradita; docuimus enim ſuprà, univerſale formale in communi, dividi in quinque univerſalia, ſicutin ſpecies, quæ ita ei ſubjiciuntur, ut genericè, ſubindeque ut univocè, ipſius naturam participent.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. conceſſa iterum ma. nego min. doctrina quippe citata ſic venit intelligenda, ut ſubjectio quinque univerſalium ad univerſale in communi ſit ſolùm conditio requiſita, ut ipſius naturam participent, quam formaliter obtinent per reſpectum ad inferiora, de quibus ſunt prædicabilia.

§. II.

Utrum ſpecies unicum habens individuum fieri poſſit formaliter univerſalis?

SUppono 1. dupliciter contingere poſſe, ut ſpecies unicum obtineat individuum. Primò quidem, adeò ut actu ac de facto unum duntaxat ſervet individuum, plura tamen de potentia Dei abſoluta recipere poſſit: ejuſmodi ſunt Sol, & Luna; licèt enim unicus ſit Sol, unicaque Luna, actu in rerum natura; nihilominùs poſſet Deus, utendo ſua potentia abſoluta, plures Soles, pluresve Lunas individualiter differentes, producere. Secundò, ita ut ſpecies in unico individuo exiſtens, nec etiam ex abſoluta Dei potentia, plura poſſit accipere individua; & hujuſmodi eſt ſpecifica cujuslibet Angeli natu-

ra apud D. Thomam 1. p. q. 50. ar. 4. & alibi sæpè, nec non apud omnes ejus discipulos.

Certum est autem, speciem, quæ quidem actu unum possidet individuum duntaxat, sed tamen plurium possibilium capax est, posse fieri formaliter universalem, quatenus concepi potest ut apta inesse multis possibilibus individuis, aptaque de ipsis prædicari.

Certum est quoque, naturam Angelicam in communi spectatam, prout omnes Angelorum species infimas sub se complectitur, estque subalterna substantiæ prædicamentalis species, dicendam esse formaliter universalem, si ut una apta illis speciebus omnibus inesse, atque de ipsis prædicari, apprehendatur.

Certum est tandem, quaslibet Angelorum species infimas esse formaliter universales, si (ut quibusdam Theologis placet) plura individua actu habeant, vel saltem habere possint. Tota ergo difficultas superest de qualibet specie Angelica infima, supposito, quòd ei repugnent multa individua solo numero distincta, utrum in tali suppositione evadere possit formaliter universalis?

Suppono 2. speciem infimam duobus modis accipi posse, nimirum, vel Metaphysicè, vel Logicè. Primo modo sumpta est id, quod constat genere & differentia, exprimitque totam aut completam individui, in quo est, essentiam, quæ *quidditas* solet nuncupari. Et hoc modo natura cujuslibet Angeli dici potest species; constat namque ex ratione communi naturæ Angelicæ, sicuti ex genere proximo; nec non ex propria ratione differentiali. qua una species Angelica ab alia distinguitur. Posteriori autem modo accepta, est unum aptum inesse multis solo numero differentibus, & prædicari de illis *in quid completum*. In prædicta ergo suppositione, quæritur, an natura specifica cujuslibet Angeli possit Logicè species appellari?

Suppono 3. ex usitata apud Scholasticos do-

ctri-

ctrina, homines, pro præsenti statu conjunctionis animæ cum corpore, cognoscere cognitione intellectuali naturas, sive corporeas, sive spirituales, per species, seu imagines repræsentatrices, ab objectis corporeis, medio sensum ministerio, acceptas; unde species illæ repræsentant vel naturas corporeas, vel naturas spirituales, ad modum naturarum corporearum. Et quia in hoc discrepat intellectus à sensu, quòd iste directè singularia attingit, ille verò directè percipit naturas communes à singularitate abstractas; ideò species, quibus, pro statu præsenti, noster intellectus utitur, naturas communes à singularitate præcisas directè repræsentant.

Certum est igitur, in præfata suppositione, quòd dum natura alicujus Angeli, prout in se est, per propriam speciem intelligitur, non sic formaliter universalis; quoniam sic intellecta inseparabilem includit singularitatem, cum qua formalis universalitas sociari non potest. Itaque controversia solùm est de specifica unius Angeli natura, ut concepta ad modum specificæ naturæ corporeæ, cum abstractione à singularitate; quæriturque, utrum sic apprehensa possit secundum speciei formaliter universalis atque prædicabilis intentionem obtinere?

Suppono 4. specificam naturam posse dupliciter dici universalem; nimirum, negativè, vel positivè. Tunc specifica natura negativè universalis est, quando non est singularis, sive quando à singularitate abstrahitur; unde universalitas negativa in negatione aut carentia singularitatis tota consistit. Tunc verò specifica natura universalis positivè dicenda est, cùm singularitatem excludit, & præterea per actum positivum intellectus ad plura individua solo numero differentia comparatur, tanquam apta, ut insit illis, ac de ipsis prædicetur. Certum est verò, specificam unius Angeli naturam, ad modum spe-

specificæ naturæ corporeæ à singularitate præcisæ conceptam, esse negativè universalem, seu non singularem; sed dubium est, an fieri possit positivè universalis?

Suppono 5. ex D. Thoma 1. part. quæst. 13. art. 9. duplex esse distinguendum universale: aliud quippe est universale secundùm rem & rationem, & alterum secundùm rationem tantùm. Prius universale est illud, cui à parte rei correspondent plura inferiora de facto existentia, quibus inest, & de quibus prædicari potest; hoc modo humana natura universalis est, eo quòd natura illa à parte rei plura habet individua actu existentia, quibus actu convenit, & de quibus affirmatur. Posterius verò universale est illud, quod ex modo, quo per rationem concipitur, vel ex statu, quem in ratione seu in intellectu obtinet, inesse potest multis inferioribus, & de illis prædicari; quamvis secundùm rem, seu à parte rei, nulla ipsi inferiora respondeant.

Certum autem est ex prædicta suppositione, specificam unius Angeli naturam non posse dici universalem secundùm rem & rationem; quandoquidem natura illa, juxta hujusmodi suppositionem, multa inferiora actu à parte rei existentia nec habet, nec habere potest. Tota ergo controversia est, utrum specifica cujuslibet Angeli natura secundùm rationem possit fieri positivè formaliter universalis?

Circa hanc difficultatem tres sunt præcipuæ Philosophorum sententiæ. Prima asserit, specificam cujuslibet Angeli naturam non posse evadere formaliter universalem, etiam secundùm rationem tantùm; supposito, quòd unicum à parte rei obtineat individuum, & plura solo numero distincta, etiam divinitùs habere nequaquam possit. Istam sententiam tuentur Scotistæ, quos sequuntur Suarez, Rubio, Cabero, aliique recentiores communiter.

Secunda sententia fatetur quidem, specificam natu-

naturam uniuscujusque Angeli, in illa suppositione, posse per rationem fieri negativè universalem; affirmat tamen esse universalitatis positivæ prorsus incapacem: hanc sententiam defendit R. P. Dominicus Linze 2. p. Philosophiæ rationalis lib. 2. quæst. 2. a. 2. citatque pro eadem sententia Soncinarem, Panellum, Herveum, Cajetanum, Martinez, De Prado, Otrizium, & plures alios Thomistas in manuscriptis.

Tertia sententia concedit, naturam specificam D. Michaelis v. g. aut cujusvis alterius Angeli, nunquam dici posse formaliter universalem secundùm rem & rationem; asseverat tamen, quòd si apprehendatur à nostro intellectu ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ, effici posse formaliter & positivè universalis secundum rationem tantùm. Sententia ista propugnatur à Complutensibus, Aravio, Joanne à S. Thoma, & aliis Thomistis communiter; quibus subscribunt aliqui recentiores.

§. III.

Vera sententia eligitur atque probatur.

Dico: dum specifica cujuslibet Angeli natura ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ, à nostro intellectu, pro præsenti statu concipitur, positivè, formaliter, propriéque universalis secundùm rationem evadit.

Hanc conclusionem D. Thomas tradit variis in locis, sed præcipuè 1. p. q. 43. a. 9. ubi ait, quòd *formæ spirituales per se subsistentes, si intelligantur ad modum rerum compositarum habentium formas in materia, sunt communes, non re, sed ratione.* Ubi formæ spirituales per se in re extra materiam subsistentes, seu naturæ Angelicæ, intellectæ ad modum rerum compositarum habentium formas in materia, id est, ad modum naturarum

rarum materialium & corporearum ; communes, non re, sed ratione; hoc est, universales, non secundum rem, sed secundum rationem tantùm nuncupantur.

Prob. etiam ratione fundamentali: naturam aliquam esse positivè & formaliter universalem secundum rationem, est ipsam positivè à ratione concipi ad modum naturæ formaliter universalis: atqui cujuslibet Angeli natura ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ, apprehensa, positivè seu per actum positivum à ratione concipitur, ad modum naturæ formaliter universalis; quan loquidem natura corporea à singularitate præcisa formaliter universalis est: ergo &c.

Explicatur ampliùs: natura specifica Angeli in eo statu fieri potest formaliter universalis, in quo capax est formalis universalitatis; ut patet: atqui dum Angelica natura ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ concipitur, universalitatis formalis capax est: ergo &c. Prob. min. tunc specifica natura est capax un'versalitatis formalis, quando removetur ab ea id, ratione cujus erat formalis universalitatis incapax; atqui dum specifica Angeli natura modo dicto concipitur, ab ea removetur id, ratione cujus incapax erat formalis universalitatis; nimirum removetur à singularitate, cum qua repugnabat formalis universal'tas, quæque proinde naturæ Angelicæ incapacitatem ad universalitatem formalem tribuebat; ergo &c.

Respondent adversarii, quòd ut specifica natura positivè & formaliter universalis evadat, satis non est, ut à singularitate præscindatur; sed præterea opus est ut ad plura individua, saltem possibilia, positivè comparetur, tanquam apta inesse illis, & prædicari de ipsis: natura verò specifica unius Angeli non potest ad plura individua, etiam præcisè possibilia, positivè comparari.

Sed

Sed contra sic argumentor: quamvis ad naturam specificam formaliter universalem, secundum rem & rationem, requirantur plura individua, vel existentia, vel saltem secundùm rem possibilia; attamen ut specifica natura sit formaliter universalis secundùm rationem solùm, sufficiunt planè multa individua secundum rationem positivè possibilia, ad quæ ipsa comparetur: licèt autem in natura specifica unius Angeli non sint possibilia secundùm rem plura individua; nihilominus in ipsa ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ concepta, positivè possibilia sunt multa individua secundum rationem: ergo ad illa positivè per ratione comparari potest, tamquam formaliter & positivè, secundum rationem universalis, apta inesse eis, & prædicari de illis. Prob. ant. quoad ultimam partem: positivè possibile est id, quod positivè non repugnat, adeò ut positivè possit esse; ut communiter docent & exponunt omnes: atqui in natura specifica unius Angeli, ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ concepta, positivè non repugnant multa individua, secundum rationem; quandoquidem per actum positivum rationis specificam Angeli naturam ita concipientis removetur singularitas, seu unitas singularis aut individualis, cui multiplicatio individualis repugnabat: ergo &c.

Ampliùs explanatur: tunc in natura specifica sunt secundum rationem positivè possibilia multa individua, quando positivè à ratione concipitur ut individualiter multiplicabilis: atqui dum specifica unius Angeli natura, ad modum naturæ corporeæ à singularitate abstractæ, à ratione apprehenditur, ut individualiter multiplicabilis à ratione positivè concipitur: ergo &c. Ma. manifesta est. Prob. minor. cùm natura specifica in ratione modum aut statum naturæ individualiter multiplicabilis positivè obtinet, positivè à ratione concipitur ut individualiter mul-

mulriplicabilis; ut satis liquet: atqui quando natura specifica unius Angeli ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ à ratione percipitur, in ipsa ratione modum vel statum naturæ individualiter multiplicabilis positivè obtinet; ergo &c. Prob. min. tune specifica natura in ratione modum seu statum naturæ individualiter multiplicabilis positivè obtinet, quando à ratione cum fundamento à parte rei, positivè ad modum naturæ individualiter multiplicabilis apprehenditur; ut satis evidens est: atqui dum natura specifica unius Angeli ad modum naturæ corporeæ à singularitate abstractæ à ratione concipitur, ab ipsa ratione cum fundamento à parte rei, positivè ad modum naturæ individualiter multiplicabilis apprehenditur; ergo &c. Prob. min. & primò quidem cùm positivè specifica unius Angeli natura ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ concipitur, positivè seu per actum positivum, ad modum naturæ individualiter multiplicabilis apprehenditur; quandoquidem natura corporea verè est individualiter multiplicabilis.

Quòd verò ratio in illo concipiendi modo cum fundamento à parte rei procedat, patet; duplex enim est hujusmodi fundamentum. Unum se tenet ex parte rationis, sive intellectus; noster siquidem intellectus, pro præsenti statu conjunctionis animæ cum corpore, ex sua natura, & ita à parte rei, habet, quòd res nequeat percipere, nisi per species ab objectis corporeis acceptas, quibus naturæ corporeæ, vel naturæ spirituales & Angelicæ ad modum naturarum corporearum repræsententur. Alterum tenet se ex parte naturæ Angelicæ; siquidem in hoc discrepant natura Divina, & natura Angelica, quòd prior est essentialiter ens supremum, increatum, & independens; & ideò *hoc unum in singulari*: at natura Angelica essentialiter non est ens supremum, increatum, & independens; sed potiùs essentialiter est ens

in-

inferius, creatum, & dependens; & idcircò essentialiter non est *hæc* in singulari, sed singularitas est extra ipsius essentiam; ideòque cum fundamento à parte rei in ipsa natura Angelica, singularitas ab ejus essentia per rationem & distinguitur, & abstrahitur; adeò ut ratio cum hujusmodi fundamento apprehendat naturam aut essentiam Angelicam ad modum naturæ corporeæ à singularitate abstractæ, ex dictis.

Inferes, specificam unius Angeli naturam ad modum naturæ corporeæ à singularitate præcisæ apprehensam habere plura individua solo numero differentia, à quibus abstrahitur, & ad quæ ab intellectu positivè comparatur, tanquam apta inesse illis, & prædicari de ipsis; habere, inquam, plura individua positivè possibilia seu non repugnantia; non quidem secundùm rem, sed secundum rationem tantùm, eo modo, quo universalis est.

Inferes quoque, specificam naturam Angeli modo dicto conceptam, importare materiam; non quidem secundum rem, vel secundùm intellectus judicium, quo ipse intellectus affirmet, naturam Angelicam esse materialem & corpoream, (hoc enim judicium apertè falsum est) sed secundùm rationis apprehensionem, qua ratio, inquit D. Thomas loco citato, intelligit formas spirituales per se subsistentes (id est, naturas Angelicas) ad modum rerum compositarum habentium formas in materia; hoc est, ad modum rerum materialium, & corporearum, quæ ex materia & forma componuntur. Hinc omnia adversariorum argumenta facilè solvuntur, ut infra constabit.

§.IV,

§. IV.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjic. 1. Aristot. & Porph. docent, universale formale esse absolutè & simpliciter unum aptum inesse multis, & prædicari de illis: atqui specifica unius angeli natura non est absolutè & simpliciter una apta inesse multis, & prædicari de illis; quandoquidem multa inferiora sunt in natura illa absolutè & simpliciter impossibilia: ergo &c.

Respondeo, Aristotelem & Porphyrium loqui de universali formali, quod sit tale absolutè & simpliciter; non verò de illo, quod sit ejusmodi cum restrictione quadam, quale est universale secundùm rationem tantùm. Unde argumentum probat quidem, specificam unius Angeli naturam non esse absolutè & simpliciter universalem formaliter sed nequaquam suadet, eam non esse cum quadam restrictione formaliter universalem, scilicet secundùm rationem solùm; maximè quia in illa natura secundum rationem positivè possibilia sunt multa inferiora, ut ex dictis liquet.

Inst. D. Thomas 1. p. q. 13. a. 9. in exemplum universalis secundùm rationem tantùm, adducit solem: ergo quia in sole realiter possibilia sunt divinitùs plura individua, ad universale secundùm rationem solùm necessariò requiritur, ut realiter in eo possibilia sint divinitùs multa individua; quod specificæ unius Angeli naturæ non competit.

Respondeo negando conseq. neque enim Angelicus Doctor loco citato asserit, specificam solis naturam esse universalem secundùm rationem tantùm, quia in ea realiter possibilia sint divinitùs plura individua; sed quoniam intelligi potest cum abstractione à singularitate, adeò ut

ab

ab intellectu tanquam communis pluribus percipiatur.

Verba S. Doctoris sunt hæc: *Natura autem solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum: potest enim natura solis intelligi ut in pluribus suppositis existens; & hoc ideo, quia intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem a singulari; unde esse in uno supposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei: unde servato intellectu naturæ speciei, potest intelligi ut in pluribus existens.* Specifica autem unius Angeli natura, prout à nobis, pro præsenti statu conjunctionis animæ cum corpore, ad modum naturæ corporeæ concipitur, cum abstractione à singularitate intelligitur, & ut communis pluribus individuis positive secundùm rationem possibilibus percipitur; ut ex dictis constat.

Unde D. Thomas infra verba relata ait, quòd *si formæ spirituales per se subsistentes intelligerentur secundum quod sunt in se ipsis, non possent communicari, nec re, neque ratione: sed quia a nobis intelliguntur ad modum rerum compositarum habentium formas in materia, ideo communes sunt, non re, sed ratione. Rectè autem dixit Avicenna 5. metaph cap. 1. universale* (secundum rationem) *esse id, quod in intellectu non est impossibile prædicari de multis.*

Objic. 2. ut natura fiat formaliter universalis, opus est, ut ab inferioribus per intellectum abstrahatur, & ab eo ad ipsa comparetur, tanquam apta inesse eis, & prædicari de ipsis; ut patet ex alibi dictis: atqui specifica unius Angeli natura nequit ab intellectu abstrahi ab inferioribus, & ad ea comparari; quandoquidem, ex mente D. Thomæ, plura individua sub una Angeli natura sunt prorsus impossibilia: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. ut natura fiat formaliter universalis secundum rem & rationem, opus

opus est &c. concedo: ut natura fiat formaliter universalis secundùm rationem tantùm, opus est, &c. subdistinguo: opus est, ut ab inferioribus secundùm rationem possibilibus, per intellectum &c. concedo: opus est, ut ab inferioribus secundùm rem existentibus, vel saltem possibilibus, per intellectum, &c. nego: & distinguo pariter min. atqui specifica unius Angeli natura nequit ab intellectu abstrahi ab inferioribus secundùm rem existentibus vel possibilibus, & ad ea comparari, concedo: nequit ab intellectu abstrahi ab inferioribus secundùm rationem possibilibus, aut positivè non repugnantibus, nego min. Unde ex mente D. Thomæ, plura individua sub una Angeli natura sunt quidem prorsus impossibilia secundùm rem, non tamen secundùm rationem, modo supra explicato.

Inst. si specifica natura unius Angeli posset secundùm rationem ad plura individua comparari, posset ratio nostra in una specie Angelica plura individua concipere: atqui hoc dici nequit in doctrina D. Thomæ, qui q. unica de spiri. creat. a.8. in corpore, expresse asserit, impossibile esse, quòd noster intellectus etiam fingat plures Angelos unius speciei: ergo &c.

Respondeo ex doctrina & terminis S. Præcep. distinguendo ma. si specifica natura unius Angeli, &c. posset ratio nostra in una specie Angelica, apprehensa ad modum rei compositæ habentis formam in materia, plura individua concipere, concedo: posset ratio nostra in una specie Angelica, intellecta secundùm quòd est in se, plura individua concipere, nego: quando autem D. Thomas loco citato ait, impossibile esse, quòd noster intellectus etiam fingat plures Angelos unius speciei; hoc exponendum est de specie Angelica intellecta secundùm quòd in se est, non autem de ipsa ad modum rei compositæ formam in materia habentis apprehensa.

Dices: individua illa vel sunt realia, vel fi-

ẞi-

ficitia: atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. & primò quidem illa individua non ſunt realia; alioquin natura ſpecifica unius Angeli foret realiter individualiter multiplicabilis; quod doctrinæ D. Thomæ repugnat. Non ſunt etiam fictitia; alioquin Angelica natura fictitiè univerſalis diceretur, quandoquidem de ſolis individuis fictitiis foret prædicabilis.

Reſpondeo, individua illa eſſe realia, non quidem ex natura rei exiſtentia, ſed poſitivè ſecundum rationem, ſive ex vi actus poſitivi rationis ſeu intellectus ſpecificam naturam Angelicam à ſingularitate abſtrahentis, poſſibilia aut non repugnantia.

Dices iterum: ejuſmodi individua aut ſunt materialia, aut immaterialia; atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. & primò quidem illa individua non ſunt materialia; quoniam natura immaterialis, qualis eſt natura Angelica, nequit de individuis materialibus prædicari. Hujuſmodi individua non ſunt etiam immaterialia, quia in doctrina D. Thomæ, omnis multiplicatio individualis debet neceſſariò eſſe materialis.

Reſpondeo, quòd quemadmodùm natura Angelica à nobis, pro præſenti ſtatu conjunctionis animæ cum corpore concepta, apprehenſivè corporea ſeu materialis eſt; ſic pariter individua illa in eo ſtatu non repugnantia, apprehenſivè corporea ſunt atque materialia: natura verò apprehenſivè corporea aut materialis, rectè de individuis apprehenſivè corporeis ac materialibus enunciari poteſt.

Inſt. rurſus ex doctrina D. Thomæ & diſcipulorum ejus, individuorum multiplicatio oritur ex diviſione & multiplicatione materiæ ſignatæ quantitate; prout in Metaphyſica explicabitur: proindeque in natura, quæ caret materia quantitate ſignata, multa individua eſſe nequeunt: atqui Angelica natura caret materia

teria quantitate signata; ut est evidens est: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui Angelica natura caret materia quantitate signata: si secundum se spectetur, concedo: si ad modum naturæ corporeæ quantitate signatæ concipiatur, nego; sic enim concepta importat apprehensivè materiam quantitate signatam.

Urgeb. natura, quæ essentialiter immultiplicabilis est individualiter, etiam secundum rationem individuis caret: atqui specifica unius Angeli natura essentialiter est immultiplicabilis individualiter: ergo &c. Ma. perspicua est. Etenim natura, quæ individualiter immultiplicabilis est essentialiter, etiam secundum rationem talis est; (nam quod convenit essentialiter rei, ipsi semper competit) subindèque secundum rationem individualiter non multiplicatur, sicque individuis caret. Prob. autem min. cùm individualis multiplicatio ex materia ortum ducat, natura, quæ essentialiter est immaterialis, est quoque essentialiter immultiplicabilis individualiter: atqui natura specifica unius Angeli essentialiter immaterialis est: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. distinguo ma. cùm individualis multiplicatio &c. natura, quæ essentialiter est immaterialis est quoque &c. si sit immaterialis, & quoad substantiam, & quoad modum seu statum, concedo: si sit immaterialis quidem quoad substantiam, sed materialis quoad modum aut statum, nego; & distinguo similiter min. atqui natura specifica unius Angeli essentialiter immaterialis est, quoad substantiam, concedo: atqui natura specifica unius Angeli essentialiter immaterialis est, quoad modum aut statum, adeò ut, prout à nobis pro præsenti statu concipitur ad modum rei compositæ formam in materia habentis, non obtineat in intellectu nostro modum sive statum naturæ corporeæ ac

materialis, ac proinde individualiter multiplicabilis, nego: ex qua doctrina colligitur, quo modo Angelica natura eſſentialiter careat principii numericæ multiplicationis, nimirum materia; eſſentialiter quippe principio iſto caret quoad ſubſtantiam, ſeu in ſe & ſecundùm intrinſecam conſtitutionem ſuam; cæterum principio illo carere dicenda non eſt ex parte mundi, qua à nobis apprehenditur.

Urgeb. iterum: in forma ex ſua natura irrationali nulla aptitudo ad ratiocinationem eſſe poteſt: ergo pariter in forma ex ſua natura individualiter immultiplicabili, qualis eſt ſpecies Angelica, nulla ad multiplicationem individualem aptitudo concipi poteſt.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. & paritatem; diſparitas eſt, quòd forma irrationalis nequit, cum aliquo à parte rei fundamento, ad modum formæ rationalis ab intellectu noſtro apprehendi: at ſpecies Angelica, quantumvis ex ſua natura individualiter immultiplicabilis, nihilominùs cum fundamento à parte rei, ab intellectu noſtro pro præſenti ſtatu conjunctionis animæ cum corpore, ad modum naturæ corporeæ capacis multiplicationis individualis, concipi poteſt; ut ex dictis liquet: unde in illa hoc modo concepta eſt vera ad multiplicationem individualem aptitudo. Ex dictis ad ſolutionem multarum objectionum, manifeſtè

Colliges, naturam Angelicam ad modum naturæ corporeæ à ſingularitate præciſè conceptam, poſſe per modum prædicati ſuperioris poſitivè referri ad plura individua ſecundùm rationem poſſibilia, tanquam ipſis communicabilem: licèt enim individua illa ſint ſecundum rem impoſſibilia, attamen ſecundum rationem poſitivè poſſibilia ſunt; ut ex dictis conſtat: unde Angelica natura modo illo apprehenſa, ab ejuſmodi individuis eſt individuabilis ſeu contrahibilis, cum eiſque identificabilis, ac de ipſis prædicabilis;

hæcque individua sunt universalitatis naturæ Angelicæ terminus, ad quem nimirum hujusmodi natura ut univesalis & superior positivè refertur. Neque individua illa sunt ficitia aut chimerica; etenim ut possibilia & non repugnantia, in hoc fundantur, quòd Angelica natura, pro statu præsenti, ad modum naturæ corporeæ individualiter multiplicabilis ab intellectu nostro apprehendatur.

§. V.

Aliæ objectiones solvuntur.

OBjic. 3. formalis universalitas secundum rationem, naturæ Angelicæ D. Gabrielis v. g. repugnat: ergo hujusmodi natura fieri nequit formaliter universalis secundum rationem. Ptob. ant. formalis universalitas secundum rationem repugnat naturæ essentialiter singulari: atqui Angelica D. Gabrielis natura essentialiter est singularis: ergo &c. Ma. videtur clara. Prob. min. cùm ex D. Thoma variis in locis, irreceptibilitas in materia sit in forma spirituali singularitatis radix, ea natura spiritualis essentialiter est singularis, quæ essentialiter est in materia irreceptibilis: atqui natura Angelica D. Gabrielis essentialiter est in materia irreceptibilis; in hoc quippe essentialiter differt ab anima rationali, quæ licèt spiritualis sit, essentialiter tamen in materia receptibilis est: ergo &c.

Respondeo negando ant. Intellectum de Angelica D. Gabrielis natura modo suprà dicto conceptam. Ad prob. ant. data ma. nego min. Ad prob. ejus nego maj. sicut enim quamvis materia in humana natura radix sit singularitatis, & natura illa sit essentialiter materialis; ipsa tamen non est essentialiter singularis, sed singularitas est accidens duntaxat ipsi conaturale, à quo abstrahi potest, adeò ut abstracta capax sit formalis uni-

ver-

versalitatis: sic pariter, licèt ex mente D. Thomæ, irreceptibilitas in materia sit in forma spirituali Angelica v.g. D. Gabrielis, radix singularitatis, eaque natura sit essentialiter in materia irreceptibilis; propterea tamen non sequitur, naturam illam esse essentialiter singularem; sed semper verum est, singularitatem esse tantummodò accidens ejus connaturale, à quo per intellectum nostrum, pro præsenti statu, præscindi potest, ita ut natura illa hoc modo præcisa, capax universalitatis form lis secundum rationem evadat.

Dices: eo ipso, quòd Angelica D. Gabrielis natura in materia irreceptibilis est, multis inferioribus inesse nequit: ergo non est formaliter universalis; universale enim formale est unum aptum inesse multis. Prob. ant. ex D. Thoma quæst. unica de Spirit. creat. art.9. ubi sic ait: *Natura Angelica prohibetur esse in multis per hoc, quòd non est nata recipi in aliqua materia aut subjecto.*

Respondeo distinguendo ant. eo ipso, quòd Angelica D. Gabrielis natura in materia irreceptibilis est, multis inferioribus inesse nequit: si intelligatur secundùm quòd in se est, sub qua ratione est in materia irreceptibilis, concedo: si ad modum naturæ corporeæ formam in materia receptam habentis à nobis apprehendatur, nego; sicut enim natura corporea formam in materia receptam habens, apta est inesse multis, ita & natura Angelica, quando ad modum talis naturæ apprehenditur; proindèque formaliter universalis est. Ad testimonium D. Thomæ, dico, S. Doctorem loqui de natura Angelica, prout in se est, intellecta.

Inst. 1. ut natura formaliter universalis efficiatur, necesse est, ut à singularitate abstrahatur; prout evidens est: atqui specifica unius Angeli natura nequit à singularitate abstrahi: ergo &c. Prob. min. ideò in homine gradus specificus, seu speci-

cifica natura, à singulari gradu, sive à singularitate, abstrahi potest, quia gradus illi à diversis principiis desumuntur; gradus quidem specificus à forma, & individualis seu singularis gradus à materia; ut communiter docent Thomistæ: atqui in uno Angelo gradus specificus, & gradus singularis, ex diversis principiis non oriuntur, sed ex una & simplici entitate Angelica proveniunt: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui specifica unius Angeli natura, intellecta prout est in se, nequit à singularitate abstr.hi, concedo: atqui specifica uniu. Angeli natura, intellecta pro statu præsenti ad modum naturæ corporeæ, à singularitate præcisæ, nequit à singularitate abstrahi, nego; quando enim sic intelligitur, cum simili præcisione aut abstractione percipitur. Ad prob. min. concessa ma. distinguo min. atqui in uno Angelo gradus specificus & gradus singularis ex diversis principiis non oriuntur, sed &c. si unus Angelus concipiatur ut est in se, concedo: si ad modum naturæ corporeæ apprehendatur, subdistinguo: gradus specificus & gradus singularis ex diversis principiis non oriuntur, quoad substantiam Angeli, concedo: quoad statum naturæ, gradum specificum, & gradum singularem, à diversis principiis radicaliter accipientis, ita ut Angelus modo hoc conceptus, vel ipsius natura modo isto concepta, verè & cum fundamento à parte rei non obtineat statum naturæ, gradum specificum, & gradum singularem, à diversis principiis radicaliter desumentis, & consequenter à singularitate abstrahibilis, nego.

Inst. 2. sicut quod opponitur risibilitati, nequit homini convenire; ita quod singularitati naturæ Angelicæ repugnat, nequit hujusmodi naturæ competere: atqui universalitas singularitati repugnat: ergo &c.

Respondeo 1. negando paritatem; disparitas est, quòd risibilitas est strictà homiois proprietas; sin-

ſingularitas verò eſt duntaxat naturæ Angelicæ accidens connaturale; ut eſt dictis liquet.

Reſpondeo 2. negando iterum paritatem; diſparitas eſt, quòd intellectus noſter cum fundamento à parte rei nequit humanam naturam apprehendere ad modum naturæ, quæ ſit oppoſiti riſibilitatis capax: at noſter intellectus cum fundamento à parte rei naturam Angelicam concipit ad modum naturæ corporeæ à ſingularitate abſtractæ, quæ ad univerſalitatem formalem ſingularitati oppoſitam apta eſt. Unde formalis univerſalitas non poteſt quidem naturæ Angelicæ ſecundùm ſe ſpectatæ & cum ſingularitate conjunctæ convenire, attamen ipſi ad modum naturæ copoteæ à ſingularitate præciſæ apprehenſæ competere poteſt.

Inſt. 3. ea natura dici nequit formaliter univerſalis, in qua eſt ſingularitatis exigentia; etenim formalis univerſalitas, & ſingularitas, mutuò inter ſe repugnant: atqui in natura D. Michaelis etiam ad modum naturæ corporeæ apprehenſa, eſt ſingularitatis exigentia; quandoquidem Angelica natura ratione eſſentiæ ſuæ ſingularitatem exigit: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ea natura dici nequit formaliter univerſalis, in qua eſt proxima ſingularitatis exigentia, concedo; in qua eſt remota ſolùm ſingularitatis exigentia, nego: quamvis autem in natura D. Michaelis v. g. etiam ad modum naturæ corporeæ apprehenſa, ſit remota ſingularitatis exigentia; quatenus natura illa ſic concepta, ſemper remanet ſecundùm ſe & eſſentiam ſuam immaterialis & in materia irreceptibilis, ac proinde ſingularitatem exigens: nihilominùs in tali natura modo illo percepta, nulla eſt proxima ſingularitatis exigentia; quoniam tunc, ut immaterialis ac in materia irreceptibilis, non intelligitur; ſed potiùs ad modum naturæ materialis formam in materia receptam habentis concipitur.

Urge. individuum fieri nequit formaliter universale; quin potiùs enim individuum est aliquid singulare: atqui D. Michael est individuum aliquod Angelicum: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui D. Michael est individuum &c. si ex parte singularitatis spectetur, concedo: si consideretur ex parte naturæ specificæ ad modum naturæ corporeæ à singularitate abstractæ, nego.

Inst. 4. per erroneum intellectus nostri actum natura Angelica formaliter universalis fieri non potest: atqui actus, quo noster intellectus naturam Angelicam ad modum naturæ corporeæ apprehendit, erroneus est, utpote percipiens tem aliter quàm sit in se: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. error quippe non est propriè in apprehensione simplici, sed in solo intellectus judicio, quo ipse judicat de re aliter quàm sit in se; ideòque propriè erroneus non est actus, quo intellectus noster naturam Angelicam ad modum naturæ corporeæ à singularitate abstractæ simpliciter apprehendit; tum maximè quia intellectiva potentia in hoc concipiendi modo, non sine fundamento à parte rei procedit; ut ex dictis liquet.

Dices: dum noster intellectus naturam Angelicam ad modum naturæ corporeæ apprehendit, ipse intellectus non attribuit naturæ Angelicæ id, quod corporeæ naturæ proprium est: atqui formalis universalitas est corporeæ naturæ propria: ergo &c.

Respondeo data ma. distinguendo min. atqui formalis universalitas secundum rem & rationem, est corporeæ naturæ propria, concedo: atqui formalis universalitas secundum rationem tantùm, est corporeæ naturæ propria, nego min. & conseq. sub distinctione data.

Dices iterum: dum intellectus noster naturam Angelicam ad modum naturæ corporeæ à singularitate abstractæ apprehendit, nihil

hilei intrinſecum in ipſa ponit: ergo illam intrinſecè univerſalem formaliter non efficit.

Reſpondeo diſtinguendo ant. dum intellectus noſter &c. nihil ei in eſſe entitativo intrinſecum in ipſa ponit, concedo: nihil ei in eſſe apprehenſo intrinſecum in ipſa ponit, nego; etenim natura Angelica tunc cum fundamento à parte rei apprehenditur ad modum naturæ intrinſecè, ſeu ſecundum prædicata ſpecifica & intrinſeca, à ſingularitate abſtractæ; quod ex ſe à parte rei non habet, ſed ab intellectu ipſam apprehendente accipit; & ratione illius ſtatus, intrinſecè in eſſe apprehenſo, univerſalis formaliter evadit.

Objic. 4. Licèt pro præſenti ſtatu conjunctionis animæ cum corpore, divina natura à nobis ad modum naturæ corporeæ concipiatur; ipſa tamen formaliter univerſalis non eſt, etiam ſecundum rationem ſolùm; ut communiter docent Philoſophi: ergo idem de natura Angelica dicendum eſt.

Reſpondeo concesſo antec. negando conſeq. & paritatem: diſparitas eſt, quòd quamvis natura divina à nobis ad modum corporeæ naturæ percipiatur; implicitè tamen concipitur ut ſingularis; quoniam ſemper intelligitur ut ens ſupremum, & increatum, ac independens, quod eſſentialiter eſt *hoc unum in ſingulari*; ut ſuprà dictum eſt: at natura Angelica non eſt ens ſupremum, increatum & independens; ſed potiùs eſt ens infer us, creatum & dependens, cujus ſingularitas eſt extra ipſius eſſentiam, tanquam accidens illius connaturale, à quo perfectè abſtrahi poteſt, adeòut, nec etiam implicitè, ipſum importet; in quo perfectæ abſtractionis ſtatu, natura illa, formalis univerſalitatis capax eſt.

§. VI.

Vtrum species in unico salvari queat individuo.

Species dupliciter usurpatur: scilicet, vel Logicè, vel Metaphysicè. Priori modo sumpta *est unum aptum inesse multis solo numero differentibus*, (sive multis individuis) *& prædicari de illis in quid completum*. Speciem verò acceptam isto modo posse in unico individuo salvari, patet in specifica unius Angeli natura, modo superiùs explanato. Species autem posteriori modo spectata est natura specifica ex genere & differentia constans, cui secunda intentio universalitatis Logicæ advenit. Et de specie hoc ultimo modo considerata quæritur, utrum tota essentialiter in unico individuo conservetur?

Dico: species Metaphysicè sumpta potest in unico individuo essentialiter conservari. Ita docent communiter Philosophi, cum D. Thoma 1. Post. lect. 12. ubi ait, *Posse reperiri aliquam speciem, quæ non habeat nisi unicum individuum; non tamen aliquod genus, quod non habeat plures differentias & species*.

Prob. ratione fundamentali: tunc aliquod totum essentialiter conservatur, quando omnes suas partes essentiales obtinet: atqui species Metaphysicè usurpata, seu natura specifica, in unico individuo omnes partes suas essentiales, nimirum genus & differentiam specificam, obtinet: ergo &c. Ma. manifesta est: min. etiam patet in specifica natura humana, quæ in unico Petro ex *animali* sicut ex genere, & ex *rationali* velut ex differentia specifica, constat.

Deinde specifica Solis natura unicum habet individuum, nempè unicum numero Solem; & nihilominùs tota in eo essentialiter salvatur: idem dicendum est de specifica Lunæ natura

quæ

quæ unico inest individuo, in quo essentialiter conservatur: ergo exemplis liquet, specificam naturam posse essentialiter in unico individuo conservari.

Unde inter genus Metaphysicè sumptum, & speciem Metaphysicè acceptam, hoc discrimen est; quòd genus est essentialiter totum potentiale, cujus partes sunt species inferiores; & ideò quia totum sine pluribus partibus salvari nequit, genus Metaphysicè sumptum sine pluribus speciebus salvari non potest; ut infra probabitur: at species Metaphysicè accepta est totum actuale, cujus partes essentiales sunt genus & differentia specifica; unde quia species in unico reperit individuo præfatas partes, idcircò in uno individuo essentialiter conservatur.

Objic. 1. Quod est commune multis, nequit in uno conservari: atqui species communis est multis: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod est essentialiter commune multis, nequit &c. concedo: quod accidentaliter est commune multis, nequit, &c. nego: & distinguo etiam min. atqui species Logicè sumpta, communis est multis, concedo: atqui species metaphysicè accepta, communis est multis; subdistinguo: accidentaliter communis est multis, concedo: essentialiter communis est, nego; species quippe metaphysicè spectata est essentialiter totum actuale, ex genere & differentia specifica compositum, cui accidit, quòd sit commune multis.

Objic. 2. prædicatum superius, in uno inferiori non potest salvari, sed plura necessariò exigit inferiora: atqui species est prædicatum superius: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. prædicatum superius, in uno inferiori non potest salvari, sed &c. si sit essentialiter totum potentiale ab inferioribus contrahibile, concedo: si essentialiter sit totum actuale, quod in uno inferiori omnes suas partes es-

sentiales obtinet, nego: & distinguo pariter min. atqui species est prædicatum superius, quod essentialiter sit totum actuale, omnes suas partes essentiales in unico individuo obtinens, concedo: atqui species est prædicatum superius, quod sit essentialiter totum potentiale ab inferioribus contrahibile, nego min. & conseq.

Inst. totum potentiale in unico inferiori non potest conservari: atqui species est totum potentiale ab individuis per differentias individuales contrahibile: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. Totum potentiale in unico inferiori, &c. si sit essentialiter totum potentiale, concedo: si accidentaliter solùm sit totum potentiale, nego: & distinguo pariter min. atqui species est accidentaliter totum potentiale, concedo; atqui species est essentialiter totum potentiale, nego; species quippe Metaphysicè sumpta, est essentialiter totum actuale; cui accidit, quòd sit totum potentiale ab individuis multis contrahibile.

Urgeb. Idcircò (ut infrà dicetur) genus salvari nequit unica in specie, sed plures necessariò exigit species, quoniam contrahibile est per differentias oppositas aut incopossibiles, quæ non nisi in pluribus speciebus reperiuntur, & in unica specie simul sociari nequeunt; atqui species etiam contrahibilis est per differentias oppositas, seu incompossibiles; (nimirum individuales) quæ non nisi in multis individuis inveniuntur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. Idcircò genus salvari nequit, &c. quoniam essentialiter contrahibile est, &c. concedo: quoniam accidentaliter contrahibile est, &c. nego: quamvis verò species sit per differentias individuales oppositas sive incompossibiles contrahibilis; non tamen essentialiter, sed accidentaliter solùm; ut dictum est. Ex qua doctrina colligitur, genus alio

mo-

modo respicere species, & speciem alio modo respicere individua; genus quippe essentaliter ut totum potentiale suas respicit species: species autem essentialiter ut totum actuale, accidentaliter potentiale ac contrahibile, individua respicit.

Objic. 3. genus, ut totum potentiale, realiter cum specie identificatur; sic v. g. *animal*, ut totum potentiale, realiter ab homine non distinguitur, sed idem realiter cum ipso est: ergo si species in unico individuo conservatur, etiam genus, ut totum potentiale, in eo salvatur; cujus oppositum infra constabit.

Respondeo negando conseq. sufficit namque, ut genus, tanquam totum potentiale, & species, velut totum actuale, formaliter ab intellectu cum fundamento à parte rei distinguantur, ad hoc, ut intellectus judicet, genus, tanquam totum essentialiter potentiale, non posse nisi in pluribus speciebus conservari; posse tamen speciem, velut totum actuale, in unico individuo salvari.

§. VII.

Possitne genus in unica specie conservari?

Notandum est, genus posse tripliciter considerari: nimirum, Physicè, Metaphysicè, & Logicè. Genus Physicè sumptum est ipsum secundum entitatem Physicam spectatum; sic *animal* Physicè sumitur, si entitativè accipiatur, & prout visionis, auditionis, & cæterarum operationum Physicarum principium est.

Certum autem est, genus hoc modo spectatum posse in unica specie conservari; revera namque entitas Physica *animalis* tota in homine salvatur.

Genus Logicè usurpatum est generica natura, ut est secunda intentione genereitatis affecta; est-

que una apta inesse multis ſpecie differentibus, & prædicari de illis *in quid incompletum*.

Certum verò eſt quoque, genus iſto modo acceptum neceſſariò plures exigere ſpecies, ſaltem ut poſſibiles, ut ſalvetur: quandoquidem multa ſpecie differentia, quibus poſſit ineſſe, & de quibus valeat prædicari, eſſentialiter petit. Demùm genus Metaphyſicè conſideratum, eſt totum potentiale per differentias ſpecificas contrahibile. Et de genere ita conſiderato difficultas eſt, & inter Philoſophos controverſia, an in unica ſpecie per unam differentiam ſpecificam conſtituta, ſalvari poſſit, etiamſi aliæ ſpecies fiant impoſſibiles; adeò ut in illa hypotheſi totum potentiale verè propriè que dici poſſit?

Affirmant Scoti Diſcipuli, negant tamen communiter cæteri Philoſophi; cum quibus

Dico: genus Metaphyſicè acceptum nequit in unica ſpecie conſervari. Hanc concluſionem docet D. Thomas loco ſuprà citato, poſt Ariſtotelem, qui 4. Top.cap.3. ſic ait de genere Metaphyſicè uſurpato: *Si generis non ſit altera ſpecies*, (id eſt, ſi genus non habeat duas ſaltem ſpecies) *manifeſtum eſt, quòd omninò non erit genus*. Eandem doctrinam tradit 3. Metaph. cap.3. ubi hæc ſcribit: *Neceſſe etenim eſt, unius cujuſque generis differentias*, (proindèque ſpecies per ipſas conſtitutas) *& eſſe, & unamquamque unam eſſe*.

Prob. ratione fundamentali: totum ſalvari nequit, niſi duas ſaltē habeat partes, ex quibus componatur; alioquin non eſſet totum compoſitum: ac proindè genus Metaphyſicè acceptum, prout eſt totum potentiale, conſervari non poteſt, niſi duas ſaltem obtineat partes: partes autem correſpondentes generi, ut toti potentiali, ſunt ſpecies, à quibus contrahibile eſt; ut communiter exponunt Philoſophi.

Sanè, genus ex proprio conceptu ſuo eſſentiali deſignat id, quod generale eſt, atque commune: unde,

unde, quia commune non dicitur respectu unius, sed respectu plurium, genus plures species necessariò requirit, quibus commune sit, ut in eis salvetur. Denique, quædam species invenitur, quæ unicum habet individuum, cujusmodi est Sol, vel Luna; nullum verò genus est quod plures non obtineat species: ergo signum est, speciem posse quidem in unico individuo conservari, genus autem non nisi in pluribus speciebus posse salvari.

Objic. 1. quamvis materia prima sit potentialis, & per formas substantiales contrahibilis, ipsa tamen in unico individuo salvatur: ergo pariter, licèt genus sit potentiale, & per differentias specificas contrahibile, nihilominùs in unico individuo conservari potest.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd etsi materia prima potentialis sit, & per formas substantiales contrahibilis, ipsa tamen non est totum, sed pars est duntaxat, quæ solam compartem ad sui conservationem exigit: materia autem prima in uno individuo alteram compartem, videlicet formam substantialem, consequitur: at genus est potentiale ad modum totius, seu est totum potentiale, quod salvari nequit, nisi duas saltem habeat partes, quas neque in uno individuo, neque in una specie, genus obtinet; ut ex dictis liquet.

Objic. 2. potest Deus producere animalis speciem omnibus aliis nunc existentibus perfectiorem: ergo posset *Animal* Metaphysicè sumptum in illa sola conservari.

Respondeo, dato ant. negando conseq. etenim *Animal* Metaphysicè acceptum, est essentialiter totum potentiale, quod essentialiter, proindèque necessariò, duas saltem exigit partes, quæ sunt ipsæ species; ideòque *Animal* Metaphysicè spectatum nequit etiam divinitùs in unica specie quantumcumque perfecta conservari.

Inst.

Inst. tota animalis essentia in homine reperitur: ergo *animal* potest in solo homine salvari.

Respondeo distinguendo ant. tota animalis Physicè accepti essentia in homine reperitur, concedo: hæc enim essentia posita est in ratione totius ex corpore & anima sensitiva compositi, quæ quidem ratio est in homine tota; homini quippe nihil deest ex iis, quæ ad rationem totius ex corpore & anima sensitiva compositi requiruntur: tota animalis Metaphysicè sumpti essentia in homine reperitur, nego; etenim *Animal* Metaphysicè spectatum, ex sua essentia, est totum potentiale, quod essentialiter plures petit partes seu species; cujus proinde tota essentia in solo homine, seu in sola specie humana, non reperitur, sive non salvatur. Et distinguo pariter consequens: ergo *animal* Physicè acceptum potest in solo homine salvari, concedo: ergo *animal* Metaphysicè sumptum potest in solo homine salvari, nego.

Inst. iterum: si solus foret homo, & cætera animalia fierent impossibilia, adhuc homo definiri posset: ergo in eo solo genus salvaretur. Conseq. patet; genus quippe est definitionis pars.

Respondeo, dato ant. distinguendo consequens: ergo in eo solo genus, ut pars definitionis, salvaretur, concedo: ergo in eo solo genus, ut totum potentiale, salvaretur, nego.

Dices: in illa hypothesi, hæc prædicatio: *Homo est animal*, esset generis de specie prædicatio: ergo tunc genus conservaretur.

Respondeo distinguendo ant. in illa hypothesi, hæc prædicatio: *Homo est animal*, esset generis materialiter & impropriè de specie prædicatio, concedo: esset generis formaliter & propriè de specie prædicatio, nego: *animal* quippe in ea suppositione foret quidem materialiter & impropriè genus, quatenus esset prædicatum de se mul-
tis

tis specie differentibus commune, & potentialitatis genericæ capax; non foret tamen formaliter & propriè genus Metaphysicè, seu totum potentiale; quia per accidens plures non haberet partes, seu species, etiam præcisè possibiles; sed unicam obtineret, nempè humanam; aliæ verò animalis species essent impossibiles.

Inst. adhuc: post diem judicii, solus homo remanebit, ex omnibus animalis speciebus; & tamen *animal*, ut genus Metaphysicè sumptum, in illo conservabitur: ergo genus Metaphysicè acceptum in una specie sola conservari potest.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo genus Metaphysicè acceptum in una specie sola conservari potest: dummodò aliæ species sint possibiles, concedo: si aliæ species fiant impossibiles, nego: post diem verò judicii, unica quidem animalis species, nempè humana, sola futura est; at aliæ species erunt possibiles.

Objic. 3. si ad conservandum genus Metaphysicè spectatum multæ essent necessariæ species, requirerentur infinitæ; cùm non sit major ratio de uno specierum numero, quàm de altero: atqui hoc absurdum videtur: ergo &c.

Respondeo negando, ad conservandum genus Metaphysicè spectatum, requiri unquam species categorematicè infinitas; necessariæ etenim quidem sunt species, plures vel pauciores, juxta diversam generum exigentiam; imò nonnunquam illæ sunt syncategorematicè infinitæ, ut contingit in quantitate discreta, seu in genere numerorum: at nunquam categorematicè & simpliciter infinitæ inveniuntur.

§. VIII.

De individuo.

INdividuum est immediatum speciei correlativum, adeò ut species & individuum ad se mutuò correferantur, species quidem ut superior, & individuum ut inferius ipsi immediatè subditum: unde quia unum relativum exactè explicari nequit, nisi ejus correlativum exponatur; idcirco ad exactam de specie tractationem, hic de individuo disserendum est.

Individuum ex vi vocabuli, rem individuam seu indivisibilem (cujusmodi est punctum) significat. Individuum autem apud Logicos, idem est, quod singulare & unum numero, quod multis inferioribus communicari nequit; in quo individuum opponitur universali, quod multis inferioribus communicatur.

Dividitur verò in primis in individuum determinatum, & individuum vagum. Primum est illud, quod determinato termino designatur; ut *Petrus*, *hic homo*, &c. Posterius autem est id, quod termino vago ac indeterminato significatur, ut *aliquis homo*, &c.

Dividitur iterum in individuum genericum, & individuum specificum. Primum importat respectum ad genus, ut *hoc animal*, quod ad animal in communi ordinatur. Alterum immediatè subjicitur speciei, ut *Petrus*, qui homini in communi immediatè subditur.

Dividitur rursus in individuum substantiale, & individuum accidentale. Primum est substantia singularis, ut *hic homo*. Secundum est accidens singulare, ut *hac albedo*. Porphyrius cap. de specie circa finem, sic individuum substantiale definit: *Individuum est, cujus omnes simul proprietates alteri convenire non possunt*. Has autem pro-

prietates, ſive iſta accidentia, numero ſeptenario concluſit B. Albertus Magnus, hocque verſiculo continentur.

Forma, Figura, Locus, Nomen, Stirps, Patria, Tempus.

Primum vocabulum, *Forma*, ſignificat ſingularem complexionem, ſive etiam corporis molem. *Figura* deſignat partium proportionem, & lineamenta. *Locus* & *Tempus* denotant, duorum individuorum nativitates diverſis in locis, diſtinctiſque temporibus, debere accidere. *Nomen* ſignat, diſtinctis numero individuis diſtincta nomina communiter applicari. *Stirps* parentum proſapiam ſignificat, notatque, unum individuum ex his parentibus eſſe natum, & alterum ex aliis, unum hominem eſſe nobilem, & alterum ignobilem. *Patria* demùm nationem oſtendit, deſignatque, unum hominem individuum eſſe v.g. Gallum, & alterum Hiſpanum.

Quæ accidentia licèt diviſivè ſumpta, id eſt, quædam ex eis, poſſint multis individuis ſubſtantialibus competere; tota tamen iſtorum accidentium collectio determinata, unius individui ſubſtantialis determinati propria eſt; & ideò eſt ſignum individualis ejus differentiæ, qua à cæteris individuis numericè diſtinguitur.

Individuum tandem dividitur in individuum primò intentionale, & individuum ſecundò intentionale. Primum eſt quælibet natura ſingularis, ſive ſubſtantialis ſit, ſive accidentalis; ut *hic homo*, *hæc albedo*, & ejuſmodi. Secundum eſt eadem natura ſingularis, quatenus media operatione intellectus importat relationem ſubjicibilitatis ad ſpeciem, vel prædicabilitatis ad ſe ipſam. Priori modo ſumptum definitur à Porphyrio loco citato: *Id, quod immediatè ſubjicitur ſpeciei, & de quo ſpecies in quid completum prædicatur*; Poſteriori autem modo ab

eodem

eodem Porphyrio definitur: *Id quod de uno tantùm* (id est, de se ipso solo) *prædicatur*.

Ubi advertendum est, quòd sicut universale secundò intentionale non datur formaliter à parte rei, sed solo beneficio intellectus naturam communem ad inferiora comparantis: ut alibi probatum est: ita individuum seu singulare secundò intentionale non reperitur à parte rei formaliter, sed intra solum intellectum, individuum aut singulare ad speciem comparantem, vel illud ad ipsum sicut ad subjectum identicæ prædicationis referentem, invenitur; quamvis materialiter, seu ex parte naturæ singularis, cui ab intellectu attribuitur secunda intentio formalis individui, à parte rei existat.

§. IX.

Quædam contra præcedentem doctrinam objectiones solvuntur.

OBjic. 1. Individuum idem est ac singulare: atqui singulare nequit definiri; ut docet Arist. 7. Methaph. cap. 15. ergo neque individuum; proindèque legitimæ non sunt definitiones individui suprà allatæ.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui singulare nequit definiri definitione strictè sumpta, concedo: atqui singulare nequit definiri definitione latè sumpta, accepta nimirum pro quavis explicatione, nego: licèt enim singulare propriè nequeat definiri; attamen explicari potest, quid nomine *singularis*, seu individui, veniat intelligendum; & in isto sensu allatæ suprà individui definitiones sunt legitimæ.

Inst. Illud solùm definiri potest, quod constat ex genere & differentia; cùm definitio rem per genus & differentiam explicet: atqui individuum, ut tale, non constat ex genere & differentia; quandoquidem hoc speciei proprium est: ergo &c.

Hinc

Hinc Aristoteles 7. Metaph.cap.4. docet, solam speciem posse definiri.

Respondeo distinguendo maj. Illud solùm strictè definiri potest, quod constat &c. concedo: illud solùm latè definiri potest, quod constat &c. subdistinguo: quod constat ex genere & differentia latè acceptis, id est, ex aliqua ratione communi, & ex alia ratione differentiali seu speciali, concedo; quod constat ex genere & differentia strictè acceptis, hoc est ex gradu generico, & ex differentia specifica, nego: licèt autem individuum seu singulare, inquantum tale, non constet ex gradu generico, & ex differentia specifica, sed hoc speciei proprium sit; nihilominùs constat ex ratione communi, & ex quadam ratione differentiali seu ipsi speciali; quòd enim individuum subjiciatur & prædicetur, est aliquid ipsi & speciei commune: quòd autem individuum speciei immediatè subjiciatur, & de uno tantùm prædicetur, est ratio ejus differentialis, ipsique specialis, qua differt à specie, quæ generi immediatè subjicitur, & de multis solo numero differentibus prædicatur.

Objic. 2. Arist. cap. 2. in antepræd. & in prædicam. cap. de subst. nec non 6. Metaph. cap. 3. ait, primam substantiam, seu individuum substantiæ, de nullo subjecto prædicari: ergo malè suprà definitum fuit individuum. *Id quod de uno tantùm prædicatur.*

Respondeo explicando & distinguendo dictum Aristotelicum: concedo namque, primam substantiam, seu individuum substantiæ, de nullo prædicari prædicatione formali, quoniam in hac prædicatione prædicatum debet esse subjecto superius, individuum autem substantiæ nullo subjecto superius est: sed nego, individuum substantiæ de nullo prædicari prædicatione identica, hac enim prædicatione de seipso solo prædicatur.

Inst. si individuum de seipso prædicaretur, idem foret

foret subjectum & prædicatum: atqui idem nequit esse subjectum & prædicatum, cùm enim prædicatum adveniat subjecto, sicuti forma materiæ, prædicatum distinguatur à subjecto necesse est; ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si individuum de se ipso prædicaretur, idem sub diversis terminis foret subjectum & prædicatum, concedo: idem sub eodem termino foret subjectum, & prædicatum, nego; ad legitimam enim individui prædicationem requiritur, ut subjectum & prædicatum diversis terminis exprimantur: ut contingit in hac prædicatione: *hic Homo est Petrus*: nequaquam verò repugnat, quòd idem individuum in eadem prædicatione identica diversis terminis per modum subjecti & prædicati designetur; adeò ut diversis illis terminis per modum materiæ, & formæ ipsi advenientis, significetur. Unde tunc individuum ex modo significandi distinguitur à se ipso; & hoc ad identicam de se ipso prædicationem sufficit.

Objic. 3. Petrus qui est individuum humanum, de pluribus dicitur; multiplex enim homo *Petrus* nuncupatur: ergo individuum malè definitum est suprà: *Id, quod de uno tantum prædicatur*.

Respondeo distinguendo ant. Petrus, qui est individuum humanum, quoad nomen, de pluribus dicitur, quatenus multiplex homo, *Petrus* nominatur, concedo; Petrus, qui &c. quoad rem significatam, seu quoad naturam singularem, quam significat, de pluribus dicitur, nego. In allata verò individui definitione sermo non est de nomine, sed de re per nomen significata, seu de natura singulari.

Inst. in his prædicationibus; *Petrus est individuum, Paulus est individuum &c. Petrus est quidam homo, Paulus est quidam homo &c.* individuum, non tantùm quoad nomen, sed etiam quoad rem significatam, de pluribus præ-

di-

dicatur: ergo nulla eſt ſolutio data.

Reſpondeo diſtinguendo ant. in his prædicationibus: *Petrus &c.* individuum vagum & in communi acceptum, non tantùm, &c. concedo: individuum determinatum & in particulari ſumptum, non tantùm, &c. nego; quando etenim individuum de Petro, Paulo, &c. enunciatur, ſumitur individuum prout illis commune eſt, proindéque accipitur vagè & in communi, non autem determinatè ac in particulari: in ſolutione verò poſita, & in individui definitione allata, non eſt ſermo de individuo vago, ſed de ſolo individuo determinato.

Dices: ſi individuum vagum de multis prædicaretur, foret novum univerſale ſeu prædicabile diſtinctum à ſeptem ſuprà enumeratis, nimirum à genere, differentia, ſpecie, proprio, & accidente: atqui hoc dici nequit, quoniam Peripateticorum doctrinæ repugnat: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. ad univerſale quippe propriè dictum requiritur, ut tanquam natura communis de pluribus prædicetur: individuum vagum autem de multis non prædicatur, ſicuti natura communis, ſed veluti natura ſingularis vagè & confusè accepta.

Articulus Quintus.

De proprio, & accidente.

§. I.

De Proprio.

Proprium in materia præſenti uſurpatur à dialecticis pro eo, quod commune non eſt, ſed peculiare alicui rei. In quo ſenſu, quatuor proprii acceptiones Porphyrius hic adducit, quas mutatis terminis hauſit ex Ariſtotele 1. Topic. c. 4. & lib. 5. cap. 1. nec non alibi.

Pri-

Prima est, qua proprium dicitur illud, quod alicui speciei soli convenit, sed non omni ejus individuo: sic, *esse medicum*, hominis proprium est; id enim soli homini competit; at non omnibus & singulis hominibus: ideòque hoc intelligendum venit, non de generali ac naturali capacitate & aptitudine acquirendi artem medicinæ; quoniam sic omnis homo medicus est; sed intelligi debet de actu aut habitu acquisito illius artis aut scientiæ, qui in aliquibus hominibus est, & non in aliis.

Secunda acceptio est pro eo, quod convenit alicui speciei, & omnibus individuis ejus, sed non solis: hoc modo competit homini, *esse bipedem*, bipes quippe est omnis homo, sed non solus, cùm multa sint animalia, quæ duos tantùm habent pedes, ut patet in volucribus. Hoc verò vocat Aristoteles proprium *ad aliud*; esse namque bipedem, non est absolutè homini proprium, cùm absolutè aliis multis conveniat animalibus; sed proprium illi est duntaxat per comparationem ad animalia quatuor pedes habentia.

Tertia acceptio est, qua proprium significat illud, quod uni speciei soli, & omnibus individuis ejus convenit; sed non semper, sive pro quovis tempore. Affert exemplum Porphyrius de canitie; canescere quippe competit omni & soli homini, non in quavis ætate, sed in senectute tantummodò. Unde ab Aristotele appellatur *Proprium aliquando*. Id autem intelligendum est de nativa, & à natura præstituta canitie, quoniam ob vigilias, curas, morbos, &c. *Nascuntur & in juvenibus viris cani*: inquit Pindarus in Olymp. Imò narrat Cresias, in Indiæ montibus esse homines canos à primo ortu usque ad ann. 30. & inde incipere nigrescere. Debet item intelligi de actuali canitie, vel saltem de proxima canescendi potentia, quia si intelligeretur de potentia remota, quæ est ipsa hominis natura, prout dil-

diſpoſitionem ad canitiem acquirere poteſt; tunc caneſcere in iſto ſenſu omni homini ſemper conveniret, quia humana natura modo illo conſiderata omnibus ſemper ineſt hominibus.

Huic tamen exemplo obſtare videtur Ariſtoteles, qui 3. de Hiſt. animal. cap. 11. ait, alia animalia caneſcere; & 5. de gen. animal cap. 5. aſſerit, equum inter cætera animalia maximè caneſcere. Et revera canitiei cauſa, quam Ariſtoteles affert ibi cap. 4. ſcilicet humor putreſcens in radicibus pilorum, qui vi caloris naturalis nequit abſumi, nec concoqui, poteſt æquè reperiri in aliis animalibus, ac in homine. Idem aſſerit Plinius lib. 11. cap. 13.

Ad hoc dicunt aliqui, colorem illum albicantem, qui in aliorum animalium pilis quandoque cernitur, non eſſe canitiem propriè. Alii dicunt, non eſſe opus, ut exemplum à Porphyrio allatum, ſit omni ex parte verum, ſatiſque eſſe, ut ipſe Porphyrius attulerit id, quod ut plurimùm contingit: canities verò frequentior eſt magiſque nota in homine. Ideòque Ariſtoteles lib. 5. de gener. animal. cap. 5. & ſect. 10 Problem. qu. 62. ait, ſolum hominem manifeſtè caneſcere.

Quarta demùm proprii acceptio eſt ea, ſecundùm quam aliquid dicitur proprium quarto modo, eſtque illud quod uni, ſoli ſpeciei, & omnibus individuis ejus, ac ſemper, convenit. Hoc modo, *eſſe riſibilem*, homini proprium eſt. Licèt enim non ſemper actu rideat homo, imò quamvis nunquam actu rideret (ſicuti de Craſſo, avo illius Craſſi, qui apud Parthos occidit, narrat Plinius lib. 7. cap. 19) ſemper tamen eſt riſibilis, id eſt, haber ſemper aptitudinem aut facultatem ridendi. Et hoc vocavit Ariſt. *Proprium per ſe*, *& viſua*, id eſt, proprium ſimpliciter dictum, quod ex ſua natura tale eſt. Interdum ab ipſo vocatur *Potentia*, quoniam eſt proximum operandi, v. g. ridendi, principium, in quo conſiſtit ipſa potentiæ natura. Nonnunquam etiam

etiam appellatur *differentia*; tum quia est signum essentialis ac specificæ differentiæ; qua ratione *risibile* signum est *rationalis*, ex quo immediatè resultat; tum etiam quia insignis est unius rei, cui convenit, ab alia re, cui non competit, differentia; hinc homo per *risibile* notabiliter differt à bruto, quod risibile non est. Dicitur denique *propria passio*, seu proprietas: quoniam naturæ, ex qua emanat, omninò proprium est. His omnibus præmissis & expositis sit

§. II.

Vtrum solum proprium quarto modo constituat hoc 4. prædicabile?

Dico: solum proprium quarto modo sumptum constituit hoc quartum prædicabile. Ita docent communiter Philosophi; contra nonnullos, quorum alii volunt, proprium in tribus prioribus acceptionibus, sicut & in quarta, simpliciter ad istud quartum prædicabile pertinere. Alii proprium primo modo acceptum excludunt quidem à quarto prædicabili, sed intra ipsum admittunt proprium secundo, tertio, & quarto modo, spectatum: istam sententiam defendunt Fonseca, Hurtado, & alii recentiores.

Nostram conclusionem docet expressè Porphyrius hic, ubi de quarto prædicabili sic ait: *Proprium est quod omni, soli, & semper convenit*; soli autem proprio, quarto modo accepto, hoc totum competit: & Aristoteles 1.Topic.cap. 4. de eodem quarto prædicabili dicit, quòd non declarat, quid res sit, solique convenit, & de re vicissim dicitur. Hinc quartum prædicabile apud Peripateticos communiter definitur: *Accidens necessarium, & cum rei essentia convertibile, unum aptum inesse multis*.

Ex citata verò Aristotelis doctrina, & ex allata quarti prædicabilis definitione, colligitur, illud

illud accidens duntaxat pertinere ad quartum prædicabile, ipſúmque conſtituere, quod cum eſſentia rei neceſſariam habet connexionem, & cum ea viciſſim convertibile eſt: atqui hoc totum non habet proprium primo, vel ſecundo, vel tertio modo, uſurpatum; ſed ſolùm proprium quarto modo acceptum: ergo &c. Prob. min. & in primis, proprium primo modo ſumptum, v. gr. *eſſe medicum*, non habet cum eſſentia hominis verb. grat. neceſſariam connexionem; etenim quæ neceſſariò inter ſe connectuntur, ſunt prorſus inſeparabilia, ita ut ubi unum eſt, ibi neceſſariò ſit & alterum; patet autem, in multis hominibus eſſe veram hominis eſſentiam abſque ulla arte medica. Præterea, ars iſta non eſt cum hominis eſſentia convertibilis; alioquin convertibiliter dici poſſet de quovis homine: *Eſt medicus, ergo eſt homo: eſt homo, ergo eſt medicus*; hoc autem eſſe falſum, liquet.

Quòd verò tradita doctrina non competat proprio uſurpato ſecundo modo, etiam facilè ſuadetur. Quamvis etenim ratio *bipedis* aliquo modo neceſſariam habeat cum natura humana connexionem; de ipſa tamen viciſſim ſeu convertibiliter non dicitur; nam alioquin rectè dici poſſet: *Eſt homo, ergo eſt bipes: eſt bipes, ergo eſt homo.* Qui modus arguen i omninò malus eſt. Sanè illud duntaxat pertinet ad quartum prædicabile (quod *proprium* nuncupatur) ſimpliciter loquendo, quod ſimpliciter proprium eſt rei, ejus proprium appellatur: atqui proprium ſecundo modo ſumptum non eſt ſimpliciter proprium rei, cujus proprium vocatur: ergo &c. Min. ex eo patere videtur, quòd proprium ſecundo modo acceptum convenit quidem alicui ſpeciei, & omnibus individuis ejus, ſed non ſolis; hoc verò eſt contra rationem proprii ſimpliciter dicti, quod debet eſſe ſimpliciter peculiare rei, cujus dicitur proprium; proindéque debet illi ſoli competere.

Demùm, quòd præfata doctrina proprio tertio modo accepto non conveniat, ex eo colligitur, quòd quando unum cum alio connectitur necessariò, unum semper aliud comitatur, utpote ab illo inseparabile: atqui proprium tertio modo sumptum non semper comitatur essentiam rei, cujus dicitur proprium, ut ex dictis liquet: ergo &c. Neque etiam proprium istud vicissim convertitur cum essentia, cujus propr um est; alioquin vicissim & convertibiliter diceretur; *Canescit; ergo est homo: est homo; ergo canescit*. In quo arguendi modo falsitas manifestè teperitur.

Hinc Aristoteles Topic. cap. 4. circa finem, ita concludit: *Ex quibus id quoque perspicuum est, accidens ad quoddam tempus* (quod nempè non semper convenit, sed quodam determinato tempore duntaxat) *& cum aliquo collatum, proprii nomen obtinere, cùm tamen omninò & simpliciter proprium non sit*. Si verò proprium, quod semper non convenit, simpliciter proprium non est, sequitur manifestè ipsum ad quartum prædicabile (quod proprium nominatur) simpliciter non pertinere.

Doctrinam autem illam proprio quarto modo spectato, adæquatè convenire, evidens est in *risibili*, quod convenit homini, soli, omni, & semper, quodque proinde est homini proprium quarto modo: *risibile* namque necessariò cum hominis essentia connectitur, ex qua necessariò emanat; & cum homine verè convertitur, etenim verè dicitur: *Est homo; ergo est risibilis: est risibilis; ergo est homo*.

§. III.

§. III.

Quædam contra præcedentem doctrinam objectiones diluuntur.

OBjic.1. proprium strictè sumptum, ad quartum prædicabile pertinet: atqui proprium primo modo explicatum, est proprium strictè sumptum: ergo &c. Maj. liquet. prob. min. ex D. Thoma in 1. sent dist. 8. q. 1. art. 1. ad 1. proprium strictè acceptum illud est, quod alteri extraneo commune non est: atqui proprium primo modo expositum alteri extraneo commune non est; sic v.g. *esse medicum*, non est aliquid commune aliis animalibus extraneis respectu hominis, sed soli competit homini ergo &c.

Respondeo concessa maj negando min. ad cujus prob. distinguo maj. ex D. Thoma &c. proprium strictè acceptum, illud est, quod ad modum prædicati necessarii, & cum suo subjecto convertibilis, alteri extraneo commune non est, concedo; illud est, quod ad modum prædicati contingentis, & cum suo subjecto non convertibilis, alteri extraneo commune non est, nego: quamvis verò proprium primo modo expositum, alteri extraneo commune non sit, non tamen ad modum prædicati necessarii & convertibilis cum subjecto, cujus dicitur proprium, sed duntaxat ad modum prædicati contingentis & non convertibilis; sic v.g. *esse medicum*, non est quidem commune brutis animalibus, sed soli convenit homini: at contingenter solùm & non convertibiliter, ut ex dictis constat.

Objic.2. cùm ex Peripateticorum doctrina, accidens adæquatè dividatur in quartum, & quintum prædicabile, sive in accidens proprium, & accidens commune; *esse medicum*, quod accidentaliter competit homini, debet vel ad quartum, vel ad quintum prædicabile pertinere: atqui, ad

quintum prædicabile non spectat: ergo ad quartum pertinet. Prob. min. quintum prædicabile est accidens commune; ita enim solet nominari: atqui *esse medicum*, non est in homine accidens commune, alioquin aliis ab homine conveniret ergo, &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. quintum prædicabile est ut plurimùm accidens commune, concedo; ita enim nominari solet, quia accidentia ad ipsum pertinentia solent esse communia: quintum prædicabile est semper accidens commune: adeò ut sola accidentia communia ad ipsum spectent, nego: itaque ratio quinti prædicabilis, prout à quarto distinguitur, in eo consistit, quòd sit accidens contingens, cum subjecto non convertibile, quod adesse potest & abesse, sine subjecti corruptione; ut infrà exponetur: quamvis autem ars Medica non sit communis homini, cæterisque animalibus brutis; est tamen in homine accidens contingens, quod adesse potest & abesse, absque hominis corruptione; quodque cum illo convertibile non est.

Objic. 3. calor ignis ad quartum prædicabile pertinet: & tamen soli igni non convenit, sed pluribus aliis subjectis competit quoque; proindeque est proprium secundo modo: ergo proprium secundo modo acceptum, ad quartum prædicabile spectat. Prob. ant. quoad primam partem: stricta ignis proprietas ad quartum prædicabile pertinet; ut evidens est: atqui calor ignis est ipsius proprietas, etiam stricta: ergo, &c.

Respondeo negando, calorem ignis aliis subjectis competere; ignis quippe calor est intentissimus, & in eo intensi nis gradu, qui soli competat igni; unde licèt in pluribus aliis subjectis reperiatur calor, non tamen intentissimus, sed remissus solùm vel temperatus.

Inst. potentia visiva, & aliæ potentiæ sensitivæ in homine sunt proprietates ad quartum

tum prædicabile pertinentes; & tamen soli homini non conveniunt; quandoquidem aliis animalibus competunt: ergo proprium secundo modo sumptum ad quartum prædicabile pertinere potest, quamvis soli subjecto non competat.

Respondeo distinguendo ant. potentia visiva & aliæ potentiæ sensitivæ in homine sunt proprietates mediatæ ad quartum prædicabile pertinentes, concedo: sunt proprietates immediatæ, nego. Itaque in specie infima duo sunt proprietatum genera; quædam enim sunt immediatæ, quæ immediatè ex gradu specifico infimo dimanant; ejusmodi est *risibile* in homine, quod immediatè ex *rationali* emanat: aliæ sunt mediatæ, quæ oriuntur ex gradu generico, eoque mediante conveniunt speciei infimæ; & in homine hujusmodi sunt potentia visiva, cæteræque potentiæ sensitivæ, quæ ortum ducunt ex generico *animalis* gradu, quo mediante competunt homini; unde non tam sunt proprietates hominis, quàm *animalis*; quamvis verò soli homini non conveniant, soli tamen competunt *animali*.

Inst. rursus: accidens necessariò conveniens subjecto, ad quartum prædicabile pertinet; non verò ad quintum, in quo accidentia contingentia tantummodò collocantur: atqui bipedalitas necessariò convenit homini; necesse enim est, ut homo sit bipes: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. accidens necessariò simpliciter conveniens subjecto, ad quartum prædicabile pertinet, &c. concedo: accidens necessariò secundùm quid conveniens subjecto, ad quartum prædicabile pertinet, nego: tametsi autem bipedalitas necessariò conveniat homini, non tamen simpliciter, sed secundùm quid solùm; quoniam bipedalitas necessariò quidem inest homini ratione dispositionis & exigentiæ, quæ est in corpore, ita ut homo ratione illius dispositio-

tionis bipedalitatem connaturaliter exigat: attamen bipedalitas necessariò non inest homini ratione ipsius essentiæ, adeò ut essentia illa cum opposito bipedalitatis concipi nequeat, Istudque bipedalitatis oppositum de homine, salva ejus essentia, affirmari non possit; hinc in monstris humanis in quibus nonnunquam quatuor pedes cernuntur, essentia hominis tota salvatur. Unde bipedalitas in hoc discrepat à risibilitate, cujus oppositum de homine affirmari non potest, salva ipsius essentia; & ideò risibilitas necessariò simpliciter convenit homini. sicuti stricta ejus proprietas, ad quartum prædicabile simpliciter spectans. Bipedalitas verò in homine est simpliciter accidens contingens, in quinto prædicabili collocandum. Hanc doctrinam tradit Angelicus Doctor in 1.dist. .q.1.ar.1.ad 2. Item cap.7. de ente essentia, & aliis in locis.

Objic.4. ad quartum prædicabile sufficit, ut sit stricta proprietas: atqui ad strictam proprietatem non exigitur, ut conveniat semper: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. motus sursum est stricta corporis levis proprietas; sicuti motus deorsū stricta proprietas est corporis gravis, & tamen motus sursum non semper inest corpori levi, sicut nec motus deorsum corpori gravi; quandoquidem illa corpora nonnunquam quiescunt: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo ant. motus sursum in actu signato, sive ad hunc motum aptitudo & propensio, est stricta corporis levis proprietas; sicuti motus deorsum in actu signato, stricta proprietas est corporis gravis, concedo: motus sursum in actu exercito, seu exercitus aut actualis motus sursum, est stricta corporis levis proprietas; sicuti motus deorsum in actu exercito, stricta est proprietas corporis gravis, nego: licèt autem exercitus sive actualis motus sursum non semper insit corpori levi, benè tamen motus sursum signatus sive aptitudinalis: & similiter tametsi exercitus

de-

deorsum motus non semper corpori gravi conveniat, motus tamen signatus deorsum semper illi convenit.

Inst. illud accidens est stricta corporis levis, vel corporis gravis, proprietas, quod ex ejus natura per resultantiam naturalem dimanat: atqui, prout docet D. Thomas 1. 2. quæst. 36. artic.2. exercitus motus sursum per resultantiam naturalem ex natura corporis levis dimanat, sicut & exercitus motus deorsum ex natura corporis gravis: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. illud accidens est stricta corporis levis, vel corporis gravis, proprietas, quod ex ejus natura per resultantiam naturalem dimanat, tanquam accidens necessarium & convertibile, concedo: quod ex ejus natura per resultantiam naturalem dimanat, sicut accidens contingens & non convertibile, nego: quamvis verò exercitus motus sursum per resultantiam naturalem ex natura corporis levis dimanet, sicut & exercitus motus deorsum ex natura corporis gravis; non tamen velut accidens necessarium & convertibile, sed sicut accidens contingens & non convertibile.

Obijc.5. actualis risus est stricta hominis proprietas, directè in quarto prædicabili collocata; & tamen semper homini non competit, cùm semper homo actu non rideat: ergo opus non est, ut stricta proprietas directè in quarto prædicabili posita, semper subjecto conveniat. Prob. ant. docet D. Thomas q.2. de anima art.12. ad 7. accidens procedens à forma subjecti specificè constitutiva esse strictam illius proprietatem: atqui actualis risus est accidens procedens à forma specificè hominis cōstitutiva, videlicèt ab anima rationali, qua homo constituitur, & distinguitur ab omnibus aliis animalibus, quibus actualis risus nequaquam competit: ergo &c.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distin-

guo maj. docet D. Thomas, accidens necessarium & convertibile, procedens à forma subjecti specificè constitutiva, esse strictam illius proprietatem, concedo: docet D. Thomas, accidens, contingens, & non convertibile, procedens &c. esse strictam illius proprietatem, nego: licèt autem actualis risus procedat à forma specificè hominis constitutiva; non tamen ad modum accidentis necessarii & convertibilis, sed duntaxat ad modum accidentis contingentis & non convertibilis: & primò quidem, quòd risus actualis necessariò cum homine non connectatur, ex eo colligitur, quòd homo, etiam naturaliter, sine risu actuali esse potest; quæ verò connectuntur necessariò, sunt prorsus inseparabilia, & unum sine altero esse nequit: quòd insuper risus actualis cum homine non convertatur, patet; quamvis etenim rectè dicatur: *Actu videt; ergo est homo*: falsò tamen conversim asseritur: *Est homo; ergo actu videt*.

Objic. 6. visiva potentia est stricta animalis proprietas: atqui potentia visiva semper omni animali non convenit: ergo &c. Prob. min. exemplo canum, in quibus potentia visiva ante nonum diem à nativitate non reperitur.

Respondeo concessa maj. negando min. licèt enim in canibus ante nonum à nativitate diem per accidens non repetiatur visionis actus, defectu dispositionis requisitæ in organo, semper tamen ipsis inest visiva potentia prædicti actus productiva.

Inst. visus aliquando totaliter perit, ut in senibus, & aliis, organo corrupto: ergo tunc visiva potentia ejusmodi animalibus non convenit.

Respondeo dato ant. negando conseq. tametsi etenim potentia visiva tunc ad corruptionem organi per accidens pereat; semper tamen eis convenit, quia semper ab eorum natura per se exigitur.

Dices: tametsi proprium tertio modo sumptum

non

non semper actu insit subjecto, attamen semper ab ejus natura exigitur: ergo est stricta ejus proprietas, directè in quarto prædicabili constituta.

Respondeo distinguendo ant. tametsi proprium tertio modo sumptum non semper actu insit subjecto, attamen semper ab ejus natura pro determinato tempore exigitur, concedo: attamen semper absolutè pro omni tempore ab ejus natura exigitur, nego ant. & conseq. etenim ad proprietatem strictè acceptam requiritur necessariò, ut à natura subjecti semper absolutè pro omni tempore exigatur, licèt per accidens, aliquo tempore, actus non insit subjecto.

§. IV.

Qua ratione proprium in esse universalis formaliter constituatur?

NOtandum est 1. duplicem distinguendam esse proprietatem; nempè aliam Physicam seu realem, & alteram Logicam sive attributalem. Proprietas realis & Physica est accidens reale & Physicum, realiter à natura subjecti distinctum, realiterque ab illa dimanans: ejusmodi est calor summus in igne. Proprietas verò Logica aut attributalis, est formalitas quædam per solum intellectum distincta à rei essentia, quam secundùm nostrum concipiendi modum consequitur, ipsique ab intellectu conversim attribuitur: hujusmodi sunt attributa Dei, quæ ex nostro intelligendi modo divinam essentiam consequuntur.

Notandum est 2. proprium rursus esse duplex; aliud nempè est infimum, & alterum subalternum. Prius est, quod differentiam infimam consequitur, & de specie infima per differentiam illam constituta convertibiliter prædicatur: ejusmodi est *risibile*, quod consequitur ra-

tionale, quo homo constituitur; de quo *risibile* conversim enunciatur. Posterius verò est illud, quod ex differentia subalterna oritur, & convertitur cum specie subalterna per illam constituta: hujusmodi est *dormitivum*, quod à *sensibili* ortum ducit, & convertitur cum *animali*, quod per *sensibile* constituitur.

Notandum est 3. proprium infimum posse referri, vel ad inferiora, de quibus accidentaliter, necessariò, & convertibiliter, prædicatur; vel ad inferiora, de quibus *in quid completum* enunciatur: sic v. g. *risibile* comparari potest, vel ad Petrum, Paulum, &c. quibus accidentaliter, necessariò, & convertibiliter, competit; vel ad hoc *risibile*, illud *risibile*., &c. quibus *in quid completum* convenit, eo proportionali modo, quo homo in communi inest Petro, Paulo, &c. sive huic homini, illi homini, &c.

Similiter proprium subalternum de speciebus inferioribus, v. g. *dormitivum*, de homine & bruto, accidentaliter, necessariò, & convertibiliter, prædicatur: de hoc autem, & illo proprio subalterno, v. g. *dormitivum* in communi de hoc & illo *dormitivo*, in *quid completum* enunciatur; his prænotatis

Certum est, proprium non constitui formaliter universale, & quartum prædicabile, per respectum ad inferiora eodem nomine significata: v. g. *dormitivum* in communi per respectum ad hoc, & illud *dormitivum*, & *risibile* in communi per ordinem ad hoc, & illud *risibile*. Ratio est evidens: siquidem proprium debet constitui formaliter universale, & quartum prædicabile, per respectum ad id, de quo prædicatur modo peculiari quarto prædicabili; nimirum accidentaliter, necessariò, & convertibiliter: atqui proprium hoc modo non prædicatur de inferioribus eodem nomine significatis: v. g. *dormitivum* in communi de hoc, & illo *dormitivo*, & *risibile* in communi de hoc, & illo *risibili*, non prædica-

cap-

cantur accidentaliter, necessariò, & convertibiliter; sed *in quid complexum* enunciantur; ut ex dictis liquet: ergo &c.

Dico: proprium non constituitur formaliter universale, & quartum prædicabile, per respectum ad speciem, cum qua convertitur; sed duntaxat per ordinem ad inferiora sub tali specie contenta; ita docent Dominicus Soto, Sanchez, Complutenses, Joannes à S.Thoma, Lerma, & alii Philosophi communiter, sive intra, sive extra scholam D.Thomæ, contra Masium, Joannem Martinez, & alios paucos; imò tametsi Dominicus Soto sententiam nostram esse probabiliorem fateatur, oppositam nihilominus ut probabilem defendit.

Prob. ratione fundamentali; universale formaliter apud omnes Peripateticos significat naturam superiorem, aptam inesse multis inferioribus, & prædicari de illis; ac proinde nequaquam constituitur per respectum ad aliquid æquale, sed per solum ordinem ad inferiora; ergo proprium non constituitur formaliter universale per respectum ad speciem cum qua convertitur, cui æquale est: sed per solum ordinem ad inferiora sub tali specie contenta.

Respondent adversarii, proprium non se habere quidem ut superius per respectum ad speciem secundùm se sumptam: benè tamen per ordinem ad illam acceptam, prout est totum potentiale in potentia continens inferiora.

Sed contra sic argumentor: sub eo respectu proprium non se habet ut superius, sub quo se habet ut æquale: atqui proprium per respectum ad speciem, acceptam prout est totum potentiale continens in potentia inferiora, se habet ut ipsi æquale: ergo &c. Prob. min. tunc unum est æquale alteri, quando unum æquè latè patet, ac alterum: atqui proprium æquè latè patet, ac species, prout est totum potentiale in potentia continens inferiora: ergo &c. Prob. min. tunc unum æquè latè patet, ac alterum, quando

unum se extendit ad ea omnia, ad quæ alterum extenditur: atqui proprium se extendit ad ea omnia, ad quæ species, ut est totum potentiale, extenditur; nimirum se extendit ad omnia speciei inferiora; v. g. *Dormitivum* extendit se ad omnia animalia sub subalterna *Animalis* specie contenta; *Risibile* se extendit ad omnia humanæ speciei individua; & ita de alio quovis proprio: ergo &c.

Ex doctrina tradita inferes, proprium subalternum non constitui formaliter universale, & quartum prædicabile, per respectum ad speciem subalternam, cum qua convertitur, sed per ordinem ad species inferiores sub subalterna comprehensas: sic v. g. *Dormitivum* formaliter universale est, & ad quartum prædicabile pertinet, non per respectum ad subalternam *animalis* speciem; sed per ordinem ad hominem & brutum, sicuti per ordinem ad species *animalis* inferiores.

Inferes rursus, proprium infimum esse formaliter universale, & ad quartum prædicabile pertinere, non per respectum ad speciem infimam, cui æquale est; sed per ordinem ad individua ejusmodi speciei, quæ respicit ut inferiora. Hinc *Risibile*, non per respectum ad hominem, sed per ordinem ad hominis individua, formaliter universale est, & ad quartum prædicabile pertinet.

§. V.

Satisfit adversariorum objectis.

Objic. 1. Porphyrius hic cap. 7. ait, quòd *proprium, & de specie, cujus est proprium, & de his, quæ sub specie sunt, individuis, prædicatur*. Quibus verbis docere videtur, proprium infimum constitui universale & prædicabile per respectum & ad speciem, & ad individua.

Respondeo cum distinctione: concedo namque, proprium infimum constitui per respectum

ctum & ad ſpeciem, & ad individua; ſed nego, id fieri eodem modo: etenim proprium infimum reſpicit ſpeciem infimam, ſicuti cauſa efficientem, ex qua reſultat; reſpicit verò ejuſmodi ſpeciei individua, tanquam terminum formalem & primarium relationis univerſalitatis & prædicabilitatis. Unde proprium infimum in ratione effectus conſtituitur quidem per reſpectum ad ſpeciem infimam; ſed in ratione formalis univerſalis & prædicabilis conſtituitur per reſpectum ad individua.

Objic. 2. tunc proprium eſt formaliter univerſale & prædicabile, quando de pluribus virtualiter & implicitè prædicatur: atqui dum proprium de ſpecie enunciatur, de pluribus (inferioribus) virtualiter & implicitè prædicatur; quandoquidem plura inferiora in ſpecie virtualiter & implicitè continentur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. tunc proprium eſt &c. ſi prædicetur ad modum ſuperioris, concedo: ſi prædicetur ad modum æqualis, nego: quamvis verò, dum proprium de ſpecie enunciatur, de pluribus inferioribus virtualiter & implicitè prædicetur; non tamen per modum ſuperioris, ſed per modum æqualis, reſpectu illius, de quo immediatè enunciatur, videlicet reſpectu ſpeciei; quod autem formaliter univerſale eſt atque prædicabile, ſe habeat ad modum naturæ ſuperioris, reſpectu ejus, de quo immediatè enunciatur, neceſſe eſt.

Inſt. ſpecies humana de individuis humanis prædicatur: ergo eo ipſo, quòd *riſibile*, v. g. de ſpecie humana prædicatur, cenſetur de individuis humanis prædicari; ac proinde formaliter eſt univerſale.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo eo ipſo, quòd *riſibile* de ſpecie humana prædicatur, cenſetur de individuis humanis prædicari; prædicatione, quæ immediatè ad ſubjectū æquale prædicato terminetur, concedo;

cen-

censetur de individuis humanis prædicari: prædicatione, quæ immediatè ad subjectum prædicatio inferius tet minetur, nego: ex quo non sequitur, *risibile* hoc ipso, quòd de humana specie prædicatur, esse formaliter universale: quoniam quod est tale, debet immediatè de subjecto inferiori enunciari, ut ex dictis patet.

Urgebis: quando aliqua inter se subordinantur, quod enunciatur de uno, prædicatur & de altero: atqui species humana, & individua humana, subordinantur inter se: ergo quod de specie humana enunciatur, etiam de individuis humanis prædicatur.

Respondeo distinguendo maj. quando aliqua inter se subordinantur, quod enunciatur de uno, prout sibi subordinat alterum, prædicatur & de altero, concedo: quod enunciatur de uno, non prout sibi subordinat alterum, prædicatur & de altero, nego: tametsi autem humana species, & individua humana, subordinentur inter se; attamen dum *risibile*, v. g. respicit speciem humanam, & de ea immediatè prædicatur; & vicissim species humana respicit *risibile*, de ipsoque immediatè prædicatur: species humana sub eo respectu non sibi subordinat individua humana, quandoquidem illa tunc non respicit; sed sibi duntaxat æquat *risibile*, cui & vicissim *risibile* æquatur. Ideoque *risibile* tunc de individuis humanis non prædicatur, nisi ad summum virtualiter & implicitè prædicatione ad æquale subjectum immediatè terminata, sicuti explicuimus suprà.

Objic. 3. proprium per respectum ad illud, est formaliter universale, & prædicabile, de quo immediatè prædicatur: atqui proprium immediatè prædicatur de specie, cum qua convertitur; sic v. g. *dormitivum* de *animali*, & *risibile* de *homine*, immediatè prædicantur: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. proprium per res-

pectum ad illud, est formaliter universale, & prædicabile, de quo immediatè prædicatur, ad modum gradus superioris de subjecto inferiori, concedo: de quo immediatè prædicatur, ad modum gradus æqualis de subjecto æquali, nego: licèt autem proprium immediatè de specie prædicetur; non tamen sicut gradus superior de subjecto inferiori, sed ad modum gradus æqualis de subjecto æquali.

Objic. 4. per illum respectum, proprium constituitur formaliter universale, per quem fit quartum prædicabile: atqui fit quartum prædicabile per respectum ad speciem: ergo &c. Maj. videtur manifesta. Prob. min. quartum prædicabile apud Peripateticos, est accidens necessariò ex intrinsecis speciei principiis procedens: atqui tale est per respectum ad speciem: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. per illum respectum, proprium constituitur formaliter universale, per quem fit quartum prædicabile, Logicè sumptum, concedo: perquem fit quartum prædicabile, Metaphysicè acceptum, nego: & eodem modo distinguo min. atqui fit quartum prædicabile Metaphysicè per respectum ad speciem, concedo: atqui fit quartum prædicabile Logicè per respectum ad speciem, nego. Ad prob. min. distinguo ma. quartum prædicabile Metaphysicè sumptum, apud Peripateticos, est accidens necessariò &c. concedo: quartum prædicabile Logicè acceptum, apud Peripateticos, est accidens necessariò &c. nego. Itaque proprium accipi potest, vel Logicè, vel Metaphysicè. Hoc secundo modo acceptum est gradus accidentalis necessariò ex intrinsecis speciei principiis resultans. Priori autem modo sumptum est idem gradus ut superior, aptus inesse multis, & prædicari de illis accidentaliter, necessariò, & convertibiliter. Proprium isto modo acceptum importat respectum ad inferiora; licèt altero modo spectatum, habitudinem obtineat ad speciem.

Inst.

Inst. proprium per ordinem ad illud constituitur in ratione quarti prædicabilis Logicè sumpti, de quo prædicatur prædicatione quarti prædicabilis, ut patet satis: atqui proprium de specie prædicatur prædicatione quarti prædicabilis, videlicet accidentaliter, necessariò, & convertibiliter: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. proprium per ordinem ad illud constituitur in ratione quarti prædicabilis Logicè sumpti, de quo prædicatur directa prædicatione quarti prædicabilis, concedo: de quo prædicatur reductiva prædicatione quarti prædicabilis, nego. Distinguenda est igitur duplex prædicatio quarti prædicabilis; una directa, & indirecta seu reductiva altera. Prior est, quæ obtinet omnia ad prædicationem quarti prædicabilis requisita. Posterior verò est, quæ aliqua quidem, imò plura, habet ad quarti prædicabilis prædicationem necessaria, non tamen omnia: & ejusmodi est proprii de specie prædicatio; etenim proprium prædicatur quidem de specie accidentaliter, necessariò, & convertibiliter; non tamen ad modum gradus superioris de subjecto inferiori; quod nihilominùs ad directam & completam quarti prædicabilis prædicationem requiritur.

Objic. 5. quod est æquale universali formali, universale formale sit necesse est; etenim unum universale formale non nisi per aliud universale formale adæquari potest: atqui proprium, prout speciem respicit, æquale est universali formali, nimirum æquale est speciei, quæ formaliter universalis est: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod est æquale universali formali, prout tale est, universale formale sit necesse est, concedo: quod est æquale universali formali, non tamen prout tale est, universale formale sit necesse est, nego: quamvis verò proprium, prout speciem respicit, æquale sit speciei formaliter universali, non tamen sub forma-

formalis universalitatis respectu; etenim respectus iste est relatio gradus superioris ad inferiora: proprium autem non respicit speciem, neque ipsam æquat, quatenus est gradus superior, ad inferiora relatus; sed duntaxat, prout est gradus ipsi proprio coæqualis.

§. VI.

De quinto prædicabili, quod accidens nuncupatur.

D. Thomas in q. de Sp'rit. Creat. a. 11. duas affert accidentis acceptiones. Prima est, qua significat id, quod non est substantia, quodque *accidens Physicum* vocari solet; atque dicitur *ens in alio*, id est, ens inhærens subjecto. Dividitur autem in novem prædicamenta accidentalia, videlicet in Quantitatem, Qualitatem, Relationem, &c. quam ob causam appellatur quoque *accidens prædicamentale*.

Secunda accidentis acceptio est, qua designat id omne, quod nec est de essentia rei, nec ejus propria passio, seu proprietas necessariò ipsi convenienes; sed est aliquid accidentaliter contingenter illi competens; quidquid tandem illud sit, nimirum, sive sit ens reale, sive ens rationis; sive sit substantia, sive Physicum accidens; vocaturque *accidens Logicum* aut *prædicabile*.

Addi posset tertia accidentis acceptio, qua accidens sumitur pro eo, quod fortuitum est, & casu accidit; & in hoc sensu accidens esse dicitur, quòd quis arando thesaurum inveniat.

Accidens verò Logicum aut prædicabile definit Porphyrius his verbis: *Accidens est, quod adest, & abest, absque subjecti corruptione.* Quam accidentis definitionem esse ineptam censent Laurentius Valla, & Erasmus Roterodamus, quos sequuntur aliqui Recentiores. Alii eandem definitionem rejiciunt, eo quòd putent, illam

non

non afferre sufficientem accidentis, prout est quintum prædicabile, à proprio, prout est quartum prædicabile, differentiam. Ita docet Avicenna; cui sententiæ subscribunt Oviedo, & Arriaga. Attamen allatam accidentis definitionem esse exactam, ipsamque sufficienter quintum prædicabile à quarto distinguere, asserunt communiter Peripatetici, cum quibus

Dico: legitima exactaque est præfata accidentis defioitio. Hæc conclusio est revera Aristotelis doctrina. Etenim ipse Philosophus lib. 1. Topic. 4. & lib. 4. cap. 1. definit accidens Logicum his verbis: *Accidens est, quod eidem inesse, & non inesse potest.* Quæ quidem definitio eundem habet sensum, quem obtinet ea, quæ ex Porphyrio allata est: nam particula, *eidem*, designat subjectum idem & incorruptum permanere, sive accidens insit, sive non: ac proinde ex ejusmodi definitione, *Accidens est quod adesse, & abesse potest, absque subjecti corruptione*, nihil est adimendum, vel ei addendum, ut sit bona.

Prob. etiam ratione: ea definitio legitima est, quæ totam rei naturam exponit: atqui superius posita accidentis prædicab lis definitio, totam ejus naturam expoait: ergo &c. Maj. manifesta est. Prob. min. tota accideotis prædicabilis natura consistit in ratione generica, qua cum ceteris prædicabilibus convenit; & in ratione differentiali, qua ab illis distinguitur: atqui prædicta definitio utramque accidentis rationem exponit: ergo &c. Ma. est certa. Prob. min. ratio generica accidentis prædicabilis est, quòd de multis prædicetur; in hoc enim univocè cum aliis prædicabilibus geoericèque convenit, quandoquidem singula prædicabilia de multis prædicantur: ratio autem illius differentialis est, quòd accidentaliter, contingenter, prædicetur; quoniam hoc nulli alteri prædicabili convenit: atqui præfatata definitio utramque rationem illam explicat: ergo &c. Prob. min. dum in illa definitione

accidens dicitur, quod adest, & abest, absque subjecti corruptione; legitimus sensus est, accidens inesse multis subjectis inferioribus, & de ipsis prædicari, modo quodam accidentali contingenti: adeò ut, sive insit eis, ac de illis prædicetur, sive non, eadem semper & incorrupta permaneant.

Urgetur ampliùs: idcircò Porphyriana definitio à quibusdam rejicitur, quia putant, illam sufficienter quintum prædicabile à quarto non distinguere: atqui hoc fundamentum falsum est: ergo &c. Prob. min. nam ut dictum est, legitimus præfatæ definitionis sensus designat, accidens, quod est quintum prædicabile, inesse multis subjectis inferioribus, & de ipsis prædicari, accidentali modo & contingenti: atqui hoc sufficienter quintum prædicabile à quarto distinguit; quandoquidem quartum prædicabile modo accidentali necessario prædicatur: ergo &c.

Deinde, cùm accidens prædicabile definitur: *Quod adest, & abest, absque subjecti corruptione:* non est sensus, quòd realiter adesse possit, & abesse, incorrupto permanente subjecto; (quandoquidem plura sunt accidentia communia & prædicabilia, quæ naturaliter abesse nequeunt realiter à subjecto, nisi corrumpatur; ut patet in albedine respectu Cygni, & in nigredine respectu Corvi) sed quòd possit adesse & abesse per intellectum affirmantem vel negantem; idest, quòd ab intellectu affirmari possit, vel negari, salva subjecti essentia; ut docent aut insinuant Porphyrius hìc, & D. Thomas q. unica de Spirit. Creat. art. ultimo ad 7. ac Philosophi communiter. Per hoc autem accidens commune, quod est quintum prædicabile, sufficienter distinguitur à quarto prædicabili, quod quia necessariò connectitur cum essentia subjecti, cum eaque convertitur, nequit de subjecto negari, salva ipsius essentia. Malè ergo carpitur Porphyrius ab Avincenna, quasi nullam tradiderit definitionem

nem accidentis, prout constituit quintum prædicabile.

Præter accidentis prædicabilis definitionem suprà ex Porphyrio allatam, duæ aliæ ab ipso assignantur. Prima est illa, quæ superiùs ex Aristotele allata est, his verbis: *Accidens est, quod eidem inesse, & non inesse, potest*. Quam quidem definitionem exposuimus satis. Tertia denique definitio est hujusmodi: *Accidens est, quod neque genus est, neque differentia, neque species, neque proprium; semper autem est in subjecto*; videlicet accidentaliter contingenter: quam definitionem ultimam tradit quoque Aristoteles lib. 1. Topic. cap. 4.

§. VII.

Objectiones contra primam accidentis definitionem solvuntur.

OBjic. 1. bona definitio dari non debet per opposita & incompossibilia; quin potiùs enim per partes rei definiendæ, quæ simul uniuntur ad naturam illius componendam, danda est: atqui prima accidentis definitio à Porphyrio tradita, per opposita & incompossibilia, nempe per *adesse* & *abesse*, datur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. bona definitio dari non debet in recto per opposita &c. concedo: bona definitio dari non debet in obliquo & de connotato per opposita &c. quando id exigit rei definiendæ natura, nego: prima verò accidentis definitio à Porphyrio tradita, datur quidem per opposita, quæ simul sunt incompossibilia; at non in recto, sed in obliquo solùm ac de connotato; datur quippe per aptitudinem ad *adesse*, & *abesse*; ubi aptitudo illa importatur in recto ac immediatè; *adesse* verò & *abesse* (quæ sunt duo opposita, & simul incompossibilia) mediatè

tan-

tantùm & in obliquo ac de connotato exprimuntur; idque exigit natura accidentis contingentis, ut innotescat, ipsum contingenter inesse subjecto; quod sufficienter ex eo colligitur, quòd indifferenter adesse potest, & abesse, absque subjecti corruptione.

Dices: cùm definitur accidens: *Quod adest, & abest, absque subjecti corruptione*: particula, *&*, non sumitur copulativè, ita ut significet, accidens posse copulativè & simul adesse & abesse sine corruptione subjecti; sed accipitur disjunctivè, adeò ut sensus sit, accidens successivè & diversis temporibus posse adesse, vel abesse, absque subjecti corruptione: atqui hoc posito, bona non est illa accidentis definitio; ergo &c. Prob. min. bona definitio accidentis debet ejus naturam per aliquid determinatum explicare; quandoquidem determinata est illa natura: atqui si allata accidentis definitio disjunctivum obtineat sensum, naturam accidentis per aliquid determinatum non explicat; quandoquidem disjunctivus sensus non est determinatus, sed indeterminatus & confusus: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. distinguo ma. bona definitio accidentis debet ejus naturam per aliquid in recto determinatum, explicare, concedo: debet ejus naturam per aliquid in obliquo & de connotato determinatum, explicare, nego: quamvis verò allata accidentis definitio disjunctivum obtinens sensum, accidentis naturam non explicet per aliquid in obliquo & de connotato determinatum; illam tamen exponit per aliquid determinatum in recto: ejusmodi enim definitio manifestat accidentis naturam per aptitudinem ad præsentiam vel absentiam, quæ indifferenter contingere possit, absque subjecti corruptione; ubi determinata accidentis aptitudo importatur immediatè & in recto, contingens autem illius præsentia vel absentia disjunctivè & in-

indeterminatè sumpta, mediatè solùm & in obliquo ac de connotato exprimitur.

Objic. 2. bona definitio debet omni definito convenire; ut communiter docent Peripatetici: atqui præfata definitio accidentis omni definito, seu omni accidenti, non convenit: ergo &c. Prob. min. existentia in qualibet creatura est accidens ejus Logicum; solus enim Deus, ob summam ipsius actualitatem, essentialiter existit, ita ut ejus essentia in actuali existentia consistat; & tamen prædicta definitio nequaquam existentiæ competit, quandoquidem existentia nequit abesse à creatura, nisi corrumpatur: ergo illa accidentis definitio omni accidenti Logico non convenit.

Respondeo concessâ ma. negando min. ad cujus prob. nego, definitionem illam existentiæ creaturæ non convenire; quantumvis enim si actualis existentia absit à creatura, ipsa in actu exercito corrumpatur, ita ut amplius exercitè non existat: non corrumpitur tamen, sed permanet in actu signato, id est, quantùm ad veritatem prædicatorum essentialium; licèt etenim homo v. g. actu non existat, nihilominus prædicata ejus essentialia, videlicet *animal* & *rationale*, verè de ipso affirmantur, ita ut semper verè dicatur: *Homo est animal rationale*. Quando autem à Porphyrio definitur accidens: *Quod adest, & abest, absque subjecti corruptione*: ultimæ tres particulæ non sunt in actu exercito sumendæ, sed veniunt in actu signato intelligendæ.

Inst. 1. calor ab igne in aqua productus, est accidens ejus, cùm nec sit prædicatum essentiale, nec proprietas illius; & tamen calor adesse nequit aquæ absque ejus corruptione: idem est dicendum de morte respectu hominis, & de combustione respectu domus: ergo relata accidentis definitio omnibus accidentibus non convenit.

Ref-

Respondeo negando, allatam accidentis definitionem non competere calori respectu aquæ, morti respectu hominis, & combustioni respectu domus: tametsi enim nequeant adesse, calor aquæ, mors homini, & combustio domui, sine eorum corruptione, in actu exercito; nihilominus adesse possunt absque eo, quòd in actu signato corrumpantur: quamvis etenim aqua per calorem destruatur, homo moriatur, & domus combustione consumatur; prædicata tamen eorum essentialia verè de ipsis affirmantur; unde ex communi Philosophorum doctrina, propositiones affirmativæ, in quibus prædicata essentialia de rebus creatis enunciantur, dicuntur esse æternæ veritatis.

Urgeb. *vivens*, est prædicatum hominis essentiale: atqui *vivens* verè de homine mortuo non affirmatur; quandoquidem mors vitam excludit: ergo omnia prædicata essentialia hominis verè de ipso mortuo non affirmantur.

Respondeo distinguendo ma. *vivens* prout vitam aptitudinalem, seu aptitudinem ad actiones vitales, significat, est prædicatum hominis essentiale, concedo: *vivens*, prout vitam actualem, seu actiones vitales exercitas, designat, est prædicatum hominis essentiale, nego; actiones quippe vitales exercitæ sunt duntaxat contingentia hominis accidentia: licèt verò *vivens* secundo modo sumptum, verè de homine mortuo non affirmetur verè tamen de illo afferitur, si primo modo accipiatur; nam quamvis mors vitam actualem excludat, attamen vitam aptitudinalem non destruit.

Inst. 2. illud, simpliciter loquendo, adesse nequit absque subjecti corruptione, quod adesse non potest, nisi subjecti essentia destruatur; ut patet: atqui mors adesse non potest huic homini, nisi destruatur ejus essentia: ergo &c. Prob. minor: dum individualis entitas hujus hominis destruitur, ipsius essentia destruatur necesse

est;

est; quandoquidem duo illa realiter identificantur: atqui mors adesse nequaquam potest huic homini, nisi illius entitas individualis destruatur; alioquin non moreretur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. illud simpliciter loquendo, adesse nequit absque subjecti corruptione, quod adesse non potest, nisi subjecti essentia in actu signato destruatur, concedo: nisi subjecti essentia in solo actu exercito destruatur, nego: licèt autem mors adesse non possit huic homini, nisi destruatur ejus essentia in actu exercito; (necesse enim est, ut post hujus hominis mortem, ejus essentia exercitè non existat ampliùs) ejusmodi tamen essentia semper in actu signato permanet, ita ut essentia hominis prædicata de hoc homine semper, etiam post mortem, verè in actu signato asseratur. Ad prob. min. distinguo ma. dum individualis entitas &c. ipsius essentia in actu exercito destruatur necesse est, concedo: ipsius essentia in actu signato destruatur necesse est, nego: & concessa min. distinguendum est consequens distinctione data.

§. VIII.

Quomodo accidens constituatur quintum prædicabile?

Notandum est, colorem in communi v. g. (& idem dicendum est de quovis alio accidente in communi sumpto) habere duo inferiorum genera; quædam enim sunt, de quibus *in quid*, seu quidditativè aut essentialiter prædicatur; nempè *hoc coloratum*, *illud coloratum*, *&c.* alia verò sunt, de quibus accidentaliter contingenter enunciatur; nimirum, *hic homo*, *hoc lignum*, *hic paries*, & similia subjecta, quæ connotant colorem, quo afficiuntur, &

colo-

colorata accidentaliter contingenter denominantur. Hoc præmisso

Dico : accidens non constituitur quintum prædicabile, per respectum ad ea inferiora, de quibus *in quid* prædicatur ; sed per respectum ad illa, de quibus accidentaliter contingenter enunciatur : sic v. g. color rationem quinti prædicabilis non obtinet per ordinem ad *hoc coloratum*, *illud coloratum*, &c. sed per ordinem ad hunc hominem, hunc lignum, hunc parietem, & alia subjecta similia colorem connotantia, & colorata accidentaliter contingenter denominata.

Ratio est manifesta: accidens siquidem per respectum ad ea tantùm inferiora constituitur quintum prædicabile, de quibus prædicatione quinti prædicabilis enunciatur ; ut satis patet : atqui accidens non enunciatur prædicatione quinti prædicabilis de inferioribus, quibus essentialiter convenit ; benè tamen de illis inferioribus, quibus accidentaliter contingenter competit ; quandoquidem quintum prædicabile ex proprio prædicandi modo, apud Peripateticos, accidentaliter contingenter prædicatur : ergo &c.

Objic. I. omne prædicabile, aut universale formale, debet de inferioribus, per respectum ad quæ constituitur, univocè prædicari ; prout communiter asserunt Peripatetici : atqui accidens, color v. g. non prædicatur univocè de hoc homine, de hoc ligno, de hoc pariete & de similibus aliis subjectis substantialibus ; quandoquidem ex Aristot. in Præd. cap. de subst. accidens de substantia univocè non prædicatur : ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. quamvis enim accidens, v. g. color, de hoc homine, de hoc ligno, de hoc pariete, & de similibus aliis subjectis substantialibus, univocè essen-

tialiter non prædicetur; de illis tamen univocè accidentaliter enunciatur; nihilque impedit, ne accidens univocè de substantia accidentaliter prædicari possit.

Objic. 2. accidens per ordinem ad illa inferiora tantummodò constituitur quintum prædicabile, de quibus per se est enunciabile; ut patet satis: atqui accidens non est per se, sed per accidens tantùm, de inferioribus aut subjectis substantialibus enunciabile: sic v. g. albedo de hoc homine, de hoc ligno, de hoc pariete, &c. per se non enunciatur, sed per accidens solùm; per accidens enim est, quòd illa subjecta sint alba potiùs, quàm nigra: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. accidens per ordinem ad illa inferiora tantummodò constituitur quintum prædicabile, de quibus per se est enunciabile: si illæ particulæ *per se*, teneant se ex parte naturæ accidentis, concedo: si particulæ illæ teneant se ex parte inferiorum ab accidente denominatorum, nego. Quamvis verò accidens non sit per se, sed per accidens tantùm, de inferioribus aut subjectis substantialibus enunciabile; si illæ particulæ, *per se*, & *per accidens*, sumantur ex parte ejusmodi inferiorum, aut subjectorum; quatenus subjecta illa per se non exigunt denominari ab uno accidente, potiùs quàm ab altero, verbi gratia ab albedine potiùs, quàm à nigredine; sed id eis convenit per accidens, & præter naturalem ipsorum exigentiam: attamen accidens per se, & non per accidens, de illis inferioribus aut subjectis enunciabile est, si particulæ, *per se*, & *per accidens*, considerentur ex parte naturæ accidentis; etenim accidens per se ex sua natura est accidentaliter contingenter enunciabile de iis inferioribus aut subjectis, quæ denominat, licèt inferiora aut subjecta illa per accidens, seu præter

ter exigentiam suam naturalem, ab accidente denominentur.

Objic. 3. Quodlibet universale debet esse idem realiter cum inferioribus de quibus est formaliter prædicabile; nam alioquin per veram prædicationem non posset de illis affirmari: atqui albedo non est realiter eadem cum hoc homine, &c. sed potiùs realiter ab eis distinguitur: ergo &c.

Respondeo, concessa maj. distinguendo min. atqui albedo in abstracto sumpta non est &c. concedo: atqui albedo in concreto accepta, videlicet prout dicitur *album* in communi, non est realiter eadem cum hoc homine &c. subdistinguo: hic homo, &c. secundum se præcise spectentur, concedo: si subjecta illa considerentur, prout sunt *particularia alba*, nego; etenim gradus superior communis & universalis, cum inferioribus & particularibus realiter identificatur, eo quòd universalia virtualiter tantùm à particularibus distinguantur; ut fusè suprà ostensum est.





QUÆSTIO TERTIA.

De Proprietatibus universalium.



ACTENUS de essentia & speciebus *Universalis* disputatum est; deinceps de proprietatibus ejus disserendum erit. Duæ verò sunt potissimùm proprietates *Universalis*: Perpetuitas nimirum, & Prædicabilitas. Ex eo enim, quòd natura universalis ratione suæ essentiæ abstrahit ab omni tempore, adeò ut ad unum rempus potiùs quàm ad alterum non sit ex sua essentia determinata, concipitur ante omne tempus; & ita aliquo modo est perpetua, modo infrà explicando. Præterea ex eo quòd universalis natura est in multis inferioribus, ipsisque convenit, de eis per affirmationem verè prædicabilis est. De perpetuitate *Universalis* in priori Articulo, & de ejus prædicabilitate in posteriori, dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quomodo universalia sint perpetua?

NOtandum est ex D. Thoma in 1. dist. 33. a. 2. triplex *esse* in aliqua natura debere distingui. Primum est *esse existentiæ*, ratione cujus natura creata à parte rei extra causas existit. Alterum est *esse essentiæ*, ratione cujus essentia naturæ creatæ extra Deum est entitas realis. Tertium est *esse veritatis propositionis*, ratione cujus prædicatum verè de subjecto, per verbum, *est*, affirmatur; ut dum dicitur: *Homo est animal rationale*. Hoc prænotato

Dico

Dico 1. universalia quoad *esse existentiæ* non sunt perpetua.

Prob. & explicatur: illud dicitur quoad *esse existentiæ* perpetuum, sive æternum, quod ab æterno extitit: atqui universalia ab æterno extra Deum non exstiterunt: ergo &c. Prob. min. universalia, aut naturæ universales, in seipsis non existunt, sed in singularibus; sic v. g. natura humana in communi aut in universali sumpta, non existit in se, sed in Petro, Paulo, & aliis singularibus humanis, in quibus invenitur, & cum quibus realiter identificatur, adeò ut ad eorum productionem & existentiam producatur & existat; proindeque tunc solùm exstiterunt universalia, quando exstitere singula: atqui singularia ab æterno non exstiterunt: ergo. &c. Prob. min. cùm naturarum creatarum singularia ad mundum spectent, tanquam ejus partes, tunc tantùm exstiterunt singularia, quando mundus incœpit: atqui non ab æterno, sed in principio temporis mundus incœpit; juxta illud Gen. 1. *In principio creavit Deus Cœlum & Terram*: ergo &c.

Dico 2. universalia, *quoad esse essentiæ*, non sunt extra Deum perpetua positivè. Dixi, *extra Deum*; etenim essentias rerum ab æterno fuisse in Deo, sicut in causâ, quæ positivè potuit illas producere, certum est; quandoquidem Deus ab æterno positivè fuit omnipotens. Fuerunt etiam rerum essentiæ in ideis divinis, sicut in exemplaribus æternis. Hoc præmisso

Prob. conclusio: *Esse essentiæ* est illud, ratione cujus essentia est entitas realis; ut ex dictis liquet: atqui universalia quoad *esse*, ratione cujus eorum essentia est entitas realis, non sunt extra Deum perpetua positivè: ergo &c. Prob. min. si universalia quoad illud *esse* forent extra Deum perpetua positivè, essentia universalium extra Deum fuisset perpetuò entitas realis positivè; ut patet: atqui essentia universalium extra Deum non fuit perpetuò entitas realis positivè:

ergo &c. Prob. min. si essentia universalium extra Deum fuisset perpetuò entitas realis positivè; vel fuisset producta, vel improducta? atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & primò quidem non esset improducta; quoniam foret extra Deum: quidquid autem extra Deum est, productum est; quia res non nisi per productionem extra Deum ponuntur. Non esset quoque producta: tum quia productio rerum non fuit positivè perpetua seu æterna, sed in principio temporis incœpit; juxta illud: *In principio &c.* tum etiam, quia quod est productum, existit; productio namque ad existentiam terminatur, eamque effectui producto communicat: entitas verò universalium ab æterno extra Deum non extitit; ut probatum est.

Respondent aliqui apud Soncinnatem 9. Metap. q. 4. essentias rerum, seu naturarum universalium ab æterno extra Deum habuisse quandam entitatem realem diminutam, & veluti inchoatam, quæ deinde existentiam per productionem in tempore à Deo accipit.

Hæc doctrina tribuitur pluribus Scotistis, quos aliqui recentiores sequuntur. Ista tamen sententia confutatur ex dictis: nam entitas illa realis diminuta, vel est producta, vel improducta? atqui neutrum potest dici: ergo &c. Prob. min. & primò quidem ejusmodi entitas non est improducta; quoniam extra Deum supponitur: non est etiam producta; quia productio cujuslibet realis entitatis creatæ, non ab æterno, sed in principio temporis incœpit.

Sanè eo ipso, quòd illa entitas diminuta realis est extra Deum, distinguitur à Deo, seu ab ente increato, proindeque est aliqua realis creatura; sicque sequitur, aliquam realem creaturam extra Deum ab æterno fuisse; quod tamen temerarium videtur.

Dico 3. universalia quoad *esse essentiæ* sunt perpetua negativè. Hanc conclusionem docet D. Tho-

D. Thomas 1. p. q. 16. a. 7. ad 2. & q. 1. de Verit. a. 5. ad 13. & 14. Hujus autem conclusionis duplicem insinuat rationem locis citatis.

Prima sic proponitur: Temporale dicitur illud, quod determinato tempore incœpit; proindeque quod determinato tempore non incœpit, temporale non est; sed perpetuum seu æternum, saltem negativè, dici potest: atqui universalia, quoad *esse essentiæ*, ratione sui, determinato tempore non incœperunt: ergo &c. Prob. min. ea res duntaxat determinato tempore incipit, quæ determinato tempore producitur; res enim per sui productionem esse incipit: atqui universalia, quoad *esse essentiæ*, ratione sui determinato tempore non producuntur, sed tantummodò ratione singularium; etenim determinato tempore homo v. g. in communi seu in universali, quoad *esse essentiæ*, non producitur sive non generatur ratione sui; sed tantummodò ratione Petri, Pauli, & aliorum individuorum humanorum, quæ determinatis temporibus progignuntur: ergo &c.

Ex qua doctrina colligitur, universalia ratione sui esse negativè ingenerabilia & incorruptibilia; quatenus nec generantur, nec corrumpuntur ratione sui, sed duntaxat ratione singularium, seu ad eorum generationem & corruptionem.

Secunda ratio sic formatur: Perpetuum aut æternum negativè dicitur illud, quod ad aliquod tempus non est determinatum, sed ab omni tempore abstrahit: atqui universalia quoad *esse essentiæ*, sive universales naturæ quoad essentias suas, ad aliquod tempus non determinantur, sed ab omni tempore abstrahunt: ergo &c. Prob. min. naturæ universales quoad essentias suas ab eo abstrahunt, quod extra ipsarum essentias est; ut patet: atqui determinatum tempus est extra naturarum universalium essentias; neque enim tempus præsens, potiùs, quàm

præteritum; vel præteritum, potiùs quàm futurum, eſt de humanæ naturæ eſſentia: ergo &c.

Sicut autem naturarum univerſalium eſſentiæ ab omni abſtrahunt tempore, & ideò ſunt æternæ negativè; ita ab omni loco abſtrahunt, & idcircò dici poſſunt negativè immenſæ.

Dico 4. univerſalia non ſunt poſitivè perpetua quoad *eſſe veritatis propoſitionis*.

Prob. & explicatur: *Eſſe veritatis propoſitionis* eſt, ratione cujus, prædicatum verè de ſubjecto per verbum *eſt* affirmatur; ut ex dictis liquet: atqui univerſalia quoad illud eſſe non ſunt perpetua poſitivè: ergo &c. Prob. min. ut poſitivè prædicatum verè de ſubjecto per verbum *eſt* affirmetur, requiritur, ut prædicatum & ſubjectum verè connectantur, aut identificentur poſitivè; ut patet: & ita opus eſt, ut prædicatum & ſubjectum poſitivè exiſtant; quæ enim poſitivè non exiſtunt, poſitivè connecti vel identificari nequeunt. Conſtat verò ex dictis, ſubjectum & prædicatum naturæ univerſalis poſitivè ab æterno, extra Deum, non extitiſſe: ac proinde nulla univerſalis natura fuit poſitivè perpetua aut æterna quoad veram connexionem vel identificationem prædicati cum ſubjecto, ſive quoad *eſſe veritatis propoſitionis*.

Dico 5. univerſalia ſunt negativè perpetua quoad *eſſe veritatis propoſitionis*.

Prob. & explanatur: *Eſſe veritatis propoſitionis* conſiſtit in vera connexione aut identificatione prædicati cum ſubjecto; ut ex dictis liquet: atqui univerſalia quoad illam connexionem aut identificationem ſunt negativè perpetua: ergo &c. Prob. minor. perpetuum negativè dicitur illud, quod abſtrahit ab omni tempore: atqui univerſalia quoad præfatam connexionem aut identificationem ab omni abſtrahunt tempore: ſic v. g. natura univerſalis humana in hac propoſitione: *Homo eſt animal*: quoad connexionem prædicati, ſcilicet, *animalis*, cum ſubjecto, vide-

licet

licet cum *homine*, ab omni tempore abstrahit; neque enim *animal* cum *homine*, uno potius, quàm alio tempore, connectitur: ergo &c.

Ex dictis inferes, propositiones universales necessarias esse negativè veritatis æternæ: hujusmodi sunt istæ: *Homo est animal*: *Homo est rationalis*: etenim ex dictis constat, universalia esse negativè perpetua quoad *esse veritatis propositionis*: hoc autem significat, propositiones universales necessarias, in quibus nempè naturæ universales necessariò de subjectis prædicantur, esse negativè veritatis perpetuæ seu æternæ. Propositiones autem universales necessariæ, & veritatis æternæ, aliæ sunt, in quibus, prædicatum est de essentia subjecti; ut sunt: *Homo est animal*, *Homo est rationalis*.

Aliæ sunt, in quibus prædicatum est propria passio seu proprietas subjecti; ut sunt: *Homo est risibilis*, *Homo est admirativus*. Hinc scientiæ dicuntur esse de rebus æternis: quia naturas universales considerant, & conclusiones aut propositiones universales necessarias, aut explanant, aut demonstrant: naturæ verò & propositiones illæ, sunt negativè æternæ.

Dupliciter autem propositiones universales necessariæ sunt ab æterno veræ; nimirum veritate objectiva, & veritate formali. Sunt quidem veræ veritate objectiva; quatenus sunt objectum veræ cognitionis divinæ, qua intellectus Dei illas ab æterno percipit. Sunt etiam veræ veritate formali, seu ex parte intellectus divini; ut docet D. Thomas 1. p. q. 10. a. 3. ad 3. & q. 16. a. 7. & alibi, inquantùm divinus intellectus illas, ut sunt in se, ab æterno apprehendit; veritas quippe formalis, quæque est in intellectu, in eo consistit, quòd intellectus percipiat objectum sicuti est in se.

Cæterùm prædictæ propositiones fuerunt ab æterno veræ veritate objectiva, solùm negativè; quatenus in eis connexio prædicati cum

subjecto, quæ per modum subjecti correspondit divinæ cognitioni æternæ, negativè tantùm ab æterno extitit; ut ex dictis constat. Ab æterno tamen veræ fuerunt positivè veritate formali, quia intellectus divinus ab æterno per positivum veræ cognitionis actum præfatam prædicati cum subjecto apprehendit connexionem.

Quæres, an propositiones contingentes diei possint esse æternæ veritatis?

Respondeo 1. propositionem contingentem esse illam, in qua prædicatum contingenter convenit subjecto; adeò ut, nec sit de essentia subjecti, nec cum illa necessariò, ad modum proprietatis, connectatur, sed possit adesse, & abesse, salva ipsius subjecti essentia: ejusmodi est illa propositio: *Petrus est Physicus*.

Respondeo 2. triplicem propositionem contingentem esse distinguendam: unam quidem de præsenti; ut est ista: *Petrus est Physicus*: alteram de præterito; ut est hæc: *Petrus fuit Physicus*: & demùm aliam de futuro; cujusmodi est hæc: *Petrus erit Physicus*.

Respondeo 3. propositionem contingentem de præsenti, vel de præterito, dici non posse æternæ veritatis: quoniam connexio prædicati cum subjecto, in illa, non abstrahit ab omni tempore, sed ad aliquod tempus determinatur; in propositione quidem de præterito, ad tempus præteritum; & in propositione de præsenti, ad tempus præsens. Unde hæc propositio contingens de præterito: *Petrus fuit Physicus*: vera non est, nisi quia Petrus Physicam præterito tempore obtinuit. Nec etiam vera est ista contingens de præsenti: *Petrus est Physicus*: nisi ex eo, quòd Physicam præsenti tempore possidet.

Propositiones autem contingentes de futuro sunt quidem ab æterno veræ, vel falsæ; non tamen ab intrinseco, seu ex intrinseca connexione prædicati cum subjecto; (qua ratione ab æterno veræ sunt propositiones universales necessariæ)

riæ) sed solùm ab extrinseco, nimirum virtute decreti Divini, quo Deus ab æterno futura contingentia decrevit.

§. UNICUS.

Quædam contra præcedentem doctrinam objectiones diluuntur.

OBjic. 1. contra 5. conclus. propositioni æternæ veritatis debet æternum correspondere objectum; ut enim dicitur ab Aristot. in Categoriis cap. de subst. *Ex eo quòd res est, vel non est, oratio, seu propositio, est vera vel falsa*: atqui propositioni necessariæ universali non correspondet objectum æternum; quandoquidem natura universalis, hujusmodi propositioni correspondens, ab æterno extra Deum nihil est; ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. propositioni æternæ veritatis debet æternum negativè correspondere objectum, concedo: debet æternum positivè correspondere objectum, subdistinguo: debet æternū positivè correspondere objectū, quando propositio est objectivæ veritatis æternæ positivè, concedo: quando propositio est objectivæ veritatis æternæ solùm negativè, nego: licèt autem propositio necessaria universalis sit objectivæ veritatis æternæ; non tamen positivè, sed negativè tantum; ut ex dictis liquet: & ideò satis est, ut illi objectum negativè æternum correspondeat; quod quidem objectum est natura universalis, prout de ipsa aliquod prædicatum necessariò enunciatur. Et quamvis natura illa ab æterno extra Deum positivè & actu nihil sit; attamen negativè & aptitudinaliter verè est ens reale de quo prædicata negativè & aptitudinaliter realia verè enunciantur.

Objic. 2. hæc propositio: *Homo est vivens*: est universalis necessaria; & tamen non est æternæ

veritatis: ergo non omnis propositio universalis necessaria est æternæ veritatis. Prob. ant. & primò quidem illa propositio: *Homo est vivens*: est universalis necessaria; quoniam universaliter omnis homo est necessariò vivens. Non est autem æternæ veritatis; quoniam homo verè ab æterno non vixit, sed in tempore vivere incœpit.

Respondeo concedendo, illam propositionem *Homo est vivens*: esse universalem necessariam; sed negando, eam non esse æternæ veritatis, in sensu superiùs explicato: quamvis enim homo ab æterno verè non vixerit vita positiva & actuali; verè tamen ab æterno vixit vita negativa & aptitudinali; quod sufficit, ut illa propositio sit objectivæ veritatis æternæ negativè.

Inst. 1. Homo interdum moritur: ergo tunc ista propositio: *Homo est vivens*: vera non est.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo tunc ista propositio: *Homo est vivens vita actuali*, vera non est, concedo: ergo tunc ista propositio; *Homo est vivens vita aptitudinali*: vera non est, nego. Propositio autem illa: *Homo est vivens vita actuali*: nec est universalis; homo quippe in universali non vivit vita actuali, sed in particulari tantùm, vel in singulari: nec necessaria; etenim vita actualis non convenit homini necessariò, sed contingenter solùm; cùm homo modò vivat vita actuali, modò non vivat. Altera tamen propositio: *Homo est vivens vita aptitudinali*: est universalis & necessaria; sed semper vera est.

Inst. 2. ut homo sit vivens, requiritur unio animæ cum corpore: ergo quia hæc unio ab æterno non fuit, sed fit in tempore; præfata propositio: *Homo est vivens*: ab æterno vera non fuit.

Respondeo distinguendo antec. ut homo sit vivens vita actuali, requiritur unio animæ cum corpore, concedo: ut homo sit vivens vita aptitudinali, requiritur unio animæ cum corpore; sub-

subdistinguo; requiritur aptitudinalis unio animæ cum corpore, concedo; requiritur actualis unio animæ cum corpore, nego: & distinguo pariter consequens; ergo, quia hæc unio ab æterno actualiter non fuit, sed fit in tempore; præfata propositio: *Homo est vivens vita actuali*; ab æterno vera non fuit, concedo: ergo, quia hæc unio ab æterno aptitudinaliter non fuit, sed fit in tempore; præfata propositio: *Homo est vivens vita aptitudinali*; ab æterno vera non fuit, nego.

Objic. 3. ea tantùm propositio est æternæ veritatis, in qua est vera prædicati cum subjecto connexio ab æterno; ut patet: atqui in illa propositione: *Homo est vivens*; non est ab æterno vera prædicati cum subjecto connexio: ergo &c. Prob. min. vera connexio inter subjectum & prædicatum non datur, nisi verè ambo existant: atqui subjectum & prædicatum illius propositionis, *Homo est vivens*: nempe *homo* & *vivens*, verè ab æterno non existunt: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. ea tantùm propositio est æternæ veritatis, in qua est vera prædicati cum subjecto connexio, vel positiva & actualis, vel negativa & aptitudinalis, ab æterno, concedo; in qua semper est vera prædicati cum subjecto positiva & actualis connexio ab æterno, nego: & distinguo etiam min. atqui in illa propositione: *Homo est vivens*; non est ab æterno vera prædicati cum subjecto positiva & actualis connexio, concedo; non est ab æterno vera prædicati cum subjecto negativa & aptitudinalis connexio, nego. Ad prob. min. distinguo maj. vera connexio positiva & actualis inter subjectum & prædicatum non datur, nisi verè ambo existant, concedo; vera connexio negativa & aptitudinalis inter subjectum & prædicatum non datur, nisi verè ambo existant; subdistinguo, nisi ambo negativè & aptitudinaliter existant, concedo; nisi ambo positivè & actualiter existant, nego: licèt autem *homo* & *vivens*

positivè & actualiter ab æterno non extiterint; verè tamen ab æterno negativè & aptitudinaliter extiterunt.

Dices: negativa connexio prædicati cum subjecto propositionis universalis necessariæ ab æterno nihil est: ergo nequit æternam veritatem fundare.

Respondeo distinguendo ant. negativa connexio prædicati cum subjecto propositionis universalis necessariæ ab æterno positivè & actualiter nihil est, concedo: negativè & aptitudinaliter nihil est, nego; hæc quippe connexio consistit in reali subjecto, realique prædicato ejusmodi propositionis, aptitudinaliter ab æterno existentibus, quorum primum universaliter & necessariò verèque exigit secundum; quæ quidem connexio æterna, seu vera, universalis, & necessaria exigentia æterna, ad fundandam æternam propositionis universalis necessariæ veritatem objectivam negativè æternam planè sufficit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum, & quomodo universalia sint prædicabilia?

§. I.

Quædam præmittuntur.

PRædicatio dupliciter accipi potest, nimirum vel oratoriè, vel Logicè. Priori modo sumpta est concio, qua Christianus orator persuadet fidelibus populis, quæ necessaria sunt ad rectè sanctèque vivendum, prout Christianæ religionis sanctitas exposcit; hinc Christiani oratores aut concionatores solent *Prædicatores* nuncupari. Posteriori autem modo accepta est unius de alio, id est, prædicati de subjecto enunciatio. De oratora prædicatione hic agendum non est, sed de

de sola prædicatione Logica est differendum.

Prædicatio Logicè usurpata, alia est affirmativa, & altera negativa. Prior est, in qua prædicatum affirmativè attribuitur subjecto; cujusmodi est ista prædicatio: *Homo est animal*: in qua *animal* per affirmationem homini tribuitur. Posterior autem est, in qua prædicatum de subjecto negatur; cujusmodi est hæc prædicatio: *Homo non est lapis*: in qua ratio lapidis homini denegatur.

Prædicatio affirmativa in directam & in indirectam dividitur. Prior est, in qua *superius* de *inferiori* enunciatur; ut dum dicitur: *Homo est animal*; in qua propositione *animal*, quod homine superius est, de homine affirmatur: appellatur verò *directa*, aut ordinata, quoniam in illa directus & connaturalis ordo & modus prædicandi observatur. Posterior verò est, in qua *inferius* de *superiori* prædicatur; ut *animal est homo*: vocatur autem *indirecta*, aut inordinata, quia in ea invertitur directus & connaturalis prædicandi modus, secundùm quem *superius* petit *inferiori* per prædicationem attribui, & non viceversa. Hinc prædicatio *impropria* & *abusiva* à Porphyrio nuncupatur.

Prædicatio rursus dividitur in essentialem, & in accidentalem. Prior est, in qua prædicatum est de essentia subjecti; cujusmodi est hæc prædicatio: *Homo est animal*: animal quippe ad essentiam hominis, ad modum generis, pertinet. Posterior verò est, cujus prædicatum est extra subjecti essentiam. Et hoc dupliciter fieri potest: vel enim prædicatum est subjecti proprietas, seu accidens proprium; ut cùm dicitur: *Homo est risibilis*; & tunc est prædicatio accidentalis propria: vel prædicatum est duntaxat accidens contingens; ut fit in hac propositione: *Homo est albus*; & tunc prædicatio accidentalis contingens dicenda est. Prædicatio essentialis dicitur etiam *quidditativa*; quoniam per essentiam

nar

rei ad quæstionem aut interrogationem; *Quid res ipsa sit?* respondemus. Perquirat enim aliquis: *Quid sit homo?* statim per ipsius essentiam respondetur, dicendo: *Homo est animal rationale*: Tota siquidem hominis essentia in animali sicut in genere, & in rationali sicut in differentia, posita est. Prædicatio accidentalis appellatur etiam *denominativa*, quia ejus prædicatum importat formam accidentalem accidentaliter subjectum denominantem; hoc patet in ista prædicatione: *Homo est albus*: ubi prædicatum, *albus*, importat albedinem, qua homo albus accidentaliter denominatur.

Prædicatio accidentalis, ex parte subjecti, de quo prædicatum accidentaliter enunciatur, dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. Prior est, in qua prædicatum designat formam intrinsecè subjecto inhærentem, ipsumque intrinsecè denominantem; ejusmodi est ista prædicatio: *Æthiops est niger*: nigredo quippe est accidentalis forma inhærens Æthiopi intrinsecè, eumque intrinsecè nigrum denominans. Posterior verò est, cujus prædicatum denotat formam accidentalem, qua subjectum extrinsecè denominatur; ut dum dicitur: *Paries est visus*: ibi enim participula, *visus*, quæ est prædicatum illius propositionis, significat *visionem* extrinsecè denominantem parietem visum.

Præterea, prædicatio affirmativa in formalem, materialem, identicam, & disparatam, distribuitur. Prædicatio formalis est ista, in qua prædicatum est de conceptu formali aut essentiali & quidditativo subjecti; vel, ut alii dicunt, est ea, in qua universale formale de inferiori prædicatur; hujusmodi est ista prædicatio: *Homo est animal*. Prædicatio materialis est, in qua subjectum & prædicatum materialiter seu entitativè quidem à parte rei idem sunt; attamen secundùm intellectum ab invicem distinguuntur, sesque mutuò excludunt; ejusmodi est hæc prædicatio:

Ani-

Animalitas est rationalitas. Prædicatio identica est, cujus prædicatum cum subjecto idem prorsus est; talis est ista prædicatio: *Ensis est gladius*: dicitutque *identica* propter omnimodam subjecti & prædicati identitatem.

Ubi notandum est discrimen, quod inter prædicationem materialem, & prædicationem identicam, intercedit. In priori etenim prædicatione subjectum & prædicatum à parte rei quidem idem sunt; sed per intellectum & distinguuntur,& à se mutuò excluduntur: subjectum verò & prædicatum posterioris prædicationis, & à parte rei, & per intellectum, idem omninò sunt, neque unum ullo modo alterum excludit. Demùm prædicatio disparata est ea, in qua subjectum & prædicatum disparatè se habent, adeò ut nullo modo unum cum altero connectatur, aut identificetur: hujusmodi est hæc prædicatio: *Homo est lapis*.

§. II.

Qua ratione universalia sint prædicanda, explanatur.

DIco: ut prædicatio affirmativa sit propriè & simpliciter vera, opus est, uti prædicatum verè conveniat subjecto. Ita docet D.Thomas 1.p. qu. 13. ar.12. Ratio est, quia prædicatio affirmativa asserit, prædicatum convenire subjecto; ut liquet in hac prædicatione: *Homo est animal*: ubi asseritur, rationem *animalis* competere homini: ego ut prædicatio affirmativa propriè & simpliciter sit vera, verumque affirmet, necesse est,ut prædicatum verè conveniat subjecto. Imò prædicationis affirmativæ veritas in ipsa convenientia prædicati cum subjecto fundatur. Quoniam verò negativa propositio è contra negat, prædicatum convenire subjecto; idcircò ad ejus veritatem opus est, ut prædicatum verè

verè subjecto disconveniat. Hinc ista propositio negativa propriè vera est: *Homo non est lapis*: quia ratio lapidis verè disconvenit homini; hæc autem propositio: *Homo non est animal*: falsa est; quoniam *animal* verè non disconvenit homini, sed potiùs verè illi competit.

Dico 2. ad veritatem propositionis affirmativæ non requiritur necessariò identitas realis inter *formale subjecti*, & *formale* prædicati; sed sufficit realis identitas inter *materiale* subjecti, & *materiale* prædicati.

Ad cujus intelligentiam advertendum est, subjectum & prædicatum propositionis posse habere duplex significatum; nempè formale, & materiale. Significatum formale est illud, quod significatur per modum formæ advenientis: significatum autem mareriale est id, cui significatum formale advenit. Sic v.g. dum dico, *Homo est albus*: significatum formale *hominis* est *humanitas*; significatum verò formale *albi* est *albedo*; & significatum materiale utriusque est suppositum humanum, cui humanitas & albedo concipiuntur advenire.

Dico ergo, ad veritatem propositionis aut prædicationis affirmativæ non requiri necessariò identitatem realem inter formale significatum subjecti, & formale significatum prædicati; sed sufficere realem identitatem inter significatum materiale subjecti, & materiale significatum prædicati. Hoc patet in allata prædicatione affirmativa: *Homo* (v.g. *Gallus*) *est albus*: quæ vera est; quia quamvis formale significatum hominis, nempè *humanitas*, & significatum formale *albi*, videlicet *albedo*, realiter distinguantur; attamen est realiter idem significatum materiale utriusque, nimirum idem suppositum verè habens & humanitatem, & albedinem; & ideò habens humanitatem, sive homo, verè est habens albedinem, seu verè est albus. Et idem dicendum est de omni alia prædicatione aut propositione affirmativa accidentali.

Dico 3. in prædicatione aut propositione affirma-

mativa, verè concretum de concreto prædicari potest; & hoc intelligendum venit, tam de concretis accidentalibus, quàm de substantialibus.

Ad cujus intelligentiam; notandum est, duo esse concretorum genera: quædam enim sunt substantialia, quæ nimirum important formas substantiales, subjectis concretas, seu conjunctas; ejusmodi est *homo* quo significatur forma substantialis humana, seu anima rationalis, ut materiæ primæ concreta, & cum ea ipsum hominem constituens.

Alia sunt accidentalia, quæ designant accidentales formas subjectis concretas unitasve; ejusmodi est *album*, significans albedinem subjecto concretam unitamque.

Notandum est iterum, duo etiam esse abstractorum genera: nam quædam sunt substantialia, suntque substantiales formæ, ex modo significandi & concipiendi, à suis suppositis præcisæ & quasi separatæ; qualis est *humanitas*, quæ ex modo significandi & concipiendi, designat naturam humanam ab omni supposito præcisam. Quid sit suppositum, fusè in Metaphysica d'cetur. Alia sunt accidentalia: & sunt formæ accidentales, ex ipso significandi & concipiendi modo à subjectis abstractæ; ejusmodi est *albedo*, qua designatur accidentalis forma *albi* constitutiva ab omni subjecto abstracta.

Notandum est 3. abstractionem esse duplicem; alia namque est formalis, & altera totalis. Prior est, qua forma à subjecto vel à supposito, abstrahitur: hoc modo *humanitas* à supposito humano, & *albedo* à suo subjecto, abstrahuntur. Posterior verò est, qua totum potentiale & universale à suis inferioribus abstrahi solet: isto modo *animal* ab homine & bruto abstrahitur. His prænotatis

Prob. & explanatur conclusio. Tunc unum de altero affirmativè, verè prædicatur, quando unum verè alteri convenit: atqui unum concretum, sive sub-

ſubſtantiale, ſive accidentale, verè alteri convenire poteſt: ergo &c. Maj. liquet. prob. min. etenim dum dico, *Homo eſt animal*: ſubjectum & prædicatum, nimirum *homo* & *animal*, ſunt duo concreta ſubſtantialia; ſignificant quippe formas ſubſtantiales, nempè *humanitatem* & *animalitatem*, ut ſuppoſito concretas: animal autē verè cōvenit homni.

Præterea, ſi quis dicat: *Album eſt coloratum*: ſubjectum & prædicatum, videlicet *album*, & *coloratum*, ſunt duo concreta accidentalia; deſignant namque formas accidentales (ſcilicet albedinem & colorem) ut ſubjecto conctetas; coloratum autem verè albo convenire certum eſt.

Inſuper concretum accidentale verè de concreto ſubſtantiali poteſt affirmari. Ratio eſt, quia concretum accidentale verè poteſt concreto ſubſtantiali convenite; ut patet in hac propoſitione *Homo eſt albus*: in qua prædicatum verè convenit ſubjecto: & tamen ſubjectum, nempè *homo*, eſt concretum ſubſtantiale; prædicatum verò, nimirum *albus*, eſt concretum accidentale.

Dico 4. abſtractum verè de concreto non prædicatur; ſicut nec concretum de abſtracto. Ratio eſt, quia pars verè non prædicatur de toto, nec totum de parte: hinc falsò dicitur: *Homo eſt animalitas*: vel: *Animalitas eſt homo*: etenim in vera prædicatione affirmativa, verè aſſeritur unum eſſe alterum, ſcilicet, ſubjectum eſſe prædicatum: falsò autem aſſeritur, partem eſſe totum, vel totum eſſe partem: tum etiam quia eo ipſo, quòd in ea prædicatione affirmatur verè, unum eſſe alterum; id omne, quod eſt in uno, debet contineri & in altero, implicitè ſaltem & in potentia, nec plus nec minus: totum verò plus includit, quàm pars, & pars minus, quàm totum: abſtractum autem, ſive ſubſtantiale, ſive accidentale, eſt pars concreti, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis; & conſequenter concretum eſt totum: ſic *humanitas* eſt pars ſuppoſiti humani, & ſuppoſitum humanum, ſeu homo, eſt totum ex humanitate & ſubſiſtentia

huma-

humana compositum; sic albedo est pars compositi albi, & compositum album, est totū, ex albedine & ex subjecto constitutum. Hinc prædicationes istæ sunt falsæ: *Homo est animalitas; Lignum est albedo*; in quarum prima abstractū substantiale, nimirum *animalitas*, de concreto substantiali, scilicet de *homine*, prædicatur; in secunda verò abstractum accidentale, videlicet *albedo*, de suo concreto, scilicet de *ligno*, enunciatur. Falsæ item sunt hæ prædicationes: *Humanitas est animal: Humanitas est alba*; in quarum prima concretum substantiale, nempè *animal*, de abstracto substantiali, nimirum de *humanitate*, asseritur; *in* secunda verò, concretum accidentale, videlicet, *alba* de abstracto substantiali, videlicet de *humanitate*, affirmatur.

Dico 5. abstractum accidentale genericum, verè de abstracto accidentali specifico prædicatur, prædicatione formali propriè dicta. Hinc istæ prædicationes sunt veræ & formales; *Scientia est qualitas; Albedo est color*; & similes. Hæc conclusio apud Philosophos communis est facilèque suadetur. Etenim ex communi Peripateticorum doctrina, genus verè de specie prædicatur prædicatione formali: atqui abstractum accidentale genericum, est verè genus respectu abstracti specifici; sic v. g. *qualitas* respectu scientiæ, & *color* respectu albedinis, vera sunt genera; ut evidens est: ergo &c.

Sicut autem abstractum accidentale genericum, verè de abstracto accidentali specifico prædicatur formali prædicatione; sic etiam abstractum accidentale specificum, rectè de abstracto accidentali individuali prædicatur prædicatione formali; hinc recta formalisque est ista prædicatio: *Hæc albedo est albedo*. Maximè quia prædicatio illa est recta & formalis, in qua species de individuo prædicatur; species quippe est rectè & formaliter prædicabilis de individuis aut inferioribus suis: atqui in illa prædicatione: *Hæc albedo*

est

est albedo: species de individuo prædicatur; re-vera namque albedo in communi species est ref-pectu hujus albedinis, respectu istius albedinis, &c. ergo &c.

§. III.

Præcipua difficultas resolvitur.

Dico 6. abstractum substantiale genericum re-ctè de abstracto substantiali specifico prædi-cari potest prædicatione formali: sic v. g. recta ac ormalis est ista prædicatio: *Humanitas est anima-litas.* Ita docent Domin. Soto, Lerma, Domin. ſLinze, & alii plures, tum intra, tum extra scholam D. Thomæ; contra Scotum, & ejus Discipulos; item contra Raymundum Mailhat, & aliquos alios Thomistas.

Prob. 1. Prædicatio formalis dicitur ea, in qua prædicatum est de conceptu formali subjecti: at-qui in hac prædicatione: *Humanitas est animali-tas*: prædicatum est de formali conceptu subje-cti, nimirum *animalitas* est de conceptu formali *humanitatis*: ergo &c. Maj. videtur clara, & patet ex dictis. Prob. min. ficut rationalitas est princi-pium ratiocinādi, ita animalitas est sentiendi prin-cipium: atqui principium sentiendi est de cōceptu formali humanitatis; humanitas quippe ex suo conceptu formali exprimit & principium ratio-cinandi, & sentiendi principium; ergo &c.

Respondent adversarii, ad prædicationem for-malem non sufficere, ut prædicatum sit de con-ceptu formali subjecti; sed opus esse, ut prædi-catum respectu subjecti se habeat sicuti totum po-tentiale, in potentia continens id omne, quod est in subjecto: licèt autem *animalitas* sit de formali conceptu *humanitatis*; attamen non se habet ad eam sicut totum potentiale, sed duntaxat sicut pars.

Sed contra sic argumentor: totum potentia-le

le (ut alibi explanatum est) est gradus superior per differentias suorum inferiorum contrahibilis: atqui *animalitas* est gradus superior contrahibilis per inferiorum suorum differentias; nimirum per *rationalitatem* (quæ est humanitatis differentia) & per differentias equinitatis, leonitatis, & similium naturarum specificarum, sub animalitate contentarum: eo proportionali modo, quo *animal* est contrahibile per *rationale*, quod est hominis differentia; item per differentias Equi, Leonis, & aliorum animalium, sub ipso *animali* in communi comprehensorum: ergo &c.

Deinde apud Peripateticos, abstractum est pars sui concreti duntaxat; sic v.g. *calor* solius *calidi* pars est: animalitas ergo est pars sui concreti, nempe *animalis*, tantummodò; est verò totum potentiale respectu humanitatis, equinitatis, leonitatis, & aliorum abstractorum inferiorum substantialium.

Prob. 2. genus rectè potest de speciebus prædicari prædicatione formali; ut certum est: atqui animalitas est verum genus respectu humanitatis, equinitatis, leonitatis, & aliorum abstractorum specificorum inferiorum: ergo &c. Prob. min. Genus est gradus superior, in quo plura inferiora specificè differentia univocè conveniunt, prout Peripatetici communiter exponunt: atqui animalitas est ejusmodi respectu humanitatis, &c. ergo &c. Prob. min. & primò quidem quòd animalitas sit gradus superior humanitate, &c. ex eo liquet, quòd ille gradus est superior, qui ad plura se extendit; animalitas autem ad plura se extendit, & pluribus convenit, quam humanitas, vel equinitas, vel leonitas, &c. ut evidens est.

Quòd etiam humanitas, equinitas, leonitas, & alia abstracta specifica, specificè differant, constat; nam eo ipso, quòd abstracta illa sunt specifica, per differentias specificas & constituantur, & distinguantur, necesse est. Demùm, quòd

quòd humanitas, equinitas, leonitas, &c. univocè in animalitate conveniant; ex eo suadetur, quòd univocè seu æqualiter animalitatem participent; sicuti homo, equus, leo, &c univocè aut æqualiter *animal* participant.

Sicut autem abstractum substantiale genericum rectè de abstracto substantiali specifico prædicari potest prædicatione formali: ita etiam abstractum substantiale specificum pari prædicatione de abstracto substantiali individuali rectè potest prædicari: sic v.g. recta est & formalis hujusmodi prædicatio: *Hac humanitas est humanitas*. Ratio est; quia quemadmodum natura hominis in communi est de formali conceptu hujus hominis, ita ratio humanitatis in communi est de formali conceptu hujus humanitatis. Tum etiam, quia sicuti animalitas in communi est totum potentiale per specificas humanitatis, equinitatis, leonitatis, &c. differentias contrahibile; sic etiam humanitas in communi est totum potentiale per differentias humanitatis, illius humanitatis, &c. individuales, simili modo contrahibile. Tum denique, quia humanitas in communi se habet ad hanc humanitatem, ad illam humanitatem, &c. sicuti species ad individua, in ipsa quidem univocè convenientia, sed numero inter se differentia; species verò de individuis univocè in ipsa convenientibus, & numero inter se differentibus, formaliter prædicatur; prout apud omnes certum est.

§. IV.

Universalium prædicabilitas amplius explicatur.

Dico 7. abstractum genericum de abstracto differentiali specifico prædicatione formali rectè non enunciatur. Hinc ista prædicatio: *Rationalitas est animalitas*; non est formalis. Hæc conclusio communis est; contra Dominicum de Soto.

Soto, Coſmam de Lerma, & alios. Ratio eſt; quia ex communi axiomate: *Prædicari ſequitur eſſe*: & ideò de illo ſolo poteſt animalitas formaliter prædicari, cui ineſt formaliter: atqui animalitas non ineſt formaliter rationalitati, ſive in ejus conceptu formali non continetur: ergo &c. Prob. min. & primò quidem ex eo, quòd rationalitas, ex ſuo conceptu formali, eſt præcisè ratiocinandi principium: ergo ex eodem conceptu non continet animalitatem, quæ eſt principium ſentiendi.

Deinde rationalitas eſt præcisè, ex ſuo conceptu formali, hominis differentia, qua à cæteris animalibus diſtinguitur; proindèque continere non debet animalitatem, in qua *homo* cum aliis animalibus convenit. Demùm, rationalitas, & animalitas ſe habent, tanquam duæ compartes humanitatem componentes; una autem pars alteram compartem in ſuo conceptu formali non continet, ſed potiùs omninò excludit: juxta communem Peripateticorum doctrinam.

Ex dictis colliges, abſtractum differentiale non poſſe rectè de abſtracto generico enunciari, prædicatione formali. Ideòque hæc prædicatio: *Animalitas eſt rationalitas*: non eſt formalis. Ratio hujus eſt, quia rationalitas non eſt de conceptu formali animalitatis: ſiquidem animalitas, ex ſuo conceptu formali, eſt præcisè ſentiendi principium, proindèque non eſt rationalitas, ſive principium ratiocinandi. Deinde, animalitas, ex ſuo conceptu formali, eſt in homine principium ſimpliciter conveniendi cum aliis animalibus: ergo in eodem conceptu continere non debet rationalitatem, quæ in homine eſt principium differendi à cæteris animalibus. Denique animalitas & rationalitas ſunt cōpartes, ex quibus humanitas conſtat: partes verò ſeſe mutuò à ſuis conceptibus formalibus excludunt.

Colliges iterum, abſtractum ſpecificum rectè de abſtracto differentiali individuali aut numeri-

co prædicati non posse, prædicatione formali. Hinc formalis non est ista prædicatio: *Petreitas est humanitas*. Ratio est, quia cùm Petreitas ex suo conceptu formali, sit præcisè numerica Petri differentia, qua à Paulo distinguitur, in suo conceptu formali humanitatem non includit, in qua Petrus cum Paulo convenit.

Colliges rursus, vice versa, abstractum differentiale individuale rectè de abstracto specifico non posse prædicari prædicatione formali. Hinc prædicatio hæc: *Humanitas est Petreitas*: non est formalis. Ratio est: quia cùm humanitas in Petro, ex conceptu suo formali, sit principium simpliciter cum Paulo conveniendi, in eodem conceptu non continet Petreitatem, quæ Petrum à Paulo distinguit. Addi potest, Paulum in se totum habere humanitatis conceptum formalem, & nihilominùs Petreitatem non obtinere: ergo Petreitas extra totum humanitatis conceptum formalem esse censenda est.

Cæterùm, quamvis prædicationes illæ: *Rationalitas est Animalitas*: *Animalitas est rationalitas*: non sint veræ in sensu formali; ut probatum est; attamen in sensu materiali sunt veræ. Etenim ut materialis propositio, seu prædicatio, sit vera, sufficit planè, ut subjectum, & prædicatum materialiter, seu entitativè à parte rei verè idem sint: *rationalitas* verò & *animalitas*, item *animalitas* & *rationalitas*, in homine à parte rei verè sunt idem entitativè, ita ut per solum intellectum cum fundamento à parte rei distinguantur, ut alibi ostensum est. Idem dicendum est de duabus illis propositionibus circa Petrum effornatis: *Petreitas est humanitas*: *humanitas est Petreitas*; nam etiam *humanitas* & *Petreitas*, item *Petreitas* & *humanitas*, aliique gradus Metaphysici in Petro, verè identificantur à parte rei entitativè, & inter eos sola rationis ratiocinatæ distinctio reperitur; ut ibidem explanatum est.

Dico ultimò: ut differentia, proprium, & acci-

accidens rectè de inferioribus prædicentur, in concreto enuncientur necesse est: hinc legitimæ sunt prædicationes istæ: *Petrus est rationalis*: *Petrus est risibilis*: *Petrus est albus*. Non legitimæ autem sunt hæ: *Petrus est rationalitas*: *Petrus est risibilitas*: *Petrus est albedo*.

Ratio est: quia quod prædicatur *in quale*, debet in concreto enunciari; atqui ut differentia, proprium, & accidens, legitimè de inferioribus prædicentur, debent *in quale* prædicari: ergo &c. Min. certa est: etenim differentia ex legitima prædicatione, *in quale quid* enunciatur, sicuti proprium *in quale accidentale necessarium* & accidens *in quale accidentale contingens*; prout suo loco explanatum est. Prob. autem maj. quod prædicatur ad modum adjacentis subjecto, in concreto enuncietur necesse est; etenim solum concretum significat formam ut subjecto adjacentem, abstractum verò designat formam ad modum per se stantis, & à subjecto præcisam: atqui quod prædicatur in *quale*, prædicatur ad modum adjacentis subjecto; quandoquidem *quale* denotat qualitatem subjecto adjacentem, & ipsum *quale* denominantem: ergo &c.

§. V.

Præcipuæ contra præcedentem doctrinam objectiones solvuntur.

OBjic. 1. contra 4. Conclusionem: nonnunquam abstractum realiter cum concreto verè identificatur: sic v. gr. *animalitas* cum *animali*, & *humanitas* cum *homine*, realiter verè identificantur: ego quandoque abstractum verè de concreto prædicatur.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo quandoque abstractum verè de concreto materialiter prædicatur, concedo; etenim ad

veram prædicationem materialem sufficit,ut prædicatum verè cum subjecto materialiter seu entitative realiter identificetur: ergo quandoque abstractum verè de concreto formaliter prædicatur, nego: siquidem ad veram prædicationem formalem opus est, ut prædicatum in potentia & implicitè contineat id omne, quod est in subjecto; licèt autem nonnunquam abstractum ex parte rei significatæ idem sit realiter cum suo concreto; attamen ex parte modi significandi se habet semper ut pars, respectu sui concreti; pars verò minimè complectitur id omne, quod est in toto.

Inst. *animal* verè & formaliter de homine prædicatur, & tamen *animal* est hominis pars; homo quippe ex *animali* & *rationali*, velut ex partibus Metaphysicis, componitur: ergo quamvis abstractum sit concreti pars, propterea tamen non sequitur, abstractum non posse formaliter de concreto prædicari.

Respondeo negando conseq. & paritatem; etenim abstractum ex parte modi significandi, est purè & præcisè concreti pars: at licèt *animal*, prout actu in homine per *rationale* contrahitur, sit ipsius hominis pars Metaphysica, simul cum *rationali* hominem componens, & ideò sub hac acceptione nequeat formaliter de homine prædicari: attamen si *animal* consideretur in communi, prout est gradus superior ab homine & bruto abstractus abstractione totali, & per eorum differentias contrahibilis, sub ista consideratione non est pars, sed totum potentiale de homine & bruto prædicatione formaliter enunciabile.

Inst. rursus: si abstractum non posset vera & formali prædicatione de concreto prædicari, maximè quia abstractum non continet id omne, quod est in concreto; quoniam abstractum est pars, & concretum est totum; pars verò non includit id omne, quod est in toto: atqui ex eo, quòd

quòd abstractum non comprehendat id omne, quod est in concreto, non sequitur, non abstractum non posse de concreto prædicari prædicatione formali: ergo &c. Prob. min. hæc prædicatio: *Petrus est homo*. est formalis; & tamen illius prædicatum, nempè *homo*, non continet id omne, quod est in subjecto, nimirum in Petro; quandoquidem *homo* Petreitatem non includit: ergo ex eo, quòd abstractum non comprehendat id omne, quod est in concreto, minimè sequitur, abstractum non posse de concreto prædicari prædicatione formali.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. nego paritatem: disparitas est, quòd in illa prædicatione. *Petrus est homo*: prædicatum, nempè homo, actu quidem & explicitè non continet Petreitatem, benè tamen in potentia & implicitè; quatenus est gradus superior per Petreitatem, Pauleitatem, &c. contrahibilis: abstractum verò, nec actu, nec in potentia nec explicitè, nec implicitè, includit id omne, quod est in concreto, quoniam pars ejus est; pars autem nullo modo continet id omne, quod est in toto.

§. VI.

Satisfit aliis adversariorum objectis.

OBjic. 2. contra 6. conclusionē: pars verè ac formaliter de toto non prædicatur: atqui *animalitas* est humanitatis pars: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. pars humanitatis est id, quod non est tota humanitas, sed duntaxat aliquid ejus: atqui *animalitas* non est tota humanitas, seu tota hominis essentia, sed est tantummodò aliquid ejus, nimirum est duntaxat pars ejus communis: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui *animalitas* est humanitatis pars: si ipsa animalitas consideretur, prout per rationalitatem actu determinatur in ordine ad componendam huma-

humanitatem. concedo: si animalitas spectetur, prout abstracta à rationalitate, & aliis differentiis specificis, & per eas contrahibilis, tanquam gradus superior, genericus, & communis humanitati, equinitati, &c. nego; sic enim spectata non se habet ut pars ejusmodi naturarum specificarum; sed potiùs se habet ad illas ut totum potentiale, continens ipsas in potentia. Ad prob. min. concessa maj. distinguo min. atqui *animalitas* non est tota humanitas, &c. si *animalitas* priori modo consideretur, concedo: si posteriori modo spectetur, subdistinguo: animalitas non est actu & explicitè tota humanitas, concedo: non est in potentia & implicitè tota humanitas, nego.

Instabis: quod est simpliciter pars, nequit prædicari prædicatione formali, ut ex dictis patet: atqui animalitas, humanitas, & similia abstracta substantialia, sunt simpliciter partes: ergo &c. Prob. min. quod componit unum per se, est pars simpliciter; in hoc quippe differt unum per se, ab uno per accidens, quòd istud ex entibus totalibus & completis consurgit, illud verò ex entibus simpliciter partialibus & incompletis coalescit: atqui animalitas, humanitas, & ejusmodi abstracta substantialia componunt unum per se, videlicet suppositum, in quo sunt: ergo &c.

Addunt adversarii, hoc esse discrimen inter abstractum substantiale, & abstractum accidentale, quòd primum essentialiter pars est; & ideò semper est pars, & nunquam totum: at secundum accidentaliter solùm obtinet rationem partis, videlicet respectu concreti accidentalis, quod componit; absolutè verò & simpliciter est totum.

Respondeo distinguendo maj. quod est simpliciter pars purè & præcisè, nequit prædicari, &c. concedo: quod est simpliciter pars, & simul totum potentiale, sub diversa consideratione, nequit prædicari, &c. subdistinguo: sub ea considera-

ratio-

ratione, sub qua est pars simpliciter, concedo. sub ea consideratione, sub qua est totum potentiale, nego: & distinguo pariter min. atqui animalitas, humanitas, & similia abstracta substantialia, sunt simpliciter partes, simul & tota potentialia, sub diversa acceptione, concedo: sunt simpliciter partes purè & præcisè, nego: sicut enim *animal* dupliciter sumi potest, scilicet, vel per ordinem ad naturam humanam, ad quam actu determinatur per *rationale*, sub qua acceptione est pars simpliciter, ut pote simul cum *rationali* componens unum per se, nimirum humanam naturam; vel per ordinem ad hominem, equum, & cæteras species inferiores, *animal* in suis conceptibus formalibus exprimentes, sub qua sumptione est totum potentiale, formali prædicatione de illis prædicabile: sic pari modo, animalitas, humanitas, & similia abstracta substantialia, dupliciter spectari possunt, nempè, vel per respectum ad propria concreta, sive propria supposita quæ componunt, sub qua acceptione sunt simpliciter partes: vel per respectum ad abstracta inferiora, nimirum animalitas per respectum ad humanitatem, humanitas in communi ad hanc humanitatem individualem, &c. & sub ista consideratione sunt tota potentialia, in conceptibus formalibus abstractorum inferiorum expressa, & de ipsis formaliter prædicabilia.

Ad prob. min. concessa maj. distinguo min. atqui animalitas, humanitas, & ejusmodi abstracta substantialia, componunt unum per se, &c. si spectentur prout respiciunt propria concreta sive supposita, concedo: si considerentur prout respiciunt abstracta inferiora, nego; sic enim sumpta, non sunt partes componentes, sed sunt tota potentialia, ex partibus subjectivis composita.

Ad id, quod addunt adversarii, respondeo, concedendo quidem, abstractum substantiale esse essentialiter partem; at non absolutè, sed respecti-

ve solùm ad concretum substantiale; unde respectivè solùm ad concretum illud est quidem semper pars, sed absolutè potest esse totum potentiale. Et cùm abstractum accidentale essentialiter respiciat subjectum, ut ipsi inhæreat, ac cum eo concretum accidentale componat; est quoque respectivè ad subjectum vel concretum accidentale essentialiter pars ad componendum ordinata. Cum hoc tamen discrimine inter abstractum substantiale, & abstractum accidentale, quòd primum est pars unius per se, & alterum est pars unius duntaxat per accidens; concretum quippe substantiale (ut homo) est unum per se, concretum verò accidentale (ut album) est unum duntaxat per accidens.

§. VII.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjic. 3. si *animalitas* prædicatione formali de humanitate enunciaretur, *rationalitas* simili prædicatione de humanitate prædicaretur: atqui hoc dici nequit: ergo &c. Maj. in primis ex eo patere videtur, quòd idcircò secundùm nos, *animalitas* formali prædicatione de humanitate enunciatur, quoniam *animalitas* est de formali conceptu humanitatis: ergo quia etiam *rationalitas* est de formali humanitatis conceptu, debet quoque formali prædicatione de illa enunciari. Min. etiam ex eo suadetur, quòd *rationalitas*, est hominis differentia, differentia verò prædicetur prædicatione formali in concreto necesse est, ut ex dictis liquet, & ideò vera & formalis est hæc prædicatio: *Homo est rationalis*: non autem ista: *Humanitas est rationalitas*.

Respondeo negando maj. etenim *animalitas* formali prædicatione de humanitate enunciatur, quoniam *animalitas* est de formali conceptu humanitatis, tanquam gradus supe-

rior,

tione, per ipsius differentiam contrahibilis: *rationalitas* verò est de formali humanitatis conceptu, tanquam differentia animalitatis contractiva; unde *animalitas* se habet ad humanitatem, sicut totum potentiale ad partem subjectivam, à qua est contrahibile: *rationalitas* verò humanitatem respicit sicut pars actualis alteram partem potentialem contrahens.

Dices: hæc prædicatio; *Petreitas est humanitas*: non est formalis: ergo neque ista: *Humanitas est animalitas*.

Respondeo distinguendo ant. hæc prædicatio: *Petreitas est humanitas*; non est formalis: si *Petreitas* præcisè significet individualem Petri differentiam, concedo: si *Petreitas* designet hanc numero humanitatem, quæ est in Petro, nego: etenim *humanitas* in communi est de conceptu formali hujus numero humanitatis, sicut gradus superior ab ipsa contrahibilis; ideòque se habet ad eam sicuti totum potentiale de ipsa formaliter prædicabile, eo proportionali modo, quo *animalitas* in communi se habet ad humanitatem.

Dices iterum: prædicatum nequit verè de subjecto enunciari, nisi prædicatum insit subjecto: ergo nisi fiat concretum; forma enim quæ inest subjecto, concreta efficitur.

Respondeo distinguendo ant. prædicatum nequit verè de subjecto enunciari, nisi prædicatum insit subjecto, vel tanquam supposito sustentanti, vel tanquam rei constitutæ, concedo: nisi prædicatum insit subjecto, semper tanquam supposito sustentanti, nego: ut autem forma efficiatur concreta, non sufficit, ut insit subjecto velut rei constitutæ; sed requiritur, ut insit subjecto veluti supposito sustentanti: nonnumquam verò abstractum verè inest subjecto, non sicut supposito sustentanti, sed sicuti rei constitutæ. Et hoc modo *animalitas* inest humanitati, quam constituit,

tuit,

tuit, tanquam gradus ſuperior & genericus ab ipſa contrahibilis.

Objic. ultimò, contra doctrinam ſuprà traditam, in qua dictum eſt, abſtractum genericum de abſtracto differentiali ſpecifico, v. g. *Animalitatem* de *rationalitate*, non poſſe prædicari prædicatione formali. Totum potentiale de inferioribus, prædicatione formali, poteſt rectè prædicari; ut ex dictis liquet: atqui *animalitas* ſe habet ad *rationalitatem*, ſicut totum potentiale ad ſuum inferius: ergo &c. Prob. min. totum potentiale eſt gradus ſuperior ab inferioribus contrahibilis, ut ſuprà ſæpè dictum eſt: atqui *animalitas* ſe habet ad *rationalitatem*, ſicut gradus ſuperior ab ipſa contrahibilis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. totum potentiale de inferioribus adæquatis & totalibus, prædicatione formali, poteſt rectè prædicari, concedo: totum potentiale de inferioribus inadæquatis & partialibus, formali prædicatione, poteſt rectè prædicari, nego. Rationalitas verò eſt quidem aliquod inferius animalitatis; at non adæquatum & totale, ſed inadæquatum duntaxat & partiale, quatenus eſt humanitatis pars; humanitas autem eſt inferius animalitatis adæquatum & totale. Ad prob. min. diſtinguo ma. totum potentiale eſt gradus ſuperior ab inferioribus adæquatis & totalibus contrahibilis, concedo: eſt gradus ſuperior ab inferioribus inadæquatis & partialibus contrahibilis, nego: gradus quippe ſuperior reſpectu inferioris inadæquati & partialis non ſe habet ut totum, ſed duntaxat ut pars altera, ſimul cum inferiori partiali, aliquod totum componens: ſic v. g. *animalitas* ſe habet ad *rationalitatem* ſicut altera pars, ex qua, & *rationalitate* humanitas tota reſultat. Et diſtinguo pariter min. atqui *animalitas* ſe habet ad *rationalitatem*, ſicut gradus ſuperior, ab ipſa, velut ab *inferiori* inadæquato ac partiali, contrahibilis, concedo: ſicut gradus ſuperior, ab ipſa,

psa, sicut ab *inferiori* adæquato & totali, convertibilis, nego.

§. VIII.

Vtrum nat...a communis in actuali prædicatione formalem retineat universalitatem?

ANtequam respondeam, advertendum puto, naturam communem de aliquo singulari, v. g. naturam humanam de Petro, dupliciter posse prædicari: nimirum, vel prædicatione identica, vel prædicatione formali. Primo modo natura humana enunciatur, dum ex parte prædicati ponitur aliqua particula singularis, dicendo v. g. *Petrus est hic homo*. Secundo autem modo humana natura de singulari, puta, de Petro, prædicatur, cùm ex parte prædicati nulla singularis particula invenitur, dicendo, v. g. *Petrus est homo*. Hoc præmisso.

Respondeo 1. naturam communem in actuali prædicatione identica formalem amittere universalitatem.

Ratio est: quia tunc communis natura formalem amittit universalitatem, quando fit singularis; ut patet: atqui natura communis in actuali prædicatione identica fit singularis; quandoquidem in ejusmodi prædicatione, ex parte prædicati naturam communem significantis, apponitur particula singularis, designans differentiam individualem, qua ipsa communis natura contrahitur, & singularizatur: ergo &c.

Respondeo 2. naturam communem in actuali prædicatione formali, formalem universalitatem non deperdere, sed retinere.

Ratio est 1. quia in prædicatione formali naturæ communis de singulari, nulla statuitur, ex parte prædicati naturam communem designantis, particula singularizans; ut ex dictis liquet: ergo natura communis in ejusmodi propositione & præ-

prædicatione non singularizatur, sed permanet formaliter universalis.

Deinde, tandiu natura communis manet formaliter universalis, quandiu remanet formaliter superior singularibus; ut patet: atqui natura communis in actuali prædicatione formali remanet formaliter singularibus superior; in hoc siquidem discrepant prædicatio formalis, & prædicatio identica, quòd prædicatum prioris est formaliter subjecto superius, posterioris verò subjectum & prædicatum omninò sibi mutuò adæquantur, imò & identificantur: ergo &c.

Sanè natura communis ante actualem sui de singulari prædicationem formalem, erat formaliter universalis; ut fatentur omnes: ergo ejus universalitas formalis in actuali prædicatione nequaquam destruitur. Prob. conseq. exercitium proprietatis non destruit essentiam, seu formalem rationem rei, cujus est proprietas; sic v. g. exercitium risibilitatis, quæ est humanæ essentiæ proprietas, hanc essentiam non evertit; ut patet: atqui actualis prædicatio formalis naturæ communis de singularibus, est exercitium proprietatis naturæ formaliter universalis, videlicet formalis prædicabilitatis: ergo prædicatio illa non diruit formalem rationem, seu formalem universalitatem naturæ formaliter universalis.

Ad cujus ampliorem intelligentiam, & objectionum solutionem, advertendum est, quòd dum intellectus actu naturam communem de singularibus enunciat, prædicatione formali, duæ sunt in intellectu operationes; videlicet simplex apprehensio, quâ intellectus concipit naturam communem, ut abstractam à singularibus, & aptam inesse eis, & prædicari de ipsis; & judicium affirmans, quo intellectus hic & nunc naturam communem per actualem prædicationem singularibus attribuit. Itaque quamvis natura communis in actuali prædicatione formali

dea-

videatur per judicium affirmans contrahi & determinari ad individua vel singularia, de quibus formaliter prædicatur; attamen secundùm apprehensionem simplicem remanet semper à singularibus abstracta, & ad multa indifferens, ac proinde formaliter universalis.

Objic. 1. ut communis natura sit formaliter universalis, debet esse ad multa inferiora indifferens, non verò ad unum singulare determinata: atqui natura communis in actuali prædicatione, de uno singulari, non est ampliùs ad multa inferiora indifferens, sed est ad unum singulare, de quo enunciatur, determinata: ergo &c.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui natura communis &c. sed est ad unum singulare, de quo enunciatur per judicium affirmans determinata, transeat: est ad unum singulare per simplicem apprehensionem determinata, nego min. & conseq.

Inst. tunc natura communis duntaxat est formaliter universalis, quando est à singularibus abstracta; abstractio quippe naturæ communis à singularibus ad universalitatem formalem necessaria est: atqui dum natura communis de uno singulari actu prædicatur, non est ampliùs à singularibus abstracta, sed potiùs est ad singulare, *v. g.* ad Petrum, de quo actu enunciatur, in hac propositione: *Petrus est homo*; contracta, restricta, & limitata: ergo &c.

Respondeo ex doctrina superiùs tradita; concessa ma. distinguendo min. atqui dum natura &c. non est ampliùs, secundum judicium affirmans, à singularibus abstracta, sed potiùs, &c. transeat: atqui dum natura &c. non est amplius, secundùm simplicem apprehensionem, à singularibus abstracta, sed potiùs, &c. nego.

Dices: ergo natura communis in actuali prædicatione formali, saltem secundùm judicium affirmans, non est formaliter universalis? quandoquidem secundùm illud judicium, est ad unum

unum singulare contracta, restricta, & limitata.

Respondeo distinguendo consequens: ergo natura &c. non est *in recto* formaliter universalis &c. esto: non est *in obliquo & de connotato* formaliter universalis &c. nego; licet enim detur, naturam communem in actuali prædicatione formali ad unum singulare per judicium affirmans contrahi, restringi, & limitari; attamen ejusmodi judicium connotat simplicem naturæ communis apprehensionem, secundum quam ipsa communis natura permanet à singularibus abstracta, ac proinde formaliter universalis.

Urges. tunc natura communis fit ad unum singulare contracta, quando uni singulari unitur seu conjungitur: atqui dum natura communis prædicatione formali de uno singulari actu enunciatur, uni singulari unitur seu conjungitur, ut patet satis: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. tunc natura communis fit ad unum singulare contracta, quando uni singulari ad modum prædicati æqualis unitur seu conjungitur, concedo: quando uni singulari ad modum prædicati superioris unitur &c. nego: dum autem natura communis prædicatione formali de uno singulari actu enunciatur, uni quidem singulari unitur seu conjungitur; at non per modum prædicati æqualis singulari, sed per modum prædicati illo superioris; ut ex dictis liquet.

Urges. iterum: tunc natura communis ad unum singulare contrahitur, quando simul cum illo concipitur: atqui dum communis natura de uno singulari prædicatione formali actu enunciatur, natura communis cum illo singulari simul concipitur; ut patet: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. tunc natura communis ad unum singulare contrahitur, quando simul cum illo ad modum prædicati æqualis concipitur, concedo: quando simul cum illo ad modum prædicati superioris concipitur, nego:

quam-

quamvis autem dum communis natura de uno singulari prædicatione formali actu enunciatur, natura illa simul cum singulari concipiatur; non tamen per modum prædicati æqualis, sed per modum prædicari superioris.

Objic. 2. tunc communis natura desinit esse formaliter universalis, quando fit singularis; formalis quippe universalitas, & singularitas, se se mutuò excludunt: atqui dum natura communis de uno singulari formaliter prædicatur, fit singularis: ergo &c. Prob. min. tunc communis natura redditur singularis, quando differentia singulari afficitur; ut patet: atqui cùm natura communis de uno singulari prædicatione formali enunciatur, ipsa differentia singulari afficitur: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. distinguo ma. tunc communis natura redditur singularis, quando differentia singulari in actu secundo afficitur, adeò ut ipsa natura denominetur actu contracta per differentiam singularem actu afficientem, concedo: quando differentia singulari in actu primo afficitur, ita ut natura denominetur solùm contrahibilis per differentiam singularem, vel per differentias singulares, quibus affici & contrahi potest, nego: cùm autem natura communis de uno singulari, prædicatione formali, enunciatur, ipsa quidem singulari differentia afficitur in actu primo, non tamen in actu secundo.

Objic. 3. si homo foret formaliter universalis in hac actuali prædicatione formali: *Petrus est homo*: Petrus esset formaliter universalis: atqui hoc absurdum est: ergo &c. Prob. ma. est commune axioma ex Arist. 3. Ante. desumptum: *Cum quidpiam de quopiam prædicatur, ut de subjecto ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subjecto*: atqui de homine, qui de Petro, ut de subjecto, in allata propositione prædicatur, dicitur, quòd sit formaliter universalis: ergo etiam de Petro dicetur, quòd sit formaliter universalis.

Ref-

Respondeo negando ma. Ad ejus prob. Respondeo, Axioma illud esse intelligendum de his, quæ dicuntur primò intentionaliter, sive realiter; non autem de his, quæ secundò intentionaliter, & per intellectum universalia seu secundas universalium intentiones enunciantem, dicuntur. Hinc non rectè arguitur: *Petrus est homo: atqui homo est species: ergo Petrus est species*. Quia ratio speciei in min. non dicitur de homine primò intentionaliter, vel realiter; sed secundò iutentionaliter per intellectum, qui secundam speciei intentionem de homine, sicuti de natura specifica, enunciat: Petrus autem non est natura specifica, sed individualis. In illa verò prædicatione formali: *Petrus est homo*: de prædicato, nimirum de homine, non primò intentionaliter, sive realiter: sed secundò intentionaliter solùm, sicuti de natura communi, & per solum intellectum enunciantem,, dicitur quòd sit formaliter universalis; ideòque de Petro, qui non est natura communis, sed singularis, verè nequit dici, quòd sit formaliter universalis.

Finis Primi Tomi.

